7. 1.

MATTHIAE BELII,

NOTITIA HVNGARIAE NOVAE

GEOGRAPHICO HISTORICA.

PARTIS PRIMAE,

CIS-DANVBIANAE,

TOMVS PRIMVS.

MAGY. AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

IOANNIS PRIMISSERII

CIS-DANUBIANAE

PARTIS IMAGINAE

GEOGRAPHICO HISTORICA

NOVAE

HUNGARIAE

NOTITIA

MATTHIAE BELII

MAGY. AKADÉMIA KÖNYVTÁRA



N: B. Belau delineavit
Andreas et Ioseph Schmuzer sc:

HVNGARA SIC CAROLO FAMVLANTVR NVMINI QVIPPE,

NOTITIA HVNGARIAE NOVAE HISTORICO GEOGRAPHICA, DIVISA IN PARTES QVATVOR,

QVARVM

PRIMA, HVNGARIAM CIS-DANVBIANAM; ALTERA, TRANS-DANVBIANAM; TERTIA, CIS-TIBISCANAM; QVARTA, TRANS-TIBISCANAM:

Vniuersim XLVIII. Comitatibus Designatam,

EXPROMIT.

Regionis Situs, Terminos, Montes, Campos, Fluuios, Lacus, Thermas, Cæli, Solique ingenium, Naturæ munera & prodigia; Incolas variarum Gentium, atque harum mores; Prouinciarum Magistratus; Illustres Familias; Vrbes, Arces, Oppida, & Vicos propemodum omnes; Singulorum præterea, Ortus & Incrementa, Belli Pacisque Conuersiones, & præsentem Habitum;

Fide optima, Adcuratione summa,

EXPLICAT.

OPVS, HVCVSQVE DESIDERATVM, ET IN COMMVNE VTILE.

SACRATISSIMIS AVSPICIIS

CAROLI VI. CAESARIS,

ET REGIS INDVLGENTISSIMI,

ELABORAVIT


MATTHIAS BEL.

ACCEDVNT

SAMVELIS MIKOVINII

Mappæ, singulorum Comitatuum, Methodo Astronomico-Geometrica concinnatæ.


TOMVS PRIMVS.



VIENNAE AVSTRIAE, Impensis PAVLLI STRAVBII Bibliopolæ.
Typis JOHANNIS PETRI VAN GHELEN, Typographi Cæsarei.
ANNO MDCCXXXV.

553. 607/1

M. ACADEMIAE
KÖNYVTÁRA



AVGVSTISSIMO,
INVICTISSIMO,
AC
POTENTISSIMO
PRINCIPI,
CAROLO
SEXTO,
ROMANORVM
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO,
GERMANIAE, HISPANIAE,
HVNGARIAE, BOHEMIAE,
NEAPOLIS *ET* SICILIAE,
REGI,
ARCHIDVCI AVSTRIAE,
PRINCIPI TRANSILVANIAE, &c. &c. &c.
SACRATISSIMIS EIVS AVSPICIIS ELVCVBRATAM,
NOTITIAM HVNGARIAE NOVAE,
DEDICAT, DICAT, CONSECRAT,
DEVOTISSIMVS, SVBIECTISSIMVS
AVCTOR.

AUGUSTISSIME
CAESAR
REX CLEMENTISSIME



Nni sunt duodecim,
cum vasti huius operis Prodro-

mum,

mum, MAIESTATI TVAE, sacrum nuncupaui. Accepisti, more TVO, conatus eos, & clementer, & cum hac benignissimæ voluntatis significatione, vti cœptis, Augustali TVA gratia fretus, porro insisterem. Feci, INDVLGENTISSIME CAESAR! quod TE, vt facerem, clementissime velle, intellexeram: eo id quidem obsequentius, quo magis Numini TVO, cum natale Hungariæ solum, me obstrinxit; tum addixit fides, nunquam contemerata.

Durum, sicuti *palam* est, & refractarium laborem cepi; sed quem tamen, CAESARVM OPTIME! TVAE conscientia benignitatis, qua me erigebam subinde, non iucundum modo tractatu, verum progressu etiam, in tanta rei difficultate, expeditum mihi præstitit, & exsuperabilem: quippe cui;

Et spes, & ratio studiorum, in CAESARE *tantum;*
Solus enim tristeis, hac tempestate Camenas,
Respicis.

Atque erit omnino, æterna hæc TIBI gloria, REX BENIGNISSIME! quam TV, acceptam a maiorum ingenio, ad eum modum, toto, quam late imperas, orbe, locupletauisti, vt a summis quibusque ingeniis, vix cogitatione adtingi, nedum oratione explicari posse, vna omnes adseueratione confirment. Me profecto, quem ad scriptionem hanc, clementiæ TVAE iubar expergefecit, sustentauit Regia *munificentia*, defendit auctoritas; conantem has *TVAS* laudes, ad posteritatem perscribere, earum magnitudo, elinguem facit & adtonitum.

Id vnum relictum mihi video, vt, cum taciturnitas, confessionem imitetur, mirifica TVA, SA-

CRA-

CRATISSIME IMPERATOR! ſicuti de re litteraria vniuerſim, ita, de meis iſtis ſtudiis, merita, ſilentio aduenerer: eorum ritu, qui, quod Deum beneficentiam, nequeunt, pro copia & immenſitate, verbis adſequi; tacita piaque exiſtimatione ſecum metiuntur. Profecto,

Cum tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus:
Res Italas armis tuteris, moribus ornes;
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer, TVA *tempora,* CAESAR!

Loquentur apud Rempublicam litterariam, commendabuntque æternitati, TVVM, aduerſus bonas artes, fauorem, plus quam Auguſtum, cum *diuiniſſima* facinora, abs TE, Muſarum cauſſa, edita munificentiſſime; tum HVNGARIA ipſa: cuius, qualemcunque partem, indulgentia deſcriptam TVA, ſupplex nunc adfero, TVOque, AVGVSTISSIMO Nomini, non alia magis fiducia animatus, dedico & conſecro: quam, quod omnis illuſtrandæ eius deſtinatio, a TVA benignitate, & ſapientia profluxit; iamque ad TE, tamquam Statorem ſuum, Optimum Maximum, iure ſummo, reuertatur.

Contueare, hoc, quidquid eſt, honeſti moliminis, quemadmodum ſoles, clementer ac benigne, vtque inſtitutum, ex ſe vtile ac decorum patriæ; quod nunc demum, e difficillimis exordiis, TVO vnius beneficio, MAXIME CAESAR! eluctari cœpit; prorſus conſumm*ari a* me poſſit, BONVS effice.

Seruet TIBI Deus, INVICTISSIME CAESAR! meliorum litterarum, quibus, in tanto faſtigio, ad miraculum vsque percultus es, amorem perpetuum; vt ab iis non minus, quam ab artibus imperandi

aliis, æternitatem consequare: dum, TE interea, vniuersus Orbis, Victorem, Triumphatorem, Belli Pacisque Arbitrum; nos vero, qui TVI sumus, Pium, Felicem, Patrem Patriæ, Semper Augustum, cernui venerabimur.

Tarda sit illa dies, & nostro serior æuo,
Qua CAPVT AVGVSTVM, *quem temperat, orbe relicto,*
Accedat cælo.

Ita, priuatim & publice, TVI, CLEMENTISSIME DOMINE! & Regnorum, quibus imperas, caussa, DEVM, toto animo deprecatur,

SACRATISSIMAE CAESAREAE,
ET REGIAE,
MAIESTATIS TVAE,

deuotissimus, subiectissimus,

MATTHIAS BEL.

LECTORI BENEVOLO SALVTEM!



RBem Hungaricum describere exorsus sum. Opus, vti ex se varium, & impeditum; ita vexatum hucusque, non vna difficultate. Quæ ei homines, neque illitterati, neque maleuoli, sufflamina, iam tum posuerint, cum primum suscipiendi eius cogitationem, animo cœperam complecti, non est opus recognoscere. Dedi, earum rerum, qualescunque fuerunt, imaginem, alio (*a*) loco.

§. II. Postea, cum se adprobasset plerisque omnibus, atque in primis, AVGVSTISSIMO CAESARI, honestas, iuxta & vtilitas instituti; expedita credebam omnia, planaque; dum iterum vna remora poneret aliam. Longum foret, singula expromere, ac forte etiam inuidiosum, præcipue, in tanta sententiarum, de toto hoc destinationis genere, & varietate, & inconstantia. Sufficit, vicisse propositi innocentiam, iamque, DEI, & CAESARIS gratia, profeciisse eo vsque, vt *Tomum* hunc *primum*, luce publica donare possim, fidemque, quam orbi litterato obstrinxeram, *liberare.* Tardius id quidem fit, quam voluissem; sed ita tamen, vt *nulla* in me culpa resederit. Cum autem, nec semper, ad diem debitores *respondent*, vt ait ille, & duriores atque acerbiores creditores, satis habent,

Dummodo sit solo tempore lapsa fides;

haud sine ratione mihi polliceor, eo patientius laturos moram eam, *Lectores*, quo magis confido, cessura in posterum impedimenta, quæ retardarunt hucusque, omni ope & contentione elaborantem.

§. III. Fateor equidem, neque inuitus, neque non cogitans; boni publici studio, maius quiddam, & priuati fere hominis viribus impar, moliri me occepisse; ideoque, facile nouis iterum retentari posse difficultatibus. Sed vocor etiam in spem haud dubiam, fore, vt hi, penes quos est promo-

 uendi

a.) In præfatione PRODROMI: quorsum *Lectores* dimittimus consulto.

uendi operis facultas, inſpectis propius, conſilii mei rationibus, ponant tandem opiniones præiudicatas, quibus prohibebantur hucusque, ne, aut conferrent ſymbolas, aut excuterent lucubrationes, ſubmiſſas eo fine, vt reſcinderentur ſuperuacua, dubiis, ſubſtituerentur certa exploratague, adtexerentur incognita ac neceſſaria. Profecto enim, vix quidquam erat hactenus, quod conatus hoſce impediret efficacius, quam pernoſcendi laboris mei, admiſſa heic, atque illic, tarditas.

§. IV. Moleſtum id quidem, & mihi accidit, & his, qui commentariorum noſtrorum exſpectatione ſuſpenſi, moras iſtiusmodi ferebant impatientius. Sed quid agerem? in re, cui auerruncandæ, nihil penes me, ſiue opis, ſiue conſilii, reperiebam. Ergo, ſolabar, ſpe ſucceſſus in poſterum melioris, litteratos; me ipſum autem, erigebam, ſummorum virorum æquitate, quæ non obſcure, iam pridem ſpondere cœpit, fore, vt hæ quoque remoræ, elidantur aliquando, fiantque expeditiora omnia, quod vt ita eueniat, tam equidem cupio vehementer, quam qui vehementiſſime.

§. V. Iam dicendum paucis eſt, quid rei ſit, quaque fide & adcuratione elaboratum, totum id, quod volumine iſto, complexi ſumus. Nempe, HVNGARIAM *Cis-danubianam* edere ſuſcepimus; & in hac COMITATVM PISONIENSEM ante *omnia*: quem ita partiti (*b*) ſumus, vt nequiuerimus, ſeu diligentius, ſeu accommodatius, ad expromendas res prouinciæ, cum omnes, tum ſingulas. In ipſo ſcriptionis labore, non poterat non, cumulata hic eſſe materies; quando, quam deſignauimus regiunculam, & ipſi cognitam habemus, & quæ nos forte fugiebant, liberaliter ea ſubminiſtrata nobis ſunt, a ſituum peritis: vt cum alibi, rerum inopia laborauerimus perſæpe; heic, earum multitudine, propemodum obrueremur. Factum vero inde eſt, vt præter opinionem, in eam molem increuerint commentaria, cui capiendæ, *Tomus* præſens, haud ſuffecerit: fueritque neceſſum, partem eius, ſi poſitus ſpectes, potiorem, in ſequuturum proxime volumen, reiicere. Quæ res, excuſationem habitura eſt, apud *Lectores*, facilem æquamque, ſi exiſtimauerint, ita comparatas eſſe inſtituti

b.) Vide Procœmium, Patris Primæ Generalis, p. 1.

tuti mei rationes, vt non minutim, de *Hungaria*, ſcribendum putem; quod & multi fecere iam, & ſic ſatis feliciter; ſed copioſius, atque ad eum modum, ne quid facile elabatur, quod eſt ad res patriæ, cum phyſicas, tum ciuiles, illuſtrandas pernoſcendasque, neceſſarium.

§. VI. Quod ita elaboratum a me eſt, prouinciæ magiſtratibus, cum ea, qua par erat, obſequii teſtificatione, ad recognoſcendum permiſi. Ac fuere omnino, ea bonitate, vt publico in comitio, viros delegarent, non doctos minus, quam amantes patriæ, qui ſub incudem vocarent laborem, cauerentque, ne quid ſubreperet, quod eſſet, vel alienum a vero, vel coniunctum cum iniuria cuiusquam. Fecere illi, quod erant iuſſi, diligentia, qua poterant, adtentiſſima: vt mererentur omnino, quorum nomina heic legeret poſteritas; ſi ea comitate, modeſtiam optimorum virorum, auderem onerare. Pari ſolertia, vrbium quoque magiſtratus, hiſtoriam ciuitatum ſuarum, *Piſonienſes* in primis, & *Tyrnauienſes*, emendarunt, ac locupletarunt. Ita comparatum opus, qua benignitate, AVGVSTISSIMVS CAESAR, proſequutus ſit; quia ex clementiſſimo diplomate, quod ab *Excelſa Cancellaria Regio Hungarico Aulica*, perſcriptum eſt, palam fit; iamque tantæ bonitatis, in nuncupatoria epiſtola, meminimus; non putamus neceſſarium eſſe ad commemorandum.

§. VII. Aduertes vero hinc, *Lector erudite!* quantulacunque ſit opella hæc noſtra, quam ornandæ patriæ, hilares impendimus, arduam tamen eſſe, & cum diuturnioris moræ, tum multæ adtentionis, ſumtus autem plurimi indigam. Quare, rogandus nobis es, ne, ſi quæ porro, ex temporum, qua ſunt, malignitate, interceſſerit retardatio, eam noſtra committi culpa, credas. Profecto enim, id in præcipuis curis habemus, vt, quam concitauimus exſpectationem, ea nos, quantocyus exoneremus: id vero, quam optemus cupide atque ſerio, *alter*, qui nunc excuditur, *Tomus*, palam dabit.

§. VIII. Quod TE, præterea, moneam, non habeo, quam vt dictionis genus, quo vtimur, boni conſulas. Nihil vnquam refugio magis, quam adfectatam orationem; ſed nihil

 etiam

etiam elaboro diligentius, quam vt verbis vtar propriæ ſignificationis, atque eo comparatæ, vt rerum, de qua ſcribitur, indoles, penitus expromatur. Itaque, adhibenda ſæpe fuerunt vocabula, non quidem vbique obuia; ſed, quod ſciam, pura, & petita ex iis fontibus, vnde, pro rerum natura, demanauerunt. Eſt hoc enim, in exterorum quorundam criminationibus, non poſtremum, vt accuſent barbariei *Hungaros*, latine volentes, ſeu dicere, ſeu ſcribere. Non equidem auſim, hoc, quidquid ſit, veri fictiue criminis, *noſtrorum* cuiusquam exemplo refellere; dicam tamen oportet, non deeſſe, & in iis regionibus, quæ ſunt litteris percultæ, doctos, quibus CICERO, & huius æquales, pollicem minus preſſerint, quam *Hungarorum* non plane nullis.

§. IX. Ad ſcriptores, quorum auctoritate, noſtras commentationes, locupletauimus, quod adtinet, ſilendum haud putaui, quid ea in re conſilii ſequutus ſim. Animo ſedit, talem exhibere HVNGARIAE faciem, quæ vno obtutu, & venuſtatem referat, qua fuit olim, & maculas, quibus deformata eſt poſtea. Id volo: nihil ſcribendum exiſtimaui deſultorie; ſed ad eum modum omnia, ſicuti id, tot retro ætatum, & præſens nunc habitus, requirit. Quam ob rem, elaborandum mihi, & in his fuit, quæ multis, aut minuta videbuntur, aut certe ſuperuacua. Singula *vero*, quo erant ignotiora, eo magis, *auctorum*, & qua ſe dabat facultas, *diplomatum* teſtimoniis, fideque, adfirmari oportuit: partem, vt dictis conſtaret veritas; partem, vt his conſuleretur, quibus; vel non vacat reptare per auctorum monumenta; vel certe non licet, ob rei librariæ inopiam.

§. X. At enim vero, fruſtra ſim, ſi velim tela nondum præuiſa, retundere. Erunt credo, quibus non diſplicebit, operoſa hæc, quam patriæ honeſtandæ impendimus, diligentia, labor & adcuratio; ſed erunt quoque, qui æſtuabunt ira, quod homo tenuis, vmbraticus, neque vlli, quam ſibi ipſi cognitus, tanti moliminis elucubrationem, auſus ſit occipere. Illos equidem non habeo, quod rogem aliud, quam vt, conatus hoſce meos, ita metiantur, ſicuti ſunt comparati; hoc eſt: non fauore gratiaue, ſed iudicio. Iſtos, maiorem in modum deprecor, ne tam mihi parcant, quam

quam ſibi. Didici, omne genus hominum, ferre patienter, ac cauillatorum maxime. Itaque, ſi hæc mea voluerint, dente Theonino adrodere; magis me mutum experientur, quam marpeſiam cautem: niſi prorſus famam, eximium, honeſtarum actionum, præmium, ſuſceperint inſectari. Monitiones, horum illorumue, modo abſint a bile & acerbitate, atque adtineant quomodocunque, ad res patriæ, magis magisque illuſtrandas, in lucris deputabo. Quis enim, in tanta ſcriptionis, & multitudine, & varietate, immunem ſe auſit prædicare ab errore? Suffecerit, animum, a falſi contagione, purum adſeruaſſe, & intaminatum. Quod ſimul eo dictum volo, vt credant, noſtræ, futuræque ætatis homines, numquam mihi veniſſe in mentem, vt adrogem commentariis meis, præter hiſtoricam fidem, amplius.

§. XI. Multa ſuperſunt in rebus Hungariæ, partim inuidia exterorum corrupta, adductaque in odium; partim noſtrorum neglecta oſcitantia; ſed etiam pleraque, tenebris obſita adhuc, & luctantia cum obliuione: pronum ergo eſt, in earum enarratione, & tunc labi, cum minime cogites. His vero næuis, ſi vellent, ſeu alienigenæ, ſeu ciues noſtri, medelam adferre, detergere fabulas, adſerere certa, explicare dubia, incognita retegere; &, cum naturæ miracula, (quæ *ſane multa* ſunt in Hungaria, atque inuſitata,) tum actus gentis vniuerſæ, *penitus explorare*, & iuſtis commentariis, in litteras mittere: id vero, æternis *dignum laudibus*, exiſtimauerimus. Nobis, *Iſthmum* hunc adtentauiſſe, ſatis eſt: viderint, vt eum perfodiant poſteri. Sed de his ſatis.

§. XII. Supremum eſt, vt his gratias agam: cumulatiſſimas, quorum fauore incomparabili, labore item, & collatis ſymbolis, quin liberalitate etiam, profeciſſe me, recordor. Sunt in his, ſummi viri, quosque, vel nominaſſe vetat, vti magnitudo dignitatis, ita paruitatis meæ conſcientia. Erit aliquando locus tempusque, quo id adparatius opportuniusque, præſtare connitemur. Vale, amice Lector! & HVNGARIAE noſtræ bene precabere: nos autem, ſi voles potesque, iuua; ſaltem non impedi, honeſta conantes. Piſonii. A. MDCCXXXV. XVIII. Calendas Maii.

THEOPHILVS SIGEFRIDVS BAYER,

ACADEMIAE PETROPOLITANAE SOCIVS,
ET ANTIQVITATVM PROFESSOR,

S. P. D.

MATTHIAE BELIO,

Societatis Scientiarum Berolinensis Regiæ Collegæ,
HVNGARIAM DESCRIBENTI.

BELI, *vetustum Pannonii soli,*
Omnisque vultum temporis, & vices,
Et fœta bellorum quod arma, &
Carpathios recolis tumultus,

Et barbararum nomina gentium,
Quotcunque dudum puluere Thracio,
Vel Pannonum fœdæ cruore,
Per memores viguere fastos.

Prisci labores orbis, vt inuidi
Carpent; ita insignis meriti decus
Crescet, recenti cum bonorum
Laude, per ora manusque seri

Aeui. Legentur factaque Amazonum,
Et res Philippi, *vel patre filii*
Maioris audaces, Triballis,
Illyriisue Scythisue pulsis.

Succedet AVGVSTO *spoliis graui,*
Et Dalmatarum & Bistonium, tuus,
De Sarmatis, TRAIANE, *victis,*
Et Dahicis populis triumphus.

Iam Cæsarum diuersa pericula
Casusque, Romanæ vrbis ad incitas,
Fastigio ab summo, redactæ,
Præcipiti subitos ruina.

Illa

Illa legemus, ducta ab origine,
Postquam Getarum sera potentia
Istrumque paullatimque maior,
Aerias superauit Alpes,

Iactata sæuis vndique & vndique
Fati procellis, Hunnus *vt in nouas*
Successit ab Volga *remoto*
Et Tanai *truculentus oras.*

Districtus ensis, nomen & ATTILAE
Terrebit orbem; sed Catalaunica,
Heroe multa strage fuso,
Prælia spem pauidis reducent.

Quorsum vetustis immoror? & truces
Sermone diducto sequor Hungaros,
Germaniæ crebro tumultu
Bella suis opibus cientes,

Vel prisca Regum nomina, vel viros
Virtute celsa laudeque nobileis,
Quos, docte BELI! *obliuioni*
Eximis, & patriæ reponis.

Festinat, immensa AVSTRIACAE DOMVS,
Omnesque magnis, gloria passibus
Post se relinquens, in theatro
Conspici: vbi LEOPOLDVS *Ingens*

Multa legetur pagina, & omnibus,
Aucta legetur CAROLVS *imperi*
Regnique maiestate, maior:
Qui veteres reuocauit artes,

Ianum Quirini clausit, & æmulum
Excessit AVGVSTVM. *Aurea secula,*
Custode rerum continentur
CAESARE. *Non mihi vel metalla,*

)( )( )(

Quæ

Quæ diues antris terra recondidit,
Vel quæ ferat miracula, nunc refer,
Natura; nam ſpectator adſum
Cæſareorum operum. Flagrantes

Oſtende terras, fulmine CAESARIS
Sæui furoris vindice: vindicem
Da dextram, quæ tot cateruas
Contudit indociles domari.

Inuicte CAESAR! *quis locus eſt tuis*
Quacunque inacceſſus legionibus?
Quæ ferre poſſit vis ruentem
EVGENIVM *medios per igneis?*

Non ſolus vrbem Fuluius *arduis*
Obſepſit armis, Hannibalem *ſimul*
Armis repreſſit, quo rebellem
Imperio Capuam *teneret.*

Quæ bella MAGNI *grandia* CAESARIS
Cum ſcribis, almæ pacis & artibus
Late nitentem, cum recenſes
Eloquio vbere, iudicamus

BELI! *beatum* TE; *ſed o vnice*
Feliciorem! pagina CAROLVM
Extrema, ſi nobis cupita
Progenie referet PARENTEM!

PETROPOLI, ex Aedibus Academicis, A. MDCCXXXIII. VIII. Kal. Nouemb.

PRIVILEGIVM CAESAREO REGIO HVNGARICVM.

NOS CAROLVS SEXTVS, Dei Gratia Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus; ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæque &c. Rex; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Luxemburgi, Wirthembergæ & Thekæ, Superioris ac Inferioris Sileſiæ; Princeps Sueuiæ; Marchio Morauiæ; Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, Vniuerſis. Quod poſteaquam Fidelis Noſter MATTHIAS BEL, Notitiæ Hungariæ Nouæ Geographicæ Author, Maieſtati noſtræ humillime repræſentaſſet, qualiter eadem *Notitia Hungariæ nouæ Geographica*, plus quam Decumano Labore, ſumptu autem Priuati Hominis fortunas longe ſupergrediente elucubrata, hic Viennæ in Typographia, maiori in folio & charta Regali imprimi cœpta eſſet; Et ſiquidem Idem Author metueret, ne Opus hocce adeo pretioſum, & tam Laboris, quam Impenſarum ingentium, a Maleuolis, & alieno Honori ac Lucro inſidiantibus, vel integrum, vel per partes, vel etiam redactum in compendium, aut in alias Linguas verſum, & interpolatum reducatur, taliterque non ſolum Ipſe Author, ſed etiam Bibliopola, ſperato Laboris & ſumptuum fructu excidant & fruſtrentur, quin immo ipſum quoque prænotatum Opus ſumma diligentia elaboratum erroribus fœdetur. Hinc dictus Author, MATTHIAS BEL, Maieſtati Noſtræ in eo humillime ſupplicauit, quatenus præfatam Notitiam Hungariæ Nouæ Geographicam, in quatuor partes diuiſam & in Tomis Sex prodituram, benigniſſimo priuilegio noſtro, eum in modum, vt nemo ſiue Spiritualium, ſiue Laicorum, ſiue Nobilium, ſiue Ignobilium, eruditorum vel rudium, Bibliopolarum, Bibliopoegorum aut Typographorum, denique quorumcunque Inſtitorum aut Veteratorum, memoratam *Notitiam Hungariæ Nouæ Geographicam*, *totam vel per* partes, in Compendio, vel in alias quascunque Linguas translatam interpolare, *Typis denuo* exprimere, vel alibi impreſſam, in Regna noſtra Hæreditaria, atque Hungariam *inprimis*, Eidemque annexas Partes, ſine Eiusdem Authoris aut Hæredum Ipſius præſcitu, *inuehere & vendere* auſit, clementer munire dignaremur. Hinc NOS, prænotati Authoris demiſſa ſupplicatione clementer permoti, ac benigne etiam perſpectum habentes graues ſumptus, pro elegantiori Typo mandando prænotato Opere, requiſitos, non aliunde, quam ex prænumerationibus haberi poſſe, id Eidem Authori, MATTHIAE BEL, Eiusdemque Hæredibus, de Cæſareo Regiæ Poteſtatis noſtræ plenitudine & Gratia Speciali clementer annuendum & concedendum eſſe duximus, quatenus Iidem prædeclaratum Opus Notitiam Hungariæ Nouæ Geographicam in ſe continens, libere imprimi, diuendi, & diſtrahi facere, hocque benigno Indulto, & Annuentia noſtra, tam Idem Author, MATTHIAS BEL, quam & præmentionati Eiusdem Hæredes, per decem integros Annos vti, frui & gaudere poſſint ac valeant. Nemini autem e contra, ſiue Spiritualium, ſiue Laicorum ſiue Nobilium, ſiue Ignobilium, eruditorum vel rudium, Bibliopolarum, Bibliopoegorum, aut Typographorum, denique quorumcunque Inſtitorum aut Veteratorum, memoratam Notitiam Hungariæ Nouæ Geographicæ, totam vel per partes, in Compendio, vel in alias quascunque Linguas translatam, interpolare, Typis denuo exprimere, vel alibi impreſſam, in Regna noſtra Hæreditaria, atque Hungariam imprimis, Eidemque annexas Partes, ſine Eiusdem Authoris, & Eiusdem Hæredum præſcitu, inuehere & vendere, tempus intra præmiſſum, palam vel occulte, ſub pœna confiſcationis eiusmodi Exemplarium, ac præterea decem Marcarum Auri puri, in vna Fiſco noſtro Regio,

in altera vero medietate Eidem Authori, vel Ipſius Hæredibus, applicandarum, licitum ſit, aut permiſſum. Prouti clementer annuimus, & concedimus, ac ſerio & firmiter inhibemus, præſentium per vigorem. Quocirca vniuerſis & ſingulis cuiuscunque Status, Gradus, Honoris, Officii, ac Præeminentiæ Fidelibus noſtris, vbiuis in prærepetito Regno noſtro Hungariæ, Partibusque Eidem annexis conſtitutis, & commorantibus, ſignanter vero Comitatuum quorumcunque Supremis & Vice-Comitibus, Iudicibus Nobilium, & Iuratis Aſſeſſoribus, ac totis Vniuerſitatibus, prout & Regiarum ac Liberarum Ciuitatum noſtrarum, aliorumque Locorum Priuilegiatorum Iudicibus, Iuratisque Ciuibus, & Senatoribus, ac Ipſis Communitatibus, præſentium noſtrarum notitiam quoquo modo habituris, harum ſerie benigne committimus & mandamus, quatenus mentionatum Authorem, MATTHIAM BEL, Eiusdemque Hæredes, in impreſſione & diſtractione prælaudati Operis, intra præſpecificatorum decem Annorum Spatium, nullatenus turbare, aut impedire præſumatis, vel ſitis auſi, modo aliquali; quin potius Eundem & Eosdem hacce benigna Conceſſione & Indulto noſtris, tempus intra præmiſſum libere & absque omni impedimento, vti, frui, & gaudere permittere, alios vero, qui eiusmodi Opus imprimere, vel aliunde inducere attentarent, ab eiusmodi impreſſione, & inductione, multo magis vero diſtractione, ſerio, & ſub Pœna ſupranotata prohibere, Ipſique Authori, MATTHIAE BEL, & Hæredibus Eiusdem hoc in paſſu toties quoties neceſſum fuerit, Authoritate etiam Magiſtratuali aſſiſtere, modis omnibus debeatis & teneamini. Secus non facturi. Præſentibus perlectis Exhiben. reſtitutis. Datum in Archiducali Ciuitate noſtra Vienna, Auſtriæ, Die vigeſima Sexta Menſis Iulii, Anno Domini, Milleſimo, Septingenteſimo, Trigeſimo quarto. Regnorum noſtrorum, Romani vigeſimo tertio; Hiſpaniarum Trigeſimo primo; HVNGARIAE vero, Bohemiæ & reliquorum, Anno vigeſimo quarto.

CAROLVS.

Comes Ludouicus de Batthyan.

Elias Wanyeczy.

SAMVELIS MIKOVINII
NOB. HVNGARI
Societ. Regiæ Scient. Boruſſ. Membri,

DE

MAPPIS SVIS AD LECTOREM MONITIO.

SVnt multa & grauia *Bonarum Artium*, impedimenta, quo minus poſſint, fructus in humanam ſocietatem, pro eo atque neceſſe eſt, propagare. Sed nocentius vix vllum dixeris, quam eſt, ſordida illa cupido lucri, quæ increſcentibus artibus, ipſa ſimul extra modum increuit. Cum enim apud bonos & cordatos viros, maximum ſit lucrum Scientiæ & Artis, Ars ipſa Scientiaque: vulgus, in ſordes natum, tametſi doctum, praua ſua cupiditate, rapitur in transuerſum, vt cum propoſitam ſibi habeat, non publicam, ſed priuatam vtilitatem, ita in Scientiis Artibusque verſetur, vt vel ſoli famæ populari, vel auaritiæ velificetur.

Exempla, in ſuo cuique Artis genere haud defutura credo. Diuinæ certe Mathematum ſcientiæ, quæ cauſſarum inueſtigatione, in iisque latentium veritatum demonſtratione, humanas reliquas antecellunt, eodem hoc cacoethe non carent.

Præterquam enim, quod calculatores, agrimenſores, vitri politores, Calendariorum exſcriptores, ſtructores, ſculptores, machinarum fabros, huiusque generis plures; *Arithmeticorum*, *Geometrarum*, *Opticorum*, *Aſtronomorum*, *Architectorum*, *Mechanicorum*, *Mathematicorumque* nominibus, ornare & colere ætate noſtra in morem abierit; *Mapparum Geographicarum* vulgarium inepti indoctique illi molitores, lucri magis, quam artis ſtudio, ad eas operas allecti, *Geographorum* nomen adeo ſibi vindicant, vt quod, ſuis meritis adſequi nequeunt, publica *id auctoritate* ſibi tribui poſtulent: quod & conſequuntur non raro, tanto vulgi cum adplauſu; vt *Mathematicos*, operis *Geographicis* manus admouere, iam tædeat, ne forsan in horum collocati ſubſelliis, *eiusdem* eſſe farinæ exiſtimentur ab imperitis. Vt vero, ab his impoſtorum chartis, picturisque, ſicuti æquum eſt *Mappas*, illuſtrando Operi huic expectatiſſimo concinnatas, diſcriminem, quid vniuerſim de tabulis Geographicis ſentiam, paucis exponam.

PRIMVM quidem Genus Mapparum conſtituimus ἔξω πάσης τῆς ἀυλοψείας, procul omni oculata fide, dum ſolummodo narrationi, deſcriptioni, aut fictioni aliorum, vel propriæ innixæ conduntur Mappæ. Harum congeriem, auctores ſui, Atlantem appellant, forſan quod plus, quam Giganteos labores, auſu temerario mentiri nil dubitent. Quod faciunt ſane & quidem adparatu tanto, vt nulla orbis habitabilis, aut inhabitabilis, Scythica, aut Paradiſiaca reperiatur regio, quæ hic, ſi Diis placet, adcuratione ſumma expreſſa non ſiſtatur. His qui pari adcuratione vti vellet, fidem cum chartis mercetur oportet. Ne tamen penitus genus hocce a Geographia excludere videamur, locum ei inter ſomnia Geographica, ſi ita velint, concedimus.

SECVNDVM *Mapparum genus* ponimus, quod ſit κατὰ τὴν ἀχειμερεγλην ὄψιν. Quas homines, Regionum quidem, ſed non Geometriæ gnari, aut Geometræ ipſi, nulla menſurarum habita ratione, ſolo ſenſuum iudicio contenti conficiunt. Hæ, prio-

)( )( )(

res

res eo antecellunt, quod si non Mappæ, ideæ tamen Mapparum dici, & dum est meliorum inopia, ad formandas Regionum species adhiberi possunt quomodocunque.

Tertivm *Mapparum genus* nobis est *Geometricum*; quod adhibita omni adcuratione Geometrica, locorum situs, distantias, regionum facies, exacte demonstrat. Ad vsus nihilominus Astronomicos, Geographicos, Nauticos, vel Historicos, ob neglectas locorum veras latitudines & longitudines, plagasque mundi, insufficiens est. Huc referuntur omnes regionum, & districtuum singulares Mappæ, ad regulas Planimetricas elaboratæ, solique vsui militari, vel œconomico, destinatæ.

Qvartvm *Geographicum*, uel *Astronomico-Geometricum*, omnibus numeris perfectum *Mapparum genus* est; quod non solis Geometricis dimensionibus, sed Astronomicis quoque obseruationibus innititur, vniuersisque tam scientiarum, quam vitæ communis vsibus, exacte respondet, atque satisfacit. Hoc Mapparum genus, vti optimum, ita rarissimum est; & si conatus Acad. Scient. Regiæ Parisiensis Picardiano-Cassinianos, & non nullos Nordwoodi Anglicos, Schneliique Hollandicos excipias, vix non exemplis destitutum. Multi quidem Mathematicorum desudarunt, in operis Astronomicis, multi in Geometricis, at pauciſſimi in vtrisque simul.

Mappæ, quas illustri huic Operi inserimus, qua concinnatæ sint methodo, ante triennium, in Epistola ad celeberrimum Auctorem data, explicuimus. Quæ, ne forte lectores lateat, summa eius capita hic recensebimus. Omnium operationum nostrarum fundamenta, constituimus quatuor. Præcipua duo, *Astronomicum* & *Geometricum*, duo autem sequiora, *Magneticum* & *Hydrographicum*.

Fundamentum Primum Astronomicum, locorum latitudines, longitudines, & ad plagas Mundi positiones, ex Astrorum obseruationibus deductas, nobis suppeditat. *Latitudines* plerumque deriuamus ex *Altitudinibus* solis, vbi id quidem licuit, sæpius obseruatis. Quarum hic adnectere seriem, necessarium non videtur. Eas, qui desiderabit, Mappas consulat, in quibus loca singula, in suis *Latitudinum, Longitudinumque* gradibus, posita deprehendet. Si tamen e re cuius visum fuerit, obseruationes quoque ipsas haud *inuiti communi*cabimus. In numerandis *Longitudinum* gradibus, *neglectis* Geographorum, de Meridiano primo dissensionibus, a *Meridiano Posonienſi*, ortum vel occasum versus, initium sumimus. Optandum sane esset, vt tandem inter Astronomos, & Geographos conueniret aliquando, de Meridiani primi termino, qui consultius forsan, in celebri obseruatorio quodam publico, vbi continuæ instituerentur obseruationes, Ephemeridumque instar, annis sequentibus euulgarentur, quam in paucis cognitis, incultis, Fortunatis, aut Infortunatis Insulis constitueretur. Inter nostrum *Meridianum primum Hungaricum*, quem *Posonii* ponimus, & celebriores Europæos, dum & plures obseruationes congerere, & cum aliorum industria, eas conferre licuerit, *Differentiam* exacte determinabimus. Ne autem interea, *Lectores* suspensos reliquisse videamur, ex nonnullis *Eclipsium*, *Lunarium* inprimis, obseruationibus deduximus,

Differentiam Meridiani Posonienſis,

		H.	/	//	
A	*Parisiensi*	1	0	0	Ort. versus.
	Noribergensi	0	24	0	Ort. v.
	Bononiensi	0	20	0	Ort. v.
	Berolinensi	0	15	0	Ort. v.
	Viennensi	0	3	30	Ort. v.
	Petropolitano	0	52	0	Ort. v.

Hæc nihilominus, auctoritate plurium obseruationum perpoliendi, confirmandi, aut emendandi vt penes nos sit facultas, rogamus Lectores beneuolos.

Instrumentis in obseruationibus domi nostræ *Posonii* & in itineribus vtimur, ad capiendas Syderum altitudines, *Quadrante* radii tripedalis, e metallo solidiore confecto, *Tubo Astronomico*, & limbo in minuta prima singula exacte, in dena vero secunda collimatiue subdiuiso, instructo. Ad *Obseruationes* autem *Ecclipsium*, Tubos, domi, pedum triginta, in itineribus quindecim, aliosque minores promiscue, adhibemus: *Immersionum* autem, vel *Emensionum* momenta, ex altitudinibus Syderum definimus.

Locorum autem, in quibus Astronomicas obseruationes instituendi occasio non suppetit, *Longitudines* & *Latitudines*, ex sola Geometrica dimensione, & cum aliis, iam Astronomice cognitis, collatione determinamus. Quod vt fieri possit, plagarum Mundi vbique exquisitam habemus rationem. Eumque in finem *Lineæ Meridianæ* inuestigationem modis Astronomicis, ex *Altitudinibus* ante, & pomeridianis, non neglecta, medii temporis, declinationis variatione, in punctis extrasolstitialibus, immo & ex vnica quacunque *Altitudine solis; Amplitudinibus* item *Ortiuis* & *Occiduis*, nec non *Syderum circumpolarium digressionibus*, frequentius iteramus. Vbi vero, recensitos modos, brevitas temporis non admittit, etiam instrumento, ex principiis sphæricis, a nobis inuento & confecto, ex dato quocunque Cœli puncto visibili, cum sua declinatione, in loco quouis, notæ Altitudinis Poli quocunque tempore, *Lineam Meridianam* satis adcurate obtinemus.

Fundamentum secundum, *Geometricum*, maiorem operarum nostrarum conficere *partem* propalam est. Dimensionem totius Regni exorsi sumus, a limitibus *Austriacis, atque* Morauicis, eminentioribus montium cacuminibus, arcium, templorumque turribus, *aliisque locis aptioribus* in stationes delectis. Ex quibus angulos inter loca quæuis conspectui obuia *Instrumentis Goniometricis* notamus; Sicque ad alias, e prioribus conspicuas concedentes, repetita operatione, radiis & angulis vndiquaque collectis, nexu *continuo infinita formamus* triangula. Quæ, vt ad mensuram ciuilem reducantur, pro commoditate loci, plurium latera, catena mensoria exploramus. Hacque ratione fit, vt *Operationes Geometricæ* ita connexæ, tam semetipsas mutuo, quam *Obseruationum Astronomicarum* cum illis, & inter se collatarum, magnitudinis graduum terrestrium definita mensura, veritatem examinent, confirment, atque demonstrent: *Graduum* autem *Magnitudo*, mensura ab Academia Scientiarum Parisiensi Regia, regiis illis celebribusque dimensionibus determinata, cum inter eosdem a *Gradu Latitudinis* 45. vsque ad 50. versemur *Parallelos*, neglecta inter vnum alterumque gradum medii minuti primi differentia, quam ob instrumentorum nostrorum exiguitatem, & priuati apparatus tenuitatem, aliquando euitare non possumus, hac tenus satis bene respondit. Sed, de his, si quando fauentibus fatis, totius Regni, quod intra quinque Gradus Latitudinis & septem ferme Longitudinis, positum est, dimensionem absoluere licuerit, certiora statuere conabimur.

Ita progredientes, quanta nihilominus in proiectionibus segmentorum telluris *Sphæroideæ* vel *Sphæricæ*, in *Mapparum Planis* formandis, excipiat difficultas, *Geographos* non latet. Quæ si segmenta sint maiora, vel plane *Hemisphæria*, insuperabilis euadit. Vt enim omnes *Meridiani*, *Parallelis* nominales fiant, in hisque graduum mensura *Polos* versus, proportione iusta decrescat, distantia adhæc locorum adæquata maneat, in plano obtineri nequit. Omnes idcirco adcuratiores *Mappæ Geographicæ*, non in planis, verum in superficiebus sphæricis describi deberent. Nos, quia primo speciales Comitatuum Regni Hungariæ damus Mappas, memoratas difficultates facilius superamus, in generali vero, quod forsan in *Proiectione* desiderari posset, *Tabulis Longitudinum*, *Latitudinum*, *Positionum* & *Distantiarum* supplebimus.

Fundamentum operationum nostrarum *Tertium*, *Magneticum*, sequius illud, ad facilitandum magis alibi, quam perficiendum opus spectans, obseruationibus situs locorum, ad directionem *Acus Magneticæ* examinatorum, constat. *Declinationem* præterea *Magneticam* sedulo notamus. Quæ *Posonii*, & in locis vicinis, est graduum 12. 30. Occasum versus: in qua toto decennio, nullam sensibilem mutationem animaduertimus.

Fundamentum Quartum Hydrographicum, generi priori simillimum, ponimus, quo alueos & mæandros fluuiorum nauigabilium, distantias temporis, suppositio, vel eruto vnius minuti primi motu nauis æquabili momentis; situs autem, acu magnetica determinantes, consignamus. *Posteriora* interim hæc duo *Fundamenta* sola nunquam, verum cum prioribus semper coniuncta, in locis conspectui minus expositis, adhibemus.

In exteriori Regionum forma, naturalique facie designanda, methodum *Orthographico Ichnographicam* pressissime sequimur. Locorumque imprimis, eleuatiorum vel humiliorum, non prospectus perpendiculares, vti vulgo fieri solet, sed *Proiectiones* planas, Horizontales, montium colliumque ductus, cacumina, iuga, iisque interiectas valles & conualles, campestria item, *paludosa*, plana, aut syluis obsita spatia; fluuiorum ductus, *digressiones*, corriuationes, insulas & lacus, viarum denique & *pontium vestigia*, arcium, vrbium, vicorumque veras *positiones* & dispositiones, naturali facie repræsentata, sistimus.

Priuatæ primum hæ fuere destinationes, sed quas publicas Caesaris Avgvstissimi Clementia fecit; dum totius *Regni Hungariæ Dimensionem*, non modo indulsit mihi, sed demandauit etiam, *Statibusque Regni* eam hanc voluntatem suam, benignissime intimauit. Ea *Sacratissimi Principis* voluntate, & sua erga bonas artes propensione ducti, *Status* & *Ordines Regni* gratiose secundarunt & secundant adhuc nostros labores.

Hac, post *Diuinam*, gratia freti, inceptum, magnaque sui parte perfectum opus, consummare, datamque sancte fidem, ita liberare connitemur, vt, singulos nitidissimi Beliani *Operis Tomos*, totidem *Mappæ* comitentur, quot erunt descripti *Comitatus*. Quod dum Deo, Caesareque propitio pergemus facere, Tu *Lector Erudite*, non minus, vasti huius Operis *Auctori*, quam mihi, fauc. Posonii, Anno MDCCXXXV. XVII. Calendas Maii.



N. B. Belau del. Andreas et Ioseph Schmuzer sc. Viennæ Austriæ

COMITATVS POSONIENSIS,

PARS GENERALIS.

PROOEMIVM.



VNGARIAM CIS - DANVBIANAM exhibituris, præter opinionem accidit, vt in eam molem excreſceret vnius *Comitatus* deſignatio, quæ volumen integrum expletura iam eſt. Nempe, animus erat, tres minimum prouincias citeriores, eodem hoc faſce complecti; *Piſonienſem*, *Nitrienſem*, atque *Barſchienſem:* quippe, ſibi ipſis collimitaneas. Sed, cum poſteriores hæ, nondum ſint penitus recognitæ; ſitus autem regionis, noluimus perturbatos; hæc, de *Comitatu Piſonienſi* com-

mentaria, ad eum modum adornari oportuit, vt *Tomum Hungariæ*, quam diximus, *Cis-Danubianæ*, primum absoluerent. Quæ consilii rationes, tametsi, non tam a nostro lubitu, profectæ sunt, quam a necessitate; habent tamen excusationem, longe omnium æquissimam. Quia enim, PATRIÆ describendæ laborem, a *Pisonienſi Comitatu* exordimur; dandam nobis operam putabamus, vt diligentia, haud superuacua, res, cum vniuersim, totius prouinciæ, tum vrbis Pisonienſis maxime, expromeremus. Hoc autem, vti, pro eo, ac decet, a nobis fieret, viam ingredi placuit, expeditam, neque non placituram Lectoribus doctis, & alienis ab *opinionibus præiudicatis*. Ita vero instruximus commentationem omnem, vt partibus ea duabus, *Generali* altera; altera *Speciali*, conficiatur. Illa, *Physicam*, iuxta & *Politicam*, Comitatus notitiam exhibet. Hæc, per singulos *Processus*, quos vocamus, & horum *Vrbes*, *Arces*, *Oppida*, *Castella*, *Vicosque*, diffunditur. Vtrumque, quam bene succesſerit, Lectorum erit, procul odio gratiaue, diiudicare. Nobis certe, methodus hæc tantopere se adprobauit, vt *nihil dubitauerimus*, *Comitatus* vniuersos, ex eius præscripto designare: cura quidem & studio, vbique suppari; sed, pro rerum prouinciarumque habitu, parciore multo adparatu. Iam, ad rem ipsam, bono cum DEO, veniamus.

SYNO-

MEMBRVM PRIVS, PHYSICVM,

De

Situ, Natura, & Opportunitatibus Comitatus Posonienſis.

SYNOPSIS.

COMITATVS *nomen, ab vrbe, petitum: eius, circumquaque, limites: ambitus, longitudo, ac latitudo: ſitus amœnitas.* §. I.

Montes *regionis*, Carpathi *ſunt exordia: eorum iucundi poſitus: latera, quibus rebus, inſignia: orientalis opportunitates: occidentalis habitus: arborum varietas: feræ: caluities, pabuli feraces: fontes, & riui perennes: quam longe procurrant: quæ transmittant itinera?* §. II.

Siluæ, ac *nemora: & cis montes: Lintauæ laus: inſulanum ſiluoſi receſſus: arbores fructiferæ.* §. III.

Campeſtris regionis indoles, trium generum: Tyrnauienſis commendatio: depreſſioris alterius incommoditates: inſulani natura: pabuli, & fœniſeciorum vbertas. §. IV.

Flumina maiora:

I. DANVBIVS, *vbi adfundatur Hungariæ, & noſtræ regioni: arci item, & vrbi* Piſonienſi: *finditur varie: quas moliatur inſulas: alueus medius, vbi e regione exeat? ſiniſtri tramites & decurſus: exitus vtriusque: eluuiones* Danubii, *aggeribus coerceri nequeunt: quos alat piſces; eorum, per lacunas, quas fecit, captura: habet arenas auri feraces: natura aquarum* Danubii:

II. MORAVVS, *fluminum alter: eius ortus, & illapſus in Hungariam: vbi cum* Danubio, *confluat? eius piſces, laudatiſſimi guſtus: exundationes noxiæ: quibus rebus nobilitatus ſit* Morauus: *eius, cum* Odera, *committendi conſilium:*

III. VAGVS *vnde, ſe regioni noſtræ infundat: qua teneat curſum: eſt ratium patiens: non item nauium: cum* Odera committi *nequit: quam ſit eluuionibus damnoſus regioni: eius piſces: traiectus.* §. V.

Minores fluui: DVDVAG, *vnde accedat, & cur ita dicatur? qua decurrat? quosque hauriat fluuios? miſcetur Danubio: ad exundandum facilis:* Blawa, *Nitrienſium amnis, regionem noſtram ſtringit: eius natura:* Tyrnæ *capita: interluit vrbem cognominem: mergiturque Dudvâgo:* Padlá-Woda: Parná, *tenuis amniculus:* Gidræ *ortus: decurſus: exitus.* Viſztukenſis *riuus:* Siſciæ

fontes: procurſus: alit fundulos, & qua eſt limoſior, flutas: amniculus Bazingenſium: *eius fontes, & acceſſiones:* Grünauienſis, & Szent-Györgyenſis, *riui: nigra aqua.* §. VI.

Amnes, vltra montes: Rudawa, *riuus Detrekőienſis: Szoloczniczenſis: Papyraceus: eius fontes inuſitati: adſtructa piſcium ſeminaria: Rarbachienſis: Konyhenſis: Pernekenſis: Almáſienſis: Zoborienſis: Fluuius Stomphenſis, & huius ingenium, viuaria trutarum: Piſcinæ commodiſſime inſtitutæ: auctoris vota.* §. VII.

Fontes perennes: acidularum, & thermarum, inopia, quibus rebus penſetur: balnea, in aquis Danubii, ſunt ſalubria: fons, Szent-Györgyenſis, *ſulphuroſus:* Stomphenſis *nitroſus:* Bazingenſis, *neglectus: aquæ Csallóközienſium puteales.* §. VIII.

Aeris temperamentum, prope ad montes ſaluberrimum: non æque laudabile ad lacunas: quo ſit ingenio, trans montes. §. IX.

Regionis fertilitas: panis præſtantia, & frumenti copia: cura granariorum: triturandi adcuratio: cur inſtitores, frumentum Hungaricum aſpernentur? §. X.

Vini prouentus: Szent-Györgyenſis *laus: & decreſcentis famæ, cauſſæ:* Rétsenſe, *quo auctore innotuerit: ſuppar ei* Prátsenſe: Bazingenſium, *& quæ ſunt vicina, laus: quo loco* Piſonienſia *ſint habenda?* Modrenſia, *reliqua.* §. XI.

Hortorum ratio: conſeruntur ad vineas: caſtaneta: inſulæ pomiferæ: viridaria: Királyfalvenſe: Csekléſienſe: *horti olitorii, & horum prouentus: peponum vbertas,* Coberi, *de iis, ſententia, confutatur: adprobantur.* §. XII.

Phaſianorum *viuaria: luxus Romanorum, dignus animaduerſione: non item, noſtrorum prouidentia: lege præmunita: Phaſianus, auis Hungariæ vernacula.* §. XIII.

Venatio, *quomodo ſe habeat? apud* C. Pálffyos: *inter nobiles: ferinæ, poſt latam, de venatione, legem, vilitas: ferarum nimietas, agris noxia: piſcationis iura:* §. XIV.

Res pecuaria: *eius, pro ſituum ratione, varietas: pecus* Helueticum, *nuper illatum regioni: ouium genus duplex: Hungaricarum natura: ſuum educatio parcior: equorum cura, qualis:* §. XV.

Apiaria: & Auiaria *domeſtica.* §. XVI.

Antra Stomphenſia: *prioris habitus, & amniculus trutarum patiens: alterius ſitus, & anfractuoſi meatus: ſpecus* Szomolanenſis: *item,* Bazingenſes: *vnius ratio: facetus luſus, illic editus: dignus, qui cuniculo, ſuffoderetur.* §. XVII.

§. I.

§. I.



POSONIVM, vel, ſi antique mauis, PISONIVM, vrbs vetus, & Romanæ originis, toti circum prouinciæ, nomen impertiuit. Ita BONFINIVS: (*a.*) *Piſonienſi conuentui,* (hodie *Comitatum* dicimus) *vetuſta ciuitas, nomen dedit, quæ a* PISONE, *qui Thraciam domuit, (vt* FLORVS *ait) nomen adſumſit, cum in Myſiis, & Pannoniis, verſaretur.* Luculentius id, in hiſtoria vrbis, diſputabimus. Regio, qua in meridiem ſpectat, *Danubio,* ab *Auſtria,* & *Moſonienſi* agro, reſciſſa, eodem fluminis alueo, definitur, dum trans eius diuortia, in inſulam (*b.*) *Cituorum,* aliquot milliarium interuallo procurrens, ab eadem, meridionali plaga, per fines *Jaurienſis,* & *Comaromienſis* Comitatus, totidem fere milliaribus, quot ab *Auſtriæ* limite confecerat, in orientem recurrat. Illinc, *Nitrienſi* obiecta collimitio, vbi *Vagum* adtigit, flexuoſis eiusdem ripis hæreſcens, adſcendit in ſeptentrionem. Poſtea, ab eo amne reuulſa, montes traiicit, cumque & hic, elegantem planitiem, ſinu recepit, *Morauo,* a *Marchia* primum, tunc ab *Auſtria,* vsque ad Danubii confluentem, diſterminatur. Omnis regionis ambitus, milliaribus plus minus XXX. deſcribitur. Longior tamen eſt, quam latior, ouata ſpecie, ſed tortuoſa, definitus. A *Comitatus* certe *Nitrienſis* finibus, qui vltra vicum *Laxar-Ujfalu,* decurrunt, ad *Comaromienſium* vsque limites, qui ſunt pone vicum *Száp,* milliaria interſunt duodecim; *octo,* inter *Moraui* confluentem, & *Szeredinum.* ELEVATIO POLI, ſumma adcuratione, *Piſonii,* ſemel atque iterum, inſtituta, *graduum* eſt XLVIII, *minutarum* VIII, *ſecundarum* II. Ipſa regio, ſitum a natura accepit, amœnum, & pulchre contemperatum: quippe qui, neque ita planus vbique eſt, quin paſſim collibus intumeſcat; ſed neque montoſus adeo, vt non in campos, longe lateque diffundatur. Hos poſitus, ex ſe elegantes, maiores minoresque, fluuii, intercurſant, & reddunt multis modis amœniores. Iam noſtra, & lectoris intereſt, vt ſingula hæc, cominus ſpectemus.

Comitatus nomen, ab vrbe petitum:

eius, circumquaque, limites:

ambitus, longitudo, & latitudo:

ſitus amœnitas.

a.) Decade I. Lib. I. p. 25. fine. Vtimur editione *Hanouienſi,* quæ typis *Wechelianis,* A. MDCVI. excuſa eſt. De PISONE, præter FLORVM & DIONEM, videſis VELLEIVM PATERCVLVM, Lib. II. c. XCVIII. vbi laudes viri legas.

b.) *Csallóköz* Hungari; Germani *Schütt;* Docti, inſulam vocant *Cituorum.* qua de re infra.

§. II.

Montes regionis, Carpathi sunt exordia:

ET ad montes quidem, quod adtinet, sua hic *Carpathus* exordia accipit. Geminum ei caput est, ad *Dévénium* alterum, alterum ad *Pisonium*; sed illud, eleuatius isto, asperiusque. frons vtrique, in *Danubium* prona, & meridiei obiecta. Inde, continuo dorso, & quo longius recedit, altiore, pergit in obliquum septentrionem, iugis, pulchra serie, nunc se inuicem accipientibus, nunc intersecantibus. Sepem diceres, *Hungariæ* ornandæ, muniendæque, a natura prætensam; nisi, & vltra, regionis termini procurrerent.

eorum iucundi positus:

Et est sane, montium hic ordo, eo iucundiore positu obtutuque, quo, molliori vtrinque decliuitate mitigatus, læta hinc, atque illinc, planitie suffunditur.

latera, quibus rebus, insignia:

Qua erectiora sunt latera, arces, ab oriente, & occidente, insident, amœno, extra modum, spectaculo. Reliquum, vite vestitum est, & oppidis vicisque interstinctum.

orientalis opportunitates:

Nimirum, ineunt *Dévénio* vineæ, *Pisonium* vsque, latere continuo. Hinc, ad oppidum *Rétse*, ob vini gloriam, longe lateque celebre. Vltra, *Szent-Györgyinum* est, haud longiore interuallo, sepositum. Copiosa heic quoque vitis interseritur, fructus vti laudatissimi, ita, si generosam vini indolem spectes, nulli facile comparandi. Succedit postea, interiecto *Grünauensi* oppido, *Bazinium*, non vinetorum modo, eleganti positione; sed, reliqua etiam opportunitate, cum primis insigne. Pari interuallo, *Modra* dissidet, montis latere, adhuc perpetua vite, consito. Inde, *Vöröskő*, Germanis *Pibersburg*, nobilis *Comitum Pálffy* secessus, edito iugo, late regionem despicit, hinc *Baccho*, illinc *Cereri*, hospitalem. Tunc, *Felső-Diós*, atque arx *Szomolyán*, montem, e regione *nostra*, iamiam in *Nitriensem* exiturum, perpetua vite succingunt. Hæc, obiecta orienti, montis facies erat.

occidentalis habitus:

Qua in occidentem prospicit, propagatis, *Dévénio*, iugis, eadem fere, & situum amœnitate, & varietate locorum, obliquo, in aquilonem, tractu, protenditur: viti, non minus, quam fuit aduersa parte, amica; tametsi fructu, multo, quam illic, exiliore. Vix se ad duo milliaria, tortuoso tramite sinuauit, cum iugis *Pisonienſibus* adunatus, arci *Borostyánkő*, sedem impertitur. Hac, perpetuo latere, *Detrekőnem* vsque, dorsa porrigit, donec, vltra *Eleskő*, e prouincia nostra, ad *Nitrienses*, altiore subinde mole, protrudatur. Totis radicibus, vicis cultus est, & ex se copiosis, & situ frequentibus. Quod inter vtrumque pedem montis interiacet, varie, hic in valles deprimitur, adsurgit alibi in iuga, alia, aliis sublimiora. Sua singulis sunt nomina, quæ, vel a subsitis vicis communicant, vel a situ specieue, sortiuntur.

arborum varietas:

Densa vbique arbor, & opaci saltus regnant. Quercus hic, fagus alibi, pinusque, magnis incrementis, proficit. Itaque, habent siluas, lignationis inexhaustæ. Quod passim calcario lapide abundat, vstrinas fouet, reditus eximii. Neque desunt carbonariæ, & vitriariæ officinæ. Is, cum sit montis habitus, tantum alit ferarum, quantum, ne viuaria quidem alibi. In præcipuis cerui sunt, damæque, gregatim inerrantes. Sunt & apri, magno numero, sæui illi, ac prorsus siluestres, qui, vbi in vineas illapsi sunt, stragem edunt, eo damnosiorem, quo vetitum est acrius vulgo, grassantes bestias, deiicere. Vidimus, præcerptam accolis vindemiam, saltem, extra modum, ista ferarum pabulatione, diminutam fuisse. Tametsi vero siluosi, quaquauorsum, montes sunt, habent tamen passim caluities, pingui pabulo luxuriantes.

caluities, pabuli feraces:

Proinde, idoneæ sunt, & pecudi, cum fructu alendæ, & cogendo fœno. Adde, innumeras scaturigines, & perennes riuos, qui hinc, & illinc, collecti, feruntur per depressa vallium, dum in planitiem effusi, vicos interluant.

fontes, & riui perennes:

Ergo, non sunt siticulosi montes nostri. Vix humilior, per iuga, situs est, quin saluberrimis aquis scateat; sed editissima etiam dorsa, fontes, vberes non minus, quam gelidos, habere, positionum gnari, nos docuerunt. Virtutem laticibus eorum tribuunt, quæ cibi adpetentiam cieat. quod, an sit aquis tribuendum, vel defatigationi, dum ad eos, per montis prærupta adscendas, non est pronum decernere. Isto habitu, si me tiri a *Dévénio* incipias, & subsistas in finibus *Nitriensium*, verso in aquilonem tramite, ad octo milliaria, montes nostri procurrunt:

quam longe procurrant:

totidem fere locis, itinera, hæc, illis, asperiora, transmittentes.

qua transmittant itinera?

Superantur nimirum, ad *Pisonium*, breui admodum, neque incommoda via, quam forte ideo, *Freünd*, hoc est, *amicum*, Germani dixere. Asperior est, quæ *Stompha*, *Rétsam*, atque *Szent-Györgyinum*, ducit. Reliquæ, ad *Limpachum*, *Bazingam*, *Modram*, *Vöröskőnem*, & *Felső-Diósum*, exeunt: nusquam autem, vltra duorum milliarium *spatium protenduntur*; nisi forte, itineris molestias, viæ admensas velis.

§. III.

Siluæ, ac nemora:

HAEc, montium regionis nostræ, indoles fuit. Siluas iam videamus. Creberrimæ eæ sunt, vtraque parte, tamque amœnæ, vt passim, manu consitas crederes. Ac, versus *Morauum* quidem, in primis pineta increscunt, mole arborum, proceritateque, prorsus eximia. Plurium ea milliarium spatia, interspersis vicis, occupant, suntque iucundi, e longinquo, obtutus: quippe, speciem referentia, arbusti, ad regulam tonsi, sublucatique. Sunt, & alterius generis nemora, densiora hic, rariora alibi: sicuti obuium est, *Stompha*, *Detrekőnem*, proficiscentibus.

& cis montes:

Citerior montium regio, itidem, frequentibus fluuis obsita est. Huc, faginum illud nemus, retuleris, quod, vltra arcem *Bazingensem*, pone vicos *Czajla*, & *Csukárd*, visitur; atque insignius aliud quercinum, inter *Schenkwitz*, & *Schwantzbach*, insidens, editioreque positione, *Szemptzum* vsque, & *Ma-*

Lintauæ *laus:*

Magyarbélum, porrectum. Sed, arboris non minus præstantia, quam vbertate prouentus, *Lintaua*, ceteris anteit. Subsitum *Vöröskőni* nemus est, insigniter siluosum, & densa quercuum excelsitate, vastum. Late id se porrigit, præbetque materiam, non contignandis tantum ædificiis; sed doliis etiam compingendis, idoneam. *Luci* postea sunt, toto eo tractu, qui *Bazinga*, infra *Szent-Györgyinum*, hinc *Prátsam*, illinc *Cseklésum*, protenditur. Præcipuus est, cui *Fekete-Erdő*, & Germanice, *Schwartz-Wald*, nomen. Nec desunt insulis, quas molitur *Danubius*, recessus siluosi. Solo enim humido & sabuloso, frequentes emergunt, alni, populi, salices. Plane, vti est apud *(c.)* Poetam:

insularum siluosi recessus:

Sponte sua veniunt, camposque & flumina late
Curua tenent, vt molle siler, lentæque geneſtæ,
Populus, & glauca canentia fronde salicta.

Atque iterum: *(d.)*

Fluminibus salices, crassique paludibus alni
Nascuntur.

Itaque, & cito siluescunt, & ferunt arbores, stupendi incrementi. Accidit hoc potissimum, in nouis alluuionibus. Quia enim, mutat frequenter alueum *Danubius*, fit, vt qua nuper nauigabilis erat, intercurrente lustro, in siluam euadat, spissam opacamque. Proinde, ligni cædui affatim sufficiunt. Nam, quod deiectum semel est, alterutro post anno, densa iterum sobole, increscit. Nempe: *(e.)*

Pullulat ab radice iterum densissima silua.

arbores fructiferæ.

Neque vna hæc insularum gloria est; alit *benigne*, omne arborum fructiferarum genus. *Ponuntur autem*, & mala, & nuces; hoc est: seminia, molli & duro cortice. Hæc, vbi inualuerunt, lucos referunt, dignos *Pomonæ* secessibus.

§. IV.

campestris regionis indoles:

Reliqua regio, campestris est, & cælo læta, & solo, atque eorum, quæ seruntur, benigne admodum patiens. Sunt tamen, & campis, pro situum ratione, diuersa ingenia. Quæ, hinc *Carpatho*, illinc *Morauo*, continguntur, alto sabulo, ac fere effœto, laborant. Ergo, poscunt colonum, qui agrum subigat scrupulosius, neque parcat lætamini. Pinguius, citeriori plagæ, solum obtigit. Nos, trium fere generum, obseruauimus. In primis, existimamus agrum *Tyrnauiensem*, & quod ei, late circum fusum est, regionis reliquum. Edita huic est positio, resoluta humus, & accipiendis segeti-

trium generum; Tyrnauiensis *commendatio:*

c.) Virgilivm, Georgic. Lib. II. v. 11.
d.) Inibi, v. 111.
e.) Versu 17.

getibus prorsus idonea. Itaque, horreum prouinciæ nostræ, non iniuria, adpellaueris; ita hic, & triticum luxuriat, & siligo, atque sementis alia. Vsus docuit pistores, frumentum huius oræ, probioris esse farinæ, quam quod humilioribus agris, nascitur. Hinc panis *Tyrnauiensis*, gloria, paucis, toto regno, secunda. Post hunc tractum, depressior alter, nominandus est, qui illic, vltra *Dudvágum*, hic, infra *Szemptzum*, init. Profundi is est positus, sed pinguioris. Solum pullum ac glutinosum, ideoque, difficiliorum operarum. Nam, cum ibi, biiugi aratro, moueri terra potest; hic, seiuge, rarius quadriiuge sit oportet, si altius proscindi humum sit necesse. Fert frumentum nobile, sed gluma, & stramine, crassiore. Adde, eluuionum iniurias, quas inde *Vagus*, *Dudvágus* hinc, in annos singulos, inferunt. Aequor diceres, ita nonnunquam regionem omnem offundunt amnes. Vidimus aliquando, aristas, summis aquis, innatauisse. Quod vti messes corrumpit; ita fraudi est colono. Vltimum agri genus, insulanum est. Nihil eo fertilius; sed neque prouentus incertioris. Accipit semen benigne, redditque cum fœnore; sed quod plerumque, vnius vitio *) nebulæ, perit, saltem ita exsuctum fit, & macrum, vt præter exilem ieiunamque glumam, nihil in spicis, atque palea, sit residuum. Olim, portenti id fuit simile, quod accidebat rarius; iam, vix annus immunis est, ab ea segetum corruptela. Accedunt iniuriæ, ab intumescente amne profectæ, his potissimum locis, quæ propius contingunt flumen. quas iam non exaggeramus. Alioquin:

depressioris alterius incommoditates:

insulani natura:

Est *hic pinguis humus dulcique vligine læta,*
Atque frequens herbis, & fertilis vbere campus.

Proinde, *nulla vspiam pabuli* est penuria; sed nec extra insulam. Pratorum, tota regione *tantum*, *vt quandoque* vnius anni fœnisecia, pluribus aliis, sufficiant. Duum & hæc sunt generum; montana alia; alia campestria: atque illa quidem, fœnum præbent, nobilius, sed parcius illud; hæc, & copiosius, & crassius. In primis, ad margines fluuiorum, qui ripas excedentes, grauidant humum, atque, si decrescant tempestiuius, reddunt, ad gramina, fertilem. Id est, quod Jacobvs Tollivs *(f.)* dilaudat, scitus, & obseruans rerum, peregrinator: *Agrorum*, inquit, *pascuorum*, *tanta vbertas*, *immo luxuries est*, *vt ipse*, *per herbas & gramina*, *ad vmbilicum vsque meum adscendentia*, *non semel iter fecerim.* Hæc ille, cum *Pisonii* laudes, expromeret. Ita est omnino, luxuriant prata nostra, si annus fauit, neque eluuiones, limo herbas offuderunt. Tunc

pabuli, & fœniseciorum vbertas:

*) Nebularum nocentissimas credunt, quæ ad III. *Calendas Iulii*, incidunt: quod tunc succo turget granum, facileque admittit vitium.

f.) Epistola *Itineraria* V. p. 144. Prodiere primum *Amstelodami*, A. MDCC. forma *quadripartita.* Cura, & studio, Henrici Christiani Hennii. qua quidem editione, nos iam vtimur.

enim, gemina poſcunt fœniſecia. Immo, adfirmarunt nobis rei ruſticæ gnari, eſſe, non vno per prouinciam loco, ſitus, qui ter demeſſi, vireſcunt iterum iterumque, & ſunt tamen auctumnalibus paſcuis, commodi.

§. V.

Flumina, maiora:

HVcusque terras obiuimus. nunc flumina, quæ & grandia ſunt, & multa, deſignemus neceſſe eſt. Dabimus vero, maiora primum, & aliunde illapſa; minora poſtea, atque intra fines prouinciæ, nata abſorptaque. Principatum in illis obtinet:

I.

Danubius, vbi adfundatur Hungariæ, & noſtræ regiunculæ:

DANVBIVS, fluminum Europæ, omnium confeſſione, maximus; in *Hungaria* vero, tantorum incurſu amnium, ſe ipſo maior. Adfunditur is ex *Auſtria*, cum regioni vniuerſæ, tum prouinciæ huic, ad *Dévénium*. eo prorſus loco, vbi, illapſum, ab aquilone, *Morauum* abſorpſit: prodituruſ eo indicio; ſubire ſe *Hungariam*, vti, exhauſtis validiſſimis amnibus, aquarum ſatur, in *Getas* poſtea exundaret. Huc quadrat AVSONII *(g.)* illud:

Illyricis regnator aquis, tibi Nile ſecundus,
Danubius lætum, profero fonte caput.

Tametſi enim, per immania, magnarum gentium, *(h.)* diu, vaſta aquarum mole, delabitur; enim vero: *(i.)*

Abnoba mons Iſtro pater eſt, cadit Abnobæ hiatu,
Flumen in Aeoos autem conuertitur axes;

tamen, heic demum, tamquam nouo editus capite, *Hungaricus* eſſe incipit. *Dévénio* ſubterlapſus, findit alueum, quaſi ſolum noſtrum amplexaturus. Ac, dextro quidem brachio, amolitur *Auſtriam*, ſiniſtro lambit, *Carpathi*, hic ineuntis, pedem; donec alterutra *inſula*, poſt ſe relicta, *Piſonienſi* agro, ſe inſinuauit. Sub arcis regionem delatus, collecto alueo, tumidior ad vrbem fertur. cui tam valide incumbit, vt ſuburbanum etiam abradat; alio, contra, latere, nouam aggerat inſulam. Qua eſt grandior, vrbique propior, traiectum habet, volatili ponte inſtructum; ſublicio, qua manat exilior intra inſulas. Quorum iſte, rupta ſubito, demananteque cum vehementia, glacie, frequenter deiicitur: magno vrbicorum prouentuum intertrimento. Hinc degreſſus, vix paſſus mille ſuperauit, cum trifariam

arci item, & vrbi Piſonienſi:

g.) Epigrammate III. editionis laudati IACOBI TOLLII. Refert flumen, inter ILLYRICA, veteres ſecutus, qui PANNONIAS etiam, ILLYRICO includebant.

h.) Ita POMPONIVS MELA, de ſitu Orbis Lib. II. cap. 1. p. 122., lin. 73. edente ABRAHAMO GRONOVIO, Lugduni Batauorum, A. MDCCXXII. 8.

i.) RVFVS FESTVS, in translatione *Dionyſii*, citante PINTIANO, ad eundem POMPONII locum.

riam ſcinditur. Ac *dextrum* quidem alueum, *Moſonienſi* agro, prorſus aduerſo vrbis latere, immittit, modicum eum, at perennem tamen; *ſiniſtrum*, (hunc *Casállo* dicunt *Piſonienſium* diplomata) intimius, in regionem noſtram intorquet; *medium*, aquarum mole in primis turgeſcentem, in *Csallóközienſes* effundit. Ludunt ſinguli, variis Mæandris; ſed medius, omnium maxime. Itaque, nullus minutiorum inſularum, quoquo te vertas, finis eſt. Maiores tres molitur: *Csallóköz*, præcipuæ illi, nomen eſt: quæ dextro latere fit, *Szigeth-Köz:* quæ ſiniſtro, *Viz-Köz*, dicitur. Ingentia ſingulæ ſpatia emetiuntur; ampliſſimum, media. Nam, vbi *Piſonienſi* hoc angulo cœpit diffundi, late porrecta, ad *Comaromium*, hoc eſt, poſt duodecim milliarium intercapedinem, deſinit. Ceterum, validior ille *Danubii* alueus, quemadmodum, interiectis inſulis, frequenter diſſipatur; ita, non ante coit, quam hinc quidem, *Nagy-Bodok*, *Remete* illinc, præteruectus eſt. Tunc vero, coadunata iterum aquarum mole, manat eodem alueo, pone *Seprős*, *Nyárafd*, & *Száp*, effunditurque ad vicum *Medve*, in *Comaromienſem* regionem.

finditur varie:

quas moliatur inſulas:

alueus medius, vbi e regione exeat?

At ſiniſter ille, qui ad *Piſonium* fecerat diuerticulum, pomaria primum ambit vrbica; poſtea vero, facto diuortio, gemino & ipſe tramite, in orientem labitur. Horum, qui tumidior eſt, penes *Vereknye*, *Bruck*, *Eberhárd*, *Fél*, *Vük*, *Búſtelek*, *Felső-Jánok*, *Alſó-Jánok*, *Nagy-Magyar*, & *Illyés-Háza*, decurrit. Multas & hic inſulas format, dum in lacunas incidat, emergatque iterum, ad *Tükés*. Hinc digreſſus, *Kürt*, & *Alſó-Nyárafd*, ſubluit, poſteaque ad *Comaromienſes* exſpatiatur. Contra alueus tenuior, ſiniſtrorſum, verſus *Királyfalvam* tenet curſum. Hac dum fertur, deiectos ab aquilone riuos, accipit, reditque ad *Nyék*, & *Vezekény*, in alterius aluei diuerticula. *Quibus* coniunctus, *Dudvágum* abſorbet, ac tandem, infra *Nád-Szeg*, in eundem redit alueum, a quo ſupra diuerterat.

finiſtri tramites, & decurſus:

excitus vtriusque:

Iſte, *Danubii*, per agrum *Piſonienſem*, decurſus eſt, vtiliorne, an nocentior, non auſim diſputare. Sane, vbi, aut rupta glacie, aut imbribus nimiis, intumuit, late diffuſus, ſtragem edit, vix vlli calamitatum ſecundam. Aggeribus certe, amnis exundationes, nondum, vti eſſet neceſſe, potuerunt coerceri; ſiue, quod pro eo, atque eſt fluminis vehementia, elaboratum haud ſit hucusque; ſiue, quod vim incumbentium aquarum, fruſtra, obiectis molibus, tentaueris cohibere. Ea de re TOLLIVS: *(k.) Munire has inſulas aggeribus, & ab inundante, verno tempore, Danubio, vindicare, ignorentne, an ob vim fluminis, nimis exiſtiment oneroſum, exquirere non potui.* Sed, excuſat HENNINIVS *(l.)* noſtros: *Immo*, inquit, *aggere, ob vim incurrentium & exundantium, tota mole, aquarum, præſertim hiberno tempore, glaciatarum, fruſtra opponerentur vndis Danubii.*

eluuiones Danubii, aggeribus coerceri nequeunt:

k.) Loco, quem nunc citauimus, p. 143.

l.) In notis, ad eundem hunc locum TOLLII, p. 204. num. 4.

Quidquid de amnis violentia dicas, certum eſt, minus daturum fuiſſe damnorum, ſi & induſtria, & prouidentia adtentiore, in opus incubuiſſent noſtri. Iam, tot cladibus moniti, omnem mouent lapidem, vti, qua eſt metuendus amnis, idoneis eum molibus reprimant.

quos alat piſces:

Ceteroquin, diues eſt piſcium *Danubius*. quorum, vti infinita alit ſeminia; ita, hac noſtra ora, laus carpionum luciorumque, præcipua eſt. Capiuntur *Antacæi* quoque, ad *Vajkam* potiſſimum; ſed rarius: quod genus illud, limoſiore profundioreque amne, delectatur. Annis ſuperioribus, ad pontem *Piſonienſem*, interceptos fuiſſe aliquos, meminimus. Id vulgus, in peſſimis ominibus habebat: quaſi hoſtium, futuram aduerſo flumine impreſſionem, protenderet. Nunquam vero, ſeu copioſior, ſeu facilior, piſcium, e *Danubio*, captura eſt, quam cum diffuſis aquis, reſedit per lacunas. Enim vero, amne detumeſcente, quidquid illapſum eſt piſcium, captiuum illic hæret, capiturque nullo negotio. Vidimus, feminas puerosque, agminatim ad eam piſcaturam excurriſſe, retuliſſeque prædam opimam. quod vnum fere, eluuionum *Danubii*, pretium eſt.

eorum, per lacunas, quas fecit, captura:

habet arenas aurifer as:

Olim, aurum ex arena eluebant accolæ, noſtra regione paſſim. a qua diligentia, quod iam remittant, faciunt id quidem præter rem, quam iſtis operis, iuſta inſtitutis cura, egregie poſſent auctitare, admouereque labori, otioſiſſimos quosque; ſicuti in *Tranſiluania* fieri nouimus. Sane, *Csallóközienſium*, atque in his, *Vajkenſium* operæ, vix laboris ferunt pretium, quando, neque aſſiduæ ſunt ſatis, neque cum cura inſtitutæ. Superſunt, aurifabri *Piſonienſis* nepotes, quorum auus, lotione, per *Danubii* puluinaria, ſollicite inſtituta, tantum auri lucrabatur, quantum habebat *opus*, *ad* ſuſtentandam fabricam, ſcitam non *minus*, *quam opulentam*. Sed, cum bono illo *viro*, *ceſſauit iſtud*, apud *Piſonienſes*, auri ſtudium, damnoſum quidem nemini, vtile autem in commune.

natura aquarum Danubii:

Fere dememinimus, de natura aquarum *Danubii*, quidpiam adtexere; cum id tamen pertineat ad amnis laudem, vindicandam aduerſus vituperatores. Audiamus ſcriptorem extraneum, eumque *(m.)* medicum, præclare, de vndis, *Danubii* noſtri, ſentientem. DANVBIVS, inquit *(qui recte, quod nubes, & nebulas denſiſſimas exhalare ſoleat*, Dansnubius *(n.) vocatur) aqua ſua turbida, limoſaque, quæ omnem tranſparentiam prorſus excludit, ſuo iure gaudet: nec tamen*, Budam *vsque, latices illius inſalubres, potuique minus commodas confirmo. Si præſertim, per temporis momentum, ſubſederint. Quamuis enim, ob putrem, pinguem, gleboſamque tellurem, ad ripas præſertim, limo*

m.) Eſt is, TOBIAS COBERVS, Med. Doct. & Phyſicus Caſtrenſis, in *Obſeruationum Medicar. Caſtrenſium Hungaricar.* Dec. I. Obſeruatione VII. p. 37. ſeqq. Editionis *Helmſtadienſis*, A. MDCLXXXV. forma *quadrip.*

n.) *Alluſionem*, quam vulgus dicit, non denominationem, eam velim. *Etymon* certe *Danubii*, *aliunde* petendum eſt. ſicuti loco ſuo monebimus. Quid, quod non *nubes* modo; ſed ventos etiam det *Danubius?*

limo turbidiore coinquinetur: cum tamen, motu violentiore in alueo decurrat, ex eodem hauſtas (o.) vndas, ſemper, etiam ad ſatietatem potas, parum obfuiſſe, ſum expertus: Longe quidem craſſiores eſſe fontanis, quis eſt, qui neſciat? attamen, ſingularem hanc munificentiſſimi DEI, *prodigalitatem, quam noſtræ Europæ, contra dracones orientales, paterne elargitur, paullo ſanctius, & circumſpectius habendam, exiſtimarem*. reliqua. Et poſt pauca: ISTER *autem, vt ante dictum, ſi non aliunde ingeſtis impuritatibus adulteretur, genuinis ſuis aquis, ſic ſatis commodus, nec inſalubris eſt; & ſubdubito, vtrum apud Pannonas, præſertim, tantis hominum, iumentorumque turbis, de ſalubriore & commodiore aquatione, proſpici poſſit? quam quæ ex* Danubii *gurgite, abundanter promanat.* Id, ſi verum eſt, de iis *Danubii* aquis, quæ media propemodum *Hungaria* manant; non eſt, cur ambigamus, de noſtro amne, multarum adhuc ſordium experte, quas illic hauſit, poſſe, ſine formidine, adfirmari. Alioquin, nos ipſi *Danubio* deuecti, obſeruauimus, aquas eius, hauſtas ad ſatietatem, aluum laxam conciliare, ſtimulareque cibi adpetentiam. Sed de his, ſuo loco, profeſſa *(p.)* opera.

II.

MORAVVS, fluuiorum alter eſt, qui alieno ortus ſolo, noſtram alluit prouinciam, eamque, a *Marchionatu* primum, poſtea ab *Auſtria*, quaſi limes quidam perpetuus, diſterminat. Oritur in *Morauia* interiore, atque, pluribus illic amnibus, factus tumidior, cum *Olomutzium*, *Kremſirum*, *Hradiſchium*, aliaque oppida, & arces, ſubluiſſet, e Szakoltzæ regione, Hungariæ adlabitur. Radit inde fines *regionis*, dum penitus prouinciæ noſtræ adpropinguet. Fit hoc, contra *Rauenſpurgum*, & *Hohenau*, in Auſtriæ, Morauiæ, atque Hungariæ collimitio. Inde, verſus *Tierenburgum*, amœno ſolo deuolutus, findit, flexu vario, planitiem, rigatisque locis quam plurimis, *Marecko* ſuffunditur, idemque, non vulgariter communit. Lento hinc alueo demanans, tandem, ſub *Dévénienſi* arce, capaci oſtio, *Danubio* ſe intimat. Cum in *Marchionatu* liquidior ſit, ſimul *Hungariæ* terminos contigit, limoſior eſſe incipit. quod pingui humo, quam perluit, adſcripſeris. Proinde, adfuſus *Danubio*, aquarum colore, diu ſe ab eius vndis diſcriminat. Albicante enim latice, neque eo limpido, *Danubius* eſt; nigricante, *Morauus*.

Morauus, *fluminum alter:*

eius ortus, & illapſus in Hungariam:

vbi, cum Danubio, *confluat?*

o.) Non deſunt, inter *Danubii* noſtri, accolas, qui, tametſi, & *fontana*, & *puteali*, abundent; malint tamen, *fluuiatili* hac, victitare: ſed conſilium ſecuti *Coberi*; vt hauſtas, ſummo mane, aquas, reponant cum vaſe, atque vbi deiecere ſordes, vſibus adhibeant: rati, multum, medicæ virtutis, latici, ad eum modum purificato, ineſſe.

p.) Vide interim, quæ, ALOYSIVS FERDINANDVS COMES MARSIGLI, in *Operis Danubialis*, Tomi I. Part. III. *Hydrographica*, ſplendore, an diligentia maiore, de *Aquis Danubii*, congeſſit, p. 53. ſeqq. Prodiit Opus, inuſitatæ magnificentiæ, *Hagæ*, & *Amſtelædami*, charta auguſta, A. MDCCXXVI. Nos, ea operis parte, rem expediemus, quam NOTITIAM HVNG. PHYSICAM adpellamus, Cap. de *Fluminibus Hungariæ*.

eius piſces, laudatiſſimi guſtus:

Alit piſces laudatiſſimi guſtus, quo, qui ducuntur, *Danubialibus* antecellere aiunt. Id certum eſt, communicare eum, cum *Danubio*, ſeminia prorſus peregrina: maxime, ſi nimiis imbribus, piſcinarum, quas *Morauia* frequentiſſimas habet, aggeres rumpi contingat. Tunc enim, agminatim in *Danubium* illabuntur, *ſalmones*, *anguillæ*, & quod non genus aliud nobiliſſimum. Eueniſſe id meminimus, cum alias, tum in primis, anno MDCCXXX. conſecutamque illinc, ſingularem piſcium vilitatem, ob infinitam, aduenarum illorum, copiam. Neque tamen ſine damno regionis defluit *Morauus*, præſertim, exundante *Danubio*. Nimirum, mole validioris amnis, repercuſſus, nec admiſſus in connubium, reſorbet aquas, egurgitantesque, late, per depreſſas ripas, profundit. quæ poſtea, factis, per agros prataque, lacunis, tam diu lenteſcunt, dum per *Danubii* decrementa poſſint dimanare, vel inareſcere.

exundationes noxiæ:

quibus rebus nobilitatus ſit Morauus:

Non vna conuerſio, inſignem fecit amnem. *Thuróczius (q.)* auctor eſt, iſthic SALOMONEM, *Andreæ I.* filium, cum *Sophia*, HENRICI III. Romanorum Imperatoris filia, ſponſalia, iuxta & nuptias, concelebrauiſſe. Facunde BONFINIVS: *(r.) Diem*, inquit, *ſponſalibus nuptiisque, ad Morauam amnem, præſtituit; qui Morauiam, ab Hungaria, plane diſterminat. Huc, ad præſtitutum omnes diem, conuenere, cum ſummo Hungariæ, ac Germaniæ, plauſu, frequentiſſimoque pontificum principumque, conuentu. Solemni ritu celebratæ nuptiæ, confirmata fœdera.* SOPHIA, *in Hungariam deducta, ſingulari pompa: vtrique principes, cum ſumma concordia gratiaque, digreſſi.* Poſtea, odiis, inter Hungaros, & Bohemos, gliſcentibus, *Morauus* fuit, non diſterminator modo regionum; ſed & cruentarum litium arbiter. Euenit, nempe, OTTOCARI, in primis temporibus, *ſemel atque iterum*, vt ad *Morauum*, decretoriæ *pugnæ fierent.* Hic *(s.)* BELA IV. ab OTTOCARO *cæſus; dum & ipſe*, a RVDOLPHO I. ad eundem amnem, non ſine *Hungarorum* ſuppetiis *(t.)* cæderetur. Lætiora fuere, quæ cum MATTHIA Coruino, nuper e captiuo, ad regiæ dignitatis faſtigium euecto, ad *Morauum* geſta ſunt. A GEORGIO, nimirum, *Podiebradio*, in cuius poteſtate fuerat hucusque, iſthic *Hungaris* ritu ſolemni, lætoque, MATTHIAS redditus eſt. BONFINIVS, *(u.)* ad hunc modum rem memorat: *Quum ad præſtitutum vtrique,*

q.) Chronici Hungarorum, Parte II. Cap. XLIV. p. 50., 20. Editionis *Wecheliana* Francofurtenſis, Anni MDC. *fol.*

r.) Decad. II. Lib. II. p. 201., 17.

s.) Hiſtoriæ *Ducum Styriæ*, in OTTOCARO II. quinto Styriæ Duce, Part. I. p. 92. ſeqq. Prodiit liber ſcitus, & elegans, *Græcii*, A. MDCCXXVIII. cum eam prouinciam CAROLVS VI. adiiſſet. Adde, BOHVSLAI BALBINI S. I. Epitomen Rer. Bohem. *Lib.* III. Cap. XV. p. 274.

t.) Legeſis AENEÆ SYLVII Hiſtoriam Bohemicam, Cap. XXVII. p. 136. editionis *Wecheliana* Hanouiæ A. MDCII. fol. Et IOHANNIS DVBRAVII Hiſt. Bohem. Lib. XVII. p. 143. eiusdem editionis, anno eodem, *fol.*

u.) Decadis III. Lib. IX. p. 511., 10. Ade, BOHVSLAI BALBINI, Epitomen Rer. Bohemicar. Lib. V. Cap. IV. p. 513.

que, (Hungari, & Bohemi) *diem, ad Strazniczam vrbem, ex compoſito, conueniſſent, nonaginta millibus paſſuum, a Strigonio remotam, in ripis* MORAVAE *amnis, qui Morauiam, ab Hungaria, diuidit, inclinante ſole, caſtra poſuere. Poſtero die, inſtructa vtrinque acie,* MATTHIAS, *quum productus in medium, in oppoſita ripa adparuiſſet, ingeniculatæ continuo legiones,* REGEM HVNGARIAE, *conſalutarunt adoraruntque. Plauſus, cum lacrymis, ex immodica lætitia, exuberantibus, tam ingens per horam editus, & tantus tubarum clangor, tympanorum tinnitus, & æneorum machinarum crepitus, paſſim effuſus eſt, vt cælum collidere videretur. His quoque, militaris clamor adiectus, & fauſtæ cohortium adclamationes, congratulationes geſtientium inſolentes, exauditæ. Certatim lætitia, cum plauſu, aliquandiu edita. quæ, vbi paullulum expleta eſt, proceres ſeſe propius admouere; id ipſum fecerunt Bohemi, vt mutuum facilius colloquium, exaudirent. Tunc Johannes Vitézius, Varadienſis Antiſtes, veluti Pater patratus, hæc, in ripa fluminis, verba fecit: ſalue,* MATTHIA, *rex Pannoniæ*, reliqua. Iſta tunc pompa flumen cohoneſtatum fuit. quam poſtea *Coruinus*, illato Bohemis, ſemel atque iterum, bello, funeſtauit: vt iam ſeditiones, quæ *Hungariam*, aduerſus reges optimos, ad arma, vti iniqua, ita funeſta vicinis, ſæpius exciuerant, ſilentio prætereamus: *Morauus* certe fuit, qui datis acceptisque cladibus, toties cruentabatur, quoties turbarum aliquid, per *Hungariam*, ſiue ciues ipſi dedere, ſiue *Turcæ*.

Eius, cum Odera committendi, conſilium:

Vtinam deſtinatio, quæ de coadunando, cum *Odera*, *Morauo*, pluribus retro annis *(v.)* ſuſcipiebatur, tandem perficeretur. Vaſtum eſt, fateor, opus, atque impenſarum prorſus auguſtalium; *ſed, ſicuti non* inexſuperabile; neque enim *Iſthmum* fuerit opus perfodere, prona *vbique*, *ad ducendos* canales, humo; ita, opportunitatum propemodum infinitarum. *Quid enim*, ad vniuerſæ *Europæ* commoditatem, eſſe poſſit exoptatius, quam commiſſis fluminibus, ex oriente, in aquilonem, atque hinc, verſa vice, in auſtrum, poſſe nauigare, communicareque mutuo merces, gentium interſitarum. *Hungariæ* profecto, nihil vnquam euenerit vtilius, quæ opes domeſticas, vinum in primis, in *Polonos*, *Ruſſos*, *Suedos*, *Danos*, *Germanos*, *Batauos*

Et penitus toto diuiſos orbe Britannos,

traïcere, locupletare vectigalia, & rem ſuam, magnis acceſſionibus, poſſet auctitare. Sed hæc priuati hominis ſunt vota, tum demum valitura, cum ſe CAESARIS numini, adprobabunt. Habet *Morauus*, traie-

v.) Exſtat tabella *Chorographica*, eo fini concinnata, vt veſtigia oſtenderet, qua ducendi ſint canales. Ineunt nimirum, ad amnis *Beczowa* oſtium, qui ſe ad vicum *Tropka*, ſiniſtro *Morani* alueo, *infundit.* Hinc, aduerſo fluuio, *Pererowum*, atque eo ſuperato, pone *Lipnik*, verſus *Weiſskirchen*, poſteaque verſus *Porop* vicum, atque inde, flexo tramite, verſus *Olmansdorffium*, *Oderæ* viciniſſimum, hoc eſt, ſpatio, circiter octo milliarium, procurrunt.

traiectus plures, sed frequentissimos eos, qui supra *Dévénum*, *Hoffum*, atque altius, *Mareckum*, transmittunt.

III.

Vagus, *vnde se regioni nostræ infundat:* VAGVS, vernaculus Hungariæ amnis. Eius fontes, primaque incrementa, apud *Liptouienses*, adcuratione, quam fieri potuit, maxima, designauimus. Illic editus, cum ad octo milliaria, præceps decurrisset, perstricta aquilonari *Thuróczienſium* ora, in *Trentschinensem*; hinc in *Nitrienſem* agrum, tortuosus & pernix, defertur; dum nostram subeat prouinciam, multo iam placidior vndosiorque. Insinuat se regioni, ad vicum *Szilágy*, estque, dum per eam cursum tenet, orientalis eius, aduersus *Nitrienses*, limes. Simul intrauit, sinuoso versus *Varasúr* alueo, ferri incipit, atque *qua teneat cursum:* *Valtasúr*, dein *Felső*, *Közép*, & *Alsó-Csepeny* præteruectus, *Sempthensem* arcem, a *Nitrienſi* agro, ad quem spectat, reuulsam, eodemque loco *Szeredinum*, subluit. Vltra, *Szerdahely*, *Vaga*, & *Ony*, ei adsederunt. His rigatis, immergit se aliquantisper, finibus *Nitrienſium*, dum redux, post breue interuallum, limites *Pisonienses* *est ratium patiens:* prorsus deserat. Flumen, ratibus est peruium. Itaque, quidquid excitandis ædibus necessarium materiæ est, abunde subuehit. Portus, his mercibus, *Szeredini* est, ob singularem opportunitatem. Qui hic non adplicuere, in *Danubium* defluunt, & partim *Comaromii*, partim *Strigonii*, atque *Budæ*, trabes, asseres, scandulas, ridicas, & id genus materiam, venundant. Nonnulli, *Peteruaradinum* & *Belgradum* usque, rates propellunt, faciendi lucelli caussa. Fuere lucripetæ *Judæi*, qui amnem, nauium patientem reddere voluerunt: vt sal fossilis, e *Danu-* *non item nauium:* *bio*, aduerso flumine, in aquilonarem Hungariæ angulum, *prouehi* posset; sed, tametsi dederint *qualecunque eius instituti* documentum; tamen, *quod* & *res* succesſerit, extra modum impedite, & sumtus æquarit ea nauigatio, itineris terrestris; pericula autem subierit multo plura: res successu, spe lucri *Judæus*, excidit. Neque somniauerunt melius, qui amnem, *Kiszutzæ* intercursu, com- *cum* Odera, *committi nequit:* mitti, cum *Odera* posse, existimarunt. Quisquis consilii auctor fuerit, profecto, *Carpathi*, ea regione, *Hungariam*, a *Silesia*, dirimentis, naturam positumque, aut ignorauit, aut ex mappis geographicis tantum cognitam habuit. Rapidior est *Kiszutza*, quam quæ, aut cataractis coerceri, aut immitti in canales, possit: montes autem interſiti, & horum conualles, cautibus petrisque, extra modum asperi, ac fere imperuii. Vt taceamus, profundius multo *Vagum* manare, quam *Odera* defluit. *(x.)* At hæc ob iter. Quantas- *quam sit eluuionibus damnosus regioni:* cunque autem vtilitates, secum vehat *Vagus* noster, damnosior certe est regioni, quam commodior. Nam, quod e celsis montibus

x.) Sed, anne cum *Poprado*, per *Scepusienſium* oram, in *Poloniam*, atque illic, in *Vistulam* illabente, commiti possit felicius, in *Liptouienſi Comitatu*, ad amnis capita, dispiciemus.

tibus deiicitur, facile, nunc imbribus, nunc diffugiente niue, increscit, exceditque ripas tanta aquarum mole, quæ latius quandoque, quam prospicere possis, diffunditur. Spectauimus eam calamitatem nos ipsi, parumque aberat, quin alieno sub sole, nos versari existimaremus; nisi cogniti antea colles, vicorumque turres, *Vagi* esse regionem, persuasissent. Ergo, subruit ripas, qua incubuit; quin vicos plerumque aufert, magna hominum pecudumque iactura. Raro heic ver, aut messis, sine clade est. Itaque, quisquis flumina, iniquos esse vicinos dixit, *Vagum* dicere voluisse, existimandus est. Pisces & cancri, quos alit, in magna sunt adprobatione, *eius pisces:* ob aquarum, si rite se habeant, limpiditatem. Capiuntur vero, præter vulgare genus quodcunque, *carpiones*, *lucii*, & quos maximi feceris, *salmones*. Traiicitur in prouincia nostra, ponte sublicio, ad *traiectus.* *Szeredum*; remigio, vltra *Galantham*, & *Kajalum*.

§. VI.

Maiores hi fluuii erant; minores nunc videamus. Atque horum quidem alii, citeriorem, vlteriorem alii, regionis oram, perluunt. Illos primo designabimus. *Minores fluuii.*

I.

Dudvág, *vnde accedat, & cur ita dicatur?* DVDVÁG, in Nitrienſium ortus vicinia, lento aquarum tractu, regioni nostræ, a septentrione infunditur. Nominis rationem, non aliam reddideris, quam quod *Vago* maiori, parallelus defluat; *secundarius* quasi *Vagus*, ideo adpellatus. Nam qui *Tót-Vágum*, *dici oportere* aiunt, hoc est, *Slauicum Vágum*, nihil adferunt verosimilis: *siquidem grandior Vagus*, meliori iure, id nominis sibi vindicaret: quippe qui, a *Liptouienſibus* delapsus, per *Slauorum* colonias, cursum tenuit. Cum in prouinciam venit, *Felső*, *qua decurrat, quosque hauriat fluuios:* & *Alsó-Lócz*, inde *Zauar*, postea *Kereszt́ur*, tunc *Farkas-Hida*, vbi ponte sublicio iunctus est, tandem *Apaj*, denique *Majtény*, varie, huc & illuc contorto alueo, subluit. Vltra *Majtény*, prouectus, *Tyrnam*, ab vrbe cognomine, adfusam, intra alueum recipit. Post eam accessionem, *Gestum* versus manat. At, vbi ad *Abraham* delatus est, accepto, *Gidra* amniculo, hinc *Kis-Macséd*, illinc *Diószeg*, lambit. Ponte heic traiicitur vimineo. Postea, multo, quam hucusque fuit, segnior factus, *Kossuto*, inde ad *Hegy*, tum vero ad *Vizkelet*, adrepit, atque, vbi oram vici *Nyék* adtigit, exiliori *Danubii* alueo, qui a *Királyfalva* defluit, miscetur. Quod *miscetur* Danubio: per regionem fertur depressam, ad exundandum facilis extra modum *ad exundandum facilis.* est. Tunc vero, torpore excusso, vehemens & pernix decurrit, euagaturque, quam late patet regio. Fit non raro, vt cum *Vago*, qui ei sinister manat, ripas egresso, committatur, atque rus omne, instar æquoris, offundat: quin, aquis etiam detumescentibus, relin-

quat paſſim lacunas, & importunas traiectu, & moleſtas colono. Piſcium, haud quidem, pro aquarum mole, diues eſt; niſi forte, qua *Danubio* propior.

I I.

Blawa, *Nitrienſium amnis, regionem noſtram ſtringit:*

eius natura.

BLAWA amnis, propemodum totus *Nitrienſium* eſt; vbi eius nobis mentio recurret. Stringit quadamtenus regionem noſtram, vicum autem *Dejtam*, ita ſecat, vt citeriorem eius partem, *Piſonienſi*, *Nitrienſi* vlteriorem, admetiatur. Tam eſt tepido latice, vt, gelu etiam reſpuat. Itaque, molas perenne verſat. Neque tamen ideo, inhoſpitalis eſt piſcibus, quin immo, alit eos, & benigne, & magna copia: *lucios* potiſſimum; qui an ei ſint vernaculi, vel e *Dudvágo*, in quem ad *Butsánum*, Nitrienſem vicum, incurrit, illapſi, non habeo dicere.

I I I.

Tyrnæ *capita:*

TYRNA, e Carpatho, vrbi cognomini, inter occidentem æſtiuum, atque ſeptentrionem, obiacente, ſcatet, quinque capitibus, tantæ vbertatis, vt ſingula, verſandæ molæ, credantur ſuffectura. Ergo, his, in vnum corriuatis alueum, ſtreperus ac celer, in planitiem euoluitur. Hanc, vbi ſubiit, manat placidior, luditque mæandris, huc atque illuc, per amœna camporum, detortis. In vicis, quos adluit, *Boleráz*, primus eſt; *Klucsovan* poſtea; denique *Selpicz*. Inde ad vrbem, cui vel nomen dedit, vel ab ea mutuatus eſt, adlabitur, ibique, bifariam fiſſus, alueo altero, pone occidentale vrbis latus, procurrit; altero, in paludem, pro mœnibus, ab aquilone diffuſam, immiſſus, vrbem interluit, *trahitque* ſecum, vicorum ſordes. Mœnibus *emiſſus*, *coadunatur* iterum alueo illi extraneo, *ferturque poſtea*, penes *Moderdorffum*, multo, quam ad fontes erat, turbidior: dum, vti diximus, inter *Apaj*, & *Majtény*, Dudvágo mergatur. Amnis, ex ſe tenuis, famam omnem vrbi, quam irrigat, in acceptis ferat, neceſſe eſt. Cum ſit alioquin piſcium inops, tantos habuiſſe, anno MDCCXXIX. ferunt, vt minutos lucios, genusque aliud, accolæ, leui piſcationis labore, vbertim ſæpius interceperint. Durauit ea copia, dum amnis, vernis imbribus, tumuit; at, eo decreſcente, piſces quoque, vnde venerant, rediere. Aduerſo enim amni, e *Dudvágo* illapſos, credimus.

interluit vrbem cognominem:

mergiturque Dudvágo.

I V.

Padlá-Woda.

PADLA-WODA, riuus eſt *Szomolanenſis* agri. Oritur is, quadrante milliaris, vltra oppidum, montano, in occidentem, fonte editus. quo ſitu, cum ad ducentos fere paſſus, procurriſſet, ſui adhuc ſimilis; tandem, in petram defertur, præcipitem & abſciſſam; vnde, ſtrepero ſpumanteque lapſu deiectus, *ruit* per rupis articulos, ad cataractæ modum; donec, ad pedem montis, ſibi quaſi

ſi redditus, per ſubiectam graminoſamque vallem, placidus manare incipiat. Hinc vernaculum riuo nomen, quod, *deiectam aquam* ſignificat, enatum eſt. Vallis, per quam labitur, petris, vtroque latere, cingitur, varie, & quaſi ad ſimulacrorum ſpeciem, prominentibus. Nondum vero exſpatiatus inde eſt amniculus, cum alter, *S. Thomæ*, vndoſus is quidem, & limpidus, eidem adfunditur. qua ille acceſſione, ita fit validus, vt molas perenne rotet. Specum huiatem, infra commemorandi erit locus.

V.

Parna, *tenuis amniculus.*

PARNA, coit e riuulis, quos montes iidem, vltra *Alsó-Diós*, emittunt. Hi, vbi ad *Szuham* oppidum conuenere, eodem alueo, *Zwoncsen* primo; *Albanum* poſtea; dein *Gerencsérum*, præteruehitur, molis, hic, atque illic, inſeſſus. In his, maximi fructus, *Tyrnauienſis* eſt. Miſcetur vltra *Gerencsér*, *Tyrnæ*, exitque cum eo in *Dudvágum*. Nomen, a vaporibus, Slauica dialecto, inditum credunt, quaſi eſſet, *Parná Woda*, id eſt, amnis *vaporem* vehens, quem demanans eructat.

V I.

Gidræ *ortus:*

decurſus:

exitus.

GIDRA, oritur in montibus, qui vltra *Vöröskőnem* adtolluntur, ideoque, per ſaxa, a fonte delapſus, alit trutas, & copioſas, & ſaporis probi. Nondum e vallibus prorſus eluctatus eſt, cum verſandis molis adhiberi incipit. Harum prima, in vico *Pjla* eſt, materiæ, in aſſeres findendæ, facta. Cum in plana ſe euoluit, *Pudmericzum*, factis minutioribus piſcinis, adluit. Inde, *Helmes*, *Gocznód*, oppido item *Cziffer*, *Puſzta-Paty*, *Tót-Ujfalu*, *Körtvélyes*, *Vödrőd*, *Páldy*, *vicis*, *iuſta inuicem* diſcretis intercapedine, adfunditur: paſſim, in exiles piſcinas *collectus*, atque *in* molares operas deductus. Exit in *Dudvágum*, infra *Abraham*. Pollet cancris, & piſciculis minutis.

V I I.

Viſztukenſis *riuus.*

RIuus *Viſztukenſis*, neſcio, an alio nomine cognitus; iſtud a vico accepit, ſupra quem e montibus emanat, ea regione, vbi *Dubowa* inſedit. Fertur placidus perennisque, *Bahonum*; inde *Kápolnam*; poſtea *Igramum*, *Csatajum*, & *Német-Gurábum*; dum Sárſőienſi vligini ſuffuſus, cœnoſo alueo, in *Danubium* egrediatur. Vehementem rapidumque, haud raro, imbres & diutinæ pluuiæ, efficiunt.

V I I I.

Siſciæ *fontes:*

SISCIA, (*y.*) ſeu *Sziſzuk*, intra conualles montium *Modrenſium* editus, atque ad rotandas molas, non longe a fontibus deriuatus,

C 2

y) Quæſitum aliunde nomen, ac forte a *Croatis*, *Senkvitzii* colonis, inditum, vt haberent, quo ſuam, his terris, peregrinitatem, ſolarentur. *Siſciæ* enim, e *Slauonia*, an *Croatia*? petitum eſt vocabulum.

decurſus:

uatus, mediam poſtea vrbem interfluit. Vix compita deſeruit, cum in planitiem effuſus, ſpatiatur liberius. *Nagy*, & *Kis-Senkvitzum*, interlapſus, iucundo meatu, *Sárfőnem* deuehitur. Inde, vaſtæ vligini adfuſus, a qua vico nomen eſt, tandem ad *Királyfalvam*, exit in *Danubium*. Recordamur adhuc, *Comitem Franciſcum Eſzterházy*, Semptzii herum, perlibrato collium, qui a *Sárfő*, *(z.)* ad oppidum vsque ſinuantur, poſitu, conſilium cepiſſe, egeſto canali, illac amnem deriuare. Opus, ſi perfectum fuiſſet, extra modum vtile. Præterquam enim, quod *Semptzio*, frequenti oppido, ſed egeno aquarum, perennes vndas ſuffeciſſet; inareſcere oportuiſſet, paluſtrem, duorum fere milliarium regionem, conuertique in prata, vberrimi fœniſecii. At, eam deſtinationem, quid interuerterit, ignoramus. Alioquin, diues fundulorum eſt amnis, & qua fit paludoſior, flutarum; ſed quæ, etiam cum cura excoctæ, moleſtum quid ſpirant, & palato non obtuſo, minus idoneum.

alit fundulos, & qua eſt limoſior, flutas.

I X.

Amniculus Bazingenſium:

NEque ſilendus eſt, *Bazingenſium* amniculus, modicus ille quidem; ſed, quod arci vrbique ſuffundatur, alatque trutas, dignus memorari. Prodit e profunda valle, quæ vltra *Czailam* vicum deprimitur. Varie is, e montium lateribus, corriuatur; ſed nusquam vberiori acceſſione, quam ad ſcaturigines, quas vulgus, *Pfaffen-Löcher*, incerta ratione adpellat. Tres harum ſunt, in dextri montis radicibus. Fundunt ſingulæ, limpidum frigidumque adeo laticem, vt vix ſine dentium noxa, bibi queat. Adfricuere ei *Bazingenſes*, aliam quoque laudem. Aiunt enim, ſi bibatur largius, accendere adpetentiam cibi. quod, an ſit re vera, *non habeo dicere*. Nos certe, ad eam potandam, *opipare ſatures* acceſſeramus. Sunt enim *vero*, *ea comitate* *Bazingenſes*, vt charos ſibi acceptosque hoſpites, ſi id, anni cælique temperies admittat, iſthuc educant, inſtructaque ad fontes

eius fontes, & acceſſiones:

frondoſo nemore menſa,

liberaliter accipiant. Quod & tunc faciunt ipſi, cum ſeuerioribus curis, animum laxare cupiunt. Eſt, in ſcaturiginum harum vicinia, inſigne antrum, natura, an arte, in petra cauatum? de quo infra. Hinc elapſus fluuiolus, fertur prono, ad vrbem, alueo, eaque interluta, decurrit, per agrum *Schwantzbachii*, ad oppidum *Tót-Gurább*, *Danubio*, riuis, quos iam dicemus, acceptis, infra *Cseklésum* mergendus.

X.

z.) Obiecto, ad *Sárfő*, aggere, non eſſet difficile, amniculum, in canales immiſſum, per eleuatiorem collium tractum, ad *Semptzinum* deriuare, atque illic vſibus, quibus volueris, adhibitum, emittere in *Danubium*. Quæ compendia, ſi vellent *Hungari* adhibere, breui, quod ſperarim, edocerentur, quanti ſit, naturam, ex ſe benignam, arte, ſibi feciſſe, tributariam.

X.

SVperſunt *Grünauienſis*, & *Szent-Györgyenſis*, riui: iſte, hoc tanto tenuior, quanto fontes ſunt vberiores. Editur ſupra *Limpachum*, non vno capite impertiturque vico nomen. Plano inde terreno, ſub vitiferis collibus, verſus *Grünfeldum* defertur. dum *Grünauam*, nobile, generoſioris vini prouentu, oppidum interluat, & molæ alterutri inductus, per amœna pratorum, exeat in *Bazingenſem* illum amniculum. Oppidani *Grünauenſes*, ex riui habitu, de vindemia, qualis ea futura ſit, coniectare ſueuerunt. Si enim, totam æſtatem exuberat, atque depreſſius illud iter, quod ex oppido, *Szent-Györgyinum* ducit, inundet; vinum daturam aiunt auſterum; probum contra, & laturum ætatem, ſi inareſcat adeo, vt via illa ſit puluerulenta. Vtrumque, haud fallit, quia cum cæli ſolique, coniunctum eſt rationibus. Nam, ſi æſtiui ſoles feruidi ſint, rarique imbres, deficiunt fontes ac riui; vinum autem fit excoctum; auſterum contra, ſi teporem æſtiuum, diutinæ frigidæque pluuiæ, interpolarint ſæpius, ideoque amnes intumuerint. De *Szent-Györgyenſi* riuulo, non eſt, quod dicamus; quia, & procurſu breuis eſt, & aquarum parcus. Habet fontes, ſupra arcem, valle ei ſiniſtra. Hac, in vrbem fertur. quam vbi rigaſſet, molamque, ſed temporariam eam, impuliſſet extra moenia, exſpatiatur in prata, paluſtri alneto, quod *Schoor* incolæ vocant, poſtea accipiendus. Torrentem melius, quam riuum dixeris, ita totus ab imbribus pendet. qui, dum copioſi effunduntur, ſubita capit incrementa, &, quod præcipiti valle delabitur, incurrit in vrbem, tanta vehementia, vt damna etiam patret inopinata.

Grünauienſis:

& Sz. Györgyenſis, *riui.*

X I.

EX alneto elapſus, in communem coit alueum, cui *Aquæ Nigræ* nomen eſt. *Fekete viz* Hungari; Germani *Schwartz-Waſſer*; Slaui *Czerná Woda*, adpellant. Vehit nimirum aquas, colore nigricante. quem alii humo, qua feruntur; nos alneto *Szent-Györgyenſi*, vbi deſidebant, tribuimus. Eſt enim alnus, in iis arboribus, quarum cortex & folia, parando ſutorio atramento, adhibentur. quid ergo mirum fuerit, ſi offuſas radicibus aquas, colore atro inficiat? Subluit *Cseklésum*, traiiciturque, hic ponte, ſi intumuit, illic, ſi manat humilior, decliui vado. Tandem, ſorbetur a *Danubio*, qui hac verſus *Királyfalvam*, tenuior delabitur.

Nigra aqua.

§. VII.

ALteram montium partem, non minus irriguam faciunt, crebri, & diuites aquarum, amniculi. In præcipuis ſunt:

Amnes vltra montes:

I.

Rudawa. RVDAWA, copioſus omnino fluuiolus, & quia ex montanis collectus ſcaturiginibus, limpidus ille quidem, ac pernix, dum in planitiem deuehatur. Poſtea, & mitior labitur, & ſabuloſioribus aquis. Intercurrit, primo omnium, *Prata S. Nicolai*, vicum opimum; inde *Szolocsniczam*; acceptisque illic, *Detrekőienſi*, & *Szolocsniczenſi*, amniculis, *Haſzbrunkam*; poſtea, *Lévárdinum* præteruectus, ingentemque molitus piſcinam, infra *Kis-Lévárd*, incurrit in *Morauam*. Piſcium minutorum, cancrorum, & murænarum in primis, fere ad prodigium vsque ferax.

II.

Riuus Detrekőienſis. *D*Etrekőienſis, exilis quidem, ſed perennis tamen riuus. Ideoque trutarum ei ſeminarium, nuper, inſigni prouidentia, herus curauit aggeri, ſucceſſu, vltra, quam ſperari poterat, felici. Exit e valle in orientem proiecta, labiturque, placido, per ſaxa, murmure, in occidentem. Qua fit vndoſior, benigne trutas iam ante aluit; at minutiores eas, quam pro menſis opiparis. Quæ res, conſilium ponendo ſeminario dedit, in quo, exile genus, tam diu aleretur, donec iuſta mole adoleſceret, præberetque ſeminium, grandius, cum ætate futurum. Iam, ad tria pondo, quod mirere, trutarum non paucæ, increuerunt. Elapſus e valle riuus, poſteriorem caſtelli oram, ſtringit, dum torrentibus aliis, permiſceatur.

III.

Szolocsnicenſis. *S*Zolocsnicenſis, riuulus eſt, e montium, qui ſunt *Vöröskőni* a tergo, ſummitate deiectus. *Cum ſuo ipſius* alueo vndoſior f

VIII.

Almáſienſis. *ALmáſienſis*, cognomine vico, vltra quem in montibus editur, degreſſus, fertur per medium, quod nunc meminimus, pinetum, eſtque, cum illic manat, *Stomphenſis*, & *Detrekőienſis* ditionis, perpetuus diſterminator. Eluctatus inde, plures molas frumentarias verſat, factisque piſcinis, quas a vico *Láb*, quem præteruehitur, *Lábenſes* dicunt, ſupra *Hochſtetten*, in *Morauam* incurrit.

IX.

Zohorienſis. *ZOhorienſis*, oritur in montibus *Lozornenſibus*. Inde præcipitatus, vicum interlabitur, diuaricatoque poſtea alueo, ita vehitur, vt dexter quidem, facto ad pinetum lacu, ſorbeatur totus, dum, hic & alibi reſudante humo, ad iuſti aluei modum, coeat denuo. At ſiniſter, *Zohorum* verſus, perpetuo curſu delatus, vtraque vici parte, in piſcinas colligitur, acceptoque *Stomphenſis* riui dextro brachio, *Morauæ* ſe intimat.

X.

Fluuiolus Stomphenſis, *& huius ingenium*: *STomphenſis* fluuiolus, eo inſignis, quod inter montes ortus, vicumque *Rowinam* interluens, montem ſubeat, & poſteaquam milliaris quadrante, ſubterraneus laberetur, erumpat denuo in apricum. Aperto demum alueo, ad mille paſſus prouolutus, iterum iterumque montibus, per occultos meatus, illabitur; dum, quaſi e carcere emiſſus, ſub dio ferri incipiat. Id, in ſubterraneo amniculo admirationem habet, quod cum longa ſpecu feratur, trutis tamen hoſpitalis eſt. Simul in apricum effunditur, ruit prona valle crebrosque hinc inde, adlabentes riuulos, *alueo accipit*. Vicus ei poſtea adſidet, arci *cognominis*, *& ab* oppido medio fere milliari, *intra orientalem vallem* reductus. Vltra vicum, valle riuulo aduerſa, reflexaque in aquilonem, malleus, æri in laminas procudendo, anno MDCCXIX. impenſa & prouidentia *Comitis Nicolai Pálffii*, inſtructus eſt. Antequam in officinæ eius rotas inuehatur obiectis aggeribus, in piſcinam colligitur, trutis alendis, nupero, vti diximus, conſilio, deſtinatam. Hac elapſus, officinæ inducitur, quam conflando ferro, herus excitandam curauit. Nempe, quidquid detriti, atque inutilis ferri, tota regione cogi poteſt, huc defertur, liquaturque denuo, inſigni fructu; quando, & ferrum inde euadit probum ac ductile; neque opus habet iacturam facere colonus, ferramentorum, quæ alias, ſitus & rubigo, inutiliter exedebant. Idem amniculus, ſic in rem herilem verſus, pergit ſtreperus decurrere, vsque dum caſtellum ſubluat, rigatoque oppido cognomine, & *Mariathalenſi*, *Beſzterczienſique*, riuis acceptis, duabus ingentibus piſcinis reſtagnans, *Morauo*, poſt breuem, per arua decurſum, ad *Dévény-Újfalu*, infundatur.

viuaria trutarum:

XI.

XI.

HAec *Piſonienſis* regionis flumina, hi ſunt riui. Plures, eosque ignobiliores, deſignare, ſuperuacuum ducimus. Nullus fere vicus montibus ſubſternitur, quin, accepto, e vallibus, fluuiolo rigetur. Proinde, vti campis, montibusque, ita aquis quoque, lætatur, tota circumquaque regio. quod, quam ſit ad vitam degendam opportunum, non eſt opus ediſſerere.

Piſcinæ commodiſſime inſtitutæ: Riuulorum hæc copia, piſcinis, vix tota *Hungaria* frequentioribus, vtroque montium latere, locum fecit. Maxime, transmontana regio inſeſſa eſt piſcium viuariis, quemadmodum laticis ſaluberrimi, ita reditus, quam reri poſſis, opimioris. In his cenſeas: *Stomphenſem*, *Maſztenſem*, *Rarbachienſem*, *Malaczkenſes*, & quæ nuper ſunt inſtructæ, reliquas. Ora citerior, ad *Prácsam*, *Szent-Györgyinum*, *Bazinium*, & infra *Vöröskőnem* paſſim, piſcinis interſtincta eſt; hic vberioribus, exilioribus alibi; nusquam tamen non fructuoſis. Bene verteret, ſi *Piſonienſium* hanc, ponendarum piſcinarum ſolertiam, æmularetur reliqua *Hungaria*, ea potiſſimum, cui deſunt amnes. Enim vero, ad rem familiarem auctitandam, non minus, quam, ad degendam commode vitam, pertinet, in promtu habere, vnde, & reditum promas, &, cum eſt neceſſe, eſcam. Scio equidem, dari paſſim, circa villas vrbanas, viuaria piſcium, luxus cauſſa ædificata; ſed, quæ adeo nihil reddunt prouentuum, vt ſuffurentur etiam, aliunde redeuntes. Sunt, nimirum, & inter populares noſtros, QVINTI HORTENSII ſimiles, qui loculatas quidem piſcinas, inſtruunt; at piſces, in ius (*) vocare, non audent. De eo M. TERENTIVS VARRO: (*a.*) *Quintus Hortenſius*, inquit, *familiaris noſter, cum piſcinas haberet, magna pecunia ædificatas, ad Baulos; ita ſæpe cum eo ad villam fui, vt illum ſciam, ſemper in cœnam piſces, Puteolos mittere emptum ſolitum. Neque ſatis erat, eum non paſci piſcibus, niſi eos ipſe paſceret vltro: ac maiorem curam ſibi haberet, ne eius eſurirent mulli; quam ego habeo, ne mei, in Roſea, eſuriant aſini: & quidem vtraque re, & cibo, & potione, cum non paullo ſumtuoſius, his miniſtret victum.* Expromit deinde alendorum piſcium curam, falſeque ridet difficultatem eos capiendi. *Celerius*, inquit, *voluntate* Hortenſii, *ex equili, educeres rhedarios, vt tibi haberes, mulos; quam, e piſcina, barbatum mullum.* Et porro: *non minor cura eius erat, de ægrotis piſcibus; quam de minus valentibus ſeruis. Itaque, minus laborabat, ne ſeruus æger, quam aquam frigidam biberent ſui piſces*, reliqua. Nugari videbimur, quod hæc noſtris hominibus exprobremus.

auctoris vota.

*) Luſus eſt, in ius vocabulo. Vocantur in ius piſces, dum *cocus*, prætorem ſe gerit; *conuiua* autem efficiunt ſenatum; perſerturque, vulgata, noſtris hominibus, ſententia: *maledictus piſcis, qui in tertia aqua natat.* Iſtud volunt; *fluuiatili exemtum*, & *feruido iure excoctum piſcem, non amplius* aqua, *ſed commeſtum*, vino *debere perfundi.*

a.) De *Re Ruſtica*, Libro III. Cap. XVII. extremo, p. 66., b. editionis Baſilienſis A. MDXXXV. *quarto.*

Sed ita eſt omnino, diſcunt haud pauci, non tam ad rem eſſe adtenti, quam ad elegantiam, nuper, atque id peregre, adſcitam. Aliter *Comites Pálffii*, quibus, & menſæ, omni piſcium genere, onuſtæ ſunt, & reditus ex piſcinis, maiores opinione. quorum rationes, non eſt iam noſtrum ſubducere.

§. VIII.

Fontes perennes:

NVnc fontes deſignandi eſſent, niſi, in regione ſaluberrimis aquis adfluente, ea diligentia, poſſet videri ſuperuacua. Diximus, ne ipſa quidem montium iuga, ita ſiticuloſa eſſe, quin reſident latice ſaluberrimo. Id iam, de eorum radicibus, eo confidentius adfirmamus, quo procliuius eſt, aquarum venas, deorſum ferri, & aperire, depreſſioribus locis, ſcatebras. Nempe, ſcatet ſubſita montibus regio, fonticulis, & perennibus, & ad potandum, ſalubribus. Collium vitiferorum, ea, cum primis, laus eſt; quod, ſicuti vitis, merum; ita illi, qua ſe in valliculas ſubmittunt, aquas fundant, vineaticis operis, non minus neceſſarias, quam vtiles. Neque id vnius, alteriuſue oræ, ingenium eſt: toto tractu, quam longe, ſub montibus, regio procurrit, fontanæ aquæ ſufficit affatim. Itaque, idonea, deprimendis puteis, humus eſt, eoque magis, quo vicinior montibus. Doluimus ſæpe, *acidulas, thermasque*, vulgata, per *Hungariam*, beneficia, naturam, *Piſonienſi* regioni, negatuiſſe. Sed, tolerari, vtraque hæc penuria, poteſt, quum fontes quidem acidos, probiſſima vina; thermas, hic *Danubius*, fontes ſulphuroſi alibi, egregie penſent, & ſine incolarum iniuria. Sunt nempe, exterorum imitatione, ſua, *Piſonienſibus*, apud *amnem*, *balnea*; vbi concalefactis aquis, lauare *poſſis*, *non* munditiei modo, ſed etiam valetudinis cauſſa. Plane enim adſentior illis, e medicorum ſchola, qui vndis *Danubialibus* plurimum ineſſe ſalubritatis, cum ratione, adfirmant. Mixta, nimirum, tenui ſabulo, *(b.)* *Danubii* eſt aqua, quod quia, vel ex imo alueo, vel ripis, ſaxoſis hic, alibi, e vario terrarum genere compoſitis, abraſum eſt; non poteſt non, ſi calefiat, æmulam thermarum habere efficacitatem. Vt illapſos, altiſſimorum montium, amnes torrentesque, taceamus, vehentes quidpiam, quod huc pertineat. Quod ad ſulphuroſos medicatosque fontes, adtinet, plures horum, ſi indagarentur, exſtarent. nunc, ob incuriam hominum, pauciores habemus cognitos. Quia enim, & *ſulphur* fit in regione, & *nitrum*, facile eſt ad coniiciendum, trahere inde virtutis quidpiam, transcurrentes aquarum venas. Hodie, in primis fons *Szent-Györgyenſis* frequentatur, ante tria fere luſtra, a ſitu limoque, repurgatus. Adfirmatum nobis eſt, multæ eum, & fere exquiſitioris virtutis, olim fuiſſe: quippe, non ignoratum antiquitus. Igne calefit,

acidularum & thermarum inopia, quibus rebus penſetur:

balnea, in aquis Danubii, ſunt ſalubria:

fons Szent-Györgyenſis, *ſulphuroſus:*

b.) Non ergo ſunt ridendi, qui vernis menſibus, lauare amant, cum eſt turbidiſſimus *Danubius*; tametſi, & hæc prouidentia, *nuper* admodum cœperit.

fit, *vt* poſſit lauationi adhiberi. Adpoſita ei ædicula eſt, & in hac, conclauia, cadis inſtructa, quibus lauantes vtantur. Sulphure abundat magis, quam nitro, ideoque idoneus artubus conſolidandis. *Sulphuroſi enim fontes*, ſi VITRVVIO *(c.)* credamus, *neruorum labores reficiunt*, percalefaciendo, exſugendoque caloribus, *e corporibus, humores vitioſos*. Id ille quidem, de calidis natura fontibus, adſerit; ſed, quin eiusdem frigidi quoque ſint naturæ, ſi concaleſcant, ambigendum non eſt. Aqua ipſa, colore eſt lurido, guſtu, ſi potare velis, inſuaui, & forte etiam *(d.)* nociuo.

Stomphensis *nitroſus:*

Eſt & *Stomphæ* fons, ad lauandum, magna olim ſalubritatis opinione, adhibitus. Sed pauciores ſunt hodie, qui eo vtantur. Alii, ſalubrius bibi aiunt, quod ſit nitro grauidatus. Vtinam facerent eius rei documentum, quorum id intereſt. Sunt alibi *(e.)* quoque fontes medicati, ſed inculti, ideoque minus celebres.

Bazingenſis *neglectus:*

In *Bazingenſi* agro, ad vallis, ex qua riuus, cuius nobis fuit mentio, prouoluitur, aditum, ſub grandi ſaxo, ſcatebra eſt, odore ſulphuroſo, guſtu ſubamaro. Relatum nobis eſt, priſcis temporibus, intectam, omnique, ad lauandum, commoditate, inſtructam fuiſſe, magno aduenarum concurſu; dum metu graſſantium hoſtium, deſereretur penitus.

Atque hæc quidem, de aquis, montanæ oræ, accipi volumus. Nam, qua, vel depreſſior eſt regio, vel recedit intra *Danubii* inſulas,

Quærit aquas, in aquis,

incola. Parua quidem foſſione, puteum cauaueris, ſed venarum lentescentium. Sunt tamen, media in inſula, ſitus, qui puteos habent, vix quidquam montanis deteriores. Neſcio vero, anne aquarum vitio, *Csallóköziensium* quorundam ſtrumas auſim tribuere: cum & aliæ, *eius rei, eſſe poſſint* cauſſæ. Peregrinis certe, & conuenis, quibus referta iam inſula eſt *paſſim*, *nihil exſtantis* noxæ adferunt; vt pronum ſit exiſtimare, natiuitatis id culpa fieri.

aquæ Csallóköziensium *puteales.*

§. IX.

Aeris temperamentum:

QVemadmodum ſoli, & pro huius ingenio, aquarum ratio, in noſtra hac regione, diuerſa eſt; ita, cæli quoque temperamentum, variat. Vniuerſim, ſaluberrimi ea poſitus eſt: nam, & montibus inhorreſcit, & miteſcit planitie. Ac montes quidem, retundunt aquilones, nimium per plana ſæuituros: iterumque, ſi nimium æſtuet, depreſſiore, in meridiem & orientem, plaga, mitigant aeris feruorem, disiiciuntque tempeſtiuis flatibus, *id*, quod poſſet in aëre, putredinis hæreſcere. Nunquam ergo deeſt cælo huiati, quod

prope ad montes, ſaluberrimum:

c.) Lib. VIII. Cap. III. Adde, A. CORN. CELSVM, Lib. V. c. XI. extremo, p. 263. editionis WEDELIANÆ, Ienæ, A. MDCCXIII. *octauo.*

d.) Meminimus, potatum, febres conciliaſſe lauantibus. quod, an fontis, vel lauantium factum ſit vitio, non habeo dicere. Illud certum eſt, intemperantiam omnem, refugere balnea, quæ heic, non raro, vltra modum lauantibus dominatur.

e.) In *Vörösköi* vicinia, paſſim.

putaueris ad ſalubritatem neceſſarium. Immo, ſi nil quidquam, montium hi obiectus, ad eam rem conferrent; *Danubius* certe, cum ripis coercitus manat, non ſineret aerem tabeſcere. Nam, pro aquarum mole, qua nulli Europæ fluminum ſecundus eſt, trahit ſecum, ventos, a *Ceciis* montibus delapſos. qui, late peruagati regionem, perpurgant aera, vegetantque, etiam abditos quosque receſſus. Ne quid tamen diſſimulemus; ſi æſtas incubuerit ſolito feruidior; neque dimanauerunt lacunæ *Danubii*, primo vere oppletæ; aer, concaleſcentibus, *Sirio*, aquis, moleſtum quid redolet; haud tamen ita inſalubre, vt contagio inde poſſit concipi. Huc, credo, reſpexiſſe, laudatum COBERVM, *(f.)* dum, *crebræ*, inquit, *paluſtrium regionum vligines, numquam non ſuſpectæ ſunt. Quid vero Pannoniis aquoſius? apud quos, quum plerique amnium, vix decliuibus montium iugis, præcipitentur, paullulum, nimbis denſioribus adaucti, non poſſunt non alueos ſuos deſerendo, magnas aquæ moles, circumiacentibus locis, infundere: quæ limoſis voraginibus exceptæ, noxium certe, Germanisque plane inimicum putorem, exhalant. Iſtri autem cataractas, nullaque vi comprimendam violentiam, ne adtingamus quidem: cum imperii impatiens, quoquo velit, exſpatietur, tanto paſſim vndarum diluuio, agros & planitiem obruens, vt aſſidua memphiti, militibus noſtris, aera, viatoribus itinera, non parum incommoda, reddere ſoleat.* Quadrarent hæc ſane, & in aerem *Csallóközienſem;* niſi peruia, illapſui ventorum, regio, hoc, quidquid eſt vitii, tempeſtiue reſpueret. Plus fere noxæ habent, frequentes craſſæque nebulæ, quas exhalat *Danubius*, vernis, auctumnalibusque menſibus. Nam, ſi vitium, in frumento faciunt, quod iam monuimus; non poſſunt certe, ſalubres eſſe hominibus, præſertim, quando incubant diutinæ. Interim, nemo incolarum eſt, qui, ſeu fœtorem aquarum damnet, *ſeu accuſet* nebulas. Degunt ii, & vegeti, & *longæui etiam. Vidimus* alienigenas, huc delatos, *vnius febriculæ beneficio*, ita aeri conſueuiſſe, vt iſthic natos enutritosque crederes. quod argumento eſt, nemini, niſi culpa *(g.)* ſua, perniciabilem eſſe, cum generatim, aerem *Hungaricum*, tum noſtrum hunc, *Piſonienſis* agri. Sed, vltra montes, vbi, & ſitus editior eſt, & venti magis vehementes, adeo nihil in aere ineſt, qnod poſſis damnare; vt credam, vix alibi homines colere, maiore valetudinis ſecuritate. Enim vero, habet hoc obſitus meridiei atque orienti, *Carpathus*, vt Euros, Auſtrosque, mitiget, regionique reddat commodos. Accedit, ſabuli, quo obrutum eſt terrenum, copia. Id namque, & vapores terreſtres transmittit ſegnius, &, vbi madefit imbribus, temperat aerem, etiam ad vitium procliuem. Hoc in eo aduertimus incommodi, quod æſtiuis ſolibus candefactus, ſegetem, ante meſſem, adurat, atque, repercuſſo calore, inflammet aerem, magna, viatorum non minus, quam incolarum, moleſtia. Quin, accidit haud raro, vt ex eodem ſabuli feruore, pinetum ipſum, flammas concipiat, magnam in

non æque laudabile, ad lacunas:

quo ſit ingenio, trans montes.

f.) Obſeruat. Medicarum Caſtrenſ. Dec. I. Obſerv. X. in ſcholio, p. 57.

g.) Legeſis laudatum nunc COBERVM, paſſim, ejus *rei* teſtem oculatum.

in piceis arboribus, ſtragem edituras; niſi, concurſante, ad reſtinguendum incendium, multitudine, obuiam iretur calamitati.

§. X.

ISto, cum ſit habitu, prouincia noſtra; nihil non gignit, quod eſt, ad vitam, cum commoditate, tranſigendam neceſſarium. Haud quidquam præter rem dixerim; ſi adfirmauero, ex ſe ſuffecturam ſibi ipſi regionem; tametſi, nihil commeatus, a vicinis acciperet. Eamus, ſi lubet, per ſingulas, tolerandæ vitæ, neceſſitates. *Panis*, quem diuina prouidentia, ita corpori humano fecit cognatum, vt ei paſcendo, nihil rerum natura produxerit accommodatius, & copioſus intra fines noſtros eſt, & laudatiſſimus. Enim vero, quaquauorſum patent, valent agris frumentariis. Probatiſſimum in his, *triticum*, *ſiligo*, *hordeum*, & ſegetum reliqua genera. quin & leguminum affatim naſcitur: vt ſuperſit non raro, quod aduerſo *Danubio*, Auſtriæ ſubmitti queat, dum eſt illic annonæ caritas. Sed molendi, etiam, ſeu opportunitas, ſeu artificium, nuspiam exquiſitius. Nam, vt nauales, in *Danubio*, molas, quæ cum multæ ſunt, tum factæ inſigniter, taceamus; nullus amniculorum eſt, quin pluribus inſideatur. Data opera, hanc regionis commoditatem, memoramus; quando non raro, per *Hungariam* accidit, vt inareſcentibus aquis, ortaque inde molendi difficultate, fames propemodum inualeſcat. quod annis in primis, MDCCXX.; MDCCXXII.; & MDCCXXVIII. eueniſſe, adhuc meminimus. Ceterum, præcipua pani *Piſonienſi* eſt gloria. Secundas, *Tyrnauienſis* tenet; Somorjenſis tertias. *Piſonienſis* certe, in tanta, non *Hungarorum modo*, ſed *Germanorum* etiam adprobatione eſt, vt & Viennenſibus menſis, *adponatur. Accedit* ad hanc naturæ, in educandis ſegetibus, benignitatem, nuper adhiberi *cœpta diligentia*; vt, quod annus vberior frugum dedit, non iam ſiris, (*) vti antea; ſed granariis condatur. Qua cura, id adſecuti ſumus, cum erat annonæ difficultas, vt tantum inde promeretur frumenti, quantum, non dicam fami depellendæ; ſed caritati etiam leuandæ, ſufficiebat. Suam hanc prouidentiam fecere, *Comites Pálffii*, *Eſzterházii*, *Erdődii*, *Illyésházii*, & e viris nobilibus, haud pauci: vt habeat omnino, quod heic quoque æmuletur *Hungaria* reliqua. Quin & triturandi, maior incipit eſſe adcuratio. Cum enim antea, orientalium populorum ritu, equorum vngu-

Regionis fertilitas:

panis præſtantia, & frumenti copia:

cura granariorum:

triturandi adcuratio:

*) Accepimus, eum morem, a gentibus transmarinis, quibus eum adſcribit COLVMELLA, Libro I. Cap. VI. *De Re Ruſtica*, p. m. 57. a. *Poſſunt*, inquit, *etiam defoſſa frumenta ſeruari, ſicuti transmarinis quibusdam prouinciis, vbi puteorum in modum, quos adpellant Siros, exhauſta humus, editos a ſe fructus, recipit.* Immo, aliter, quam putei, cauantur. Os illis rotundum eſt anguſtumque, ad pedes quatuor depreſſum. Inde, venter init, ad vrcei modum, lente, & in circulum propagatis lateribus, dum in fundo coeant. qua de re, data opera, alibi; nimirum: *Notitia Hungariæ Nouæ, Phyſica*, Lib. de Re Ruſt. Hung. Cap. I. Memb. II. Sect. II. §. XVI. quod agit de *Granariis*.

lis, depoſitæ ſub dio, aceruatim, fruges extritæ fuerint; iam in horrea reponuntur paſſim, excutiunturque tritura. quod quidem, & grano commodius eſt, & ſtramini. Nam iſtud ſane inutile; frumentum autem, multis contaminatum ſordibus, reddebatur. Audiui, queſtos inſtitores, de frumenti *Hungarici*, & ad ætatem ferendam, & ad præbendam farinam, incommoditate. Id ego, ſi ita eſt, præpoſteræ illi triturationi tribuerim, quodque vis frumenti, diu intra aceruos tabeſcentis, acciſa fuerit, & in ipſa gluma paleaque, præfocata. Adde, decimandi modum, nulla vspiam regione, vſitatum; ſed frugibus profecto maxime noxium. Demeſſum enim, & manipulatim, per agros, depoſitum, ſæpe, in alterum vsque menſem, decimatorem exſpectat, dumque is adeſt, imbribus perlutum, in ſpicis, aut putreſcit, aut certe pullulat. Ea demum, ſeu incuria, ſeu quidquid aliud eſt, plus ſæpe optimæ frugis deperditur, quam ſi grando, meſſem, calamitate præuertiſſet.

cur inſtitores, frumentum Hungaricum, aſpernentur?

§. XI.

Vini prouentus:

CEreris hæc fuerunt munera, nihil quidquam parciora ſunt, quæ *Bacchus* fundit. Vitem volo, ita familiarem noſtris collibus, vt, cum per vniuerſam fere *Hungariam*, peregrina haud ſit; hic vernacula dici mereatur. Colles, ea conſitos, paullo ante, in hiſtoria montium, commemorauimus: nunc, quo ſinguli fructu ſint, qualeque vinum præbeant, dicendum eſt. Laudatiſſimum, noſtra adhuc ætate, vinum *Szent-Györgyenſe* habebatur, idque ſuo merito: nam, & virtute pollet, & colore, & ſapore, quæ tria, ad *Cos*, illud vini requiri, nemo vinoſus ignorauerit. Itaque, magni *fructuoſique vini*, apud *Szent-Györgyenſes*, mercatus *fiebant*. *Accedebant* ad oppidum *Poloni*, & *Sileſii*, aufferebantque, non raro, integrorum annorum fructus, ingenti ære poſt ſe relicto. Durauit hæc *Szent-Györgyenſium* felicitas, vltra ſesqui ſeculum, hoc eſt, a WLADISLAI Poloni temporibus, quæ anno MDXVI. exiere, vſque ad LEOPOLDI M. ætatem. Ferunt, cum WLADISLAVS, fratrem *Sigismundum*, Poloniæ regem, ad feriendum. cum MAXIMILIANO Cæſare, fœdus, conciliandasque LVDOVICO filio, cum MARIA Auſtriaca, nuptias, *Piſonium* exciuiſſet; tantopere vinum huias, adamauiſſe *Polonum*, vt, & hoſpes in *Hungaria*, biberit lubenter, neque ceſſauerit poſtea, in annos ſingulos, numeroſioribus plauſtris in *Poloniam* importare. Hoc dein regis exemplo, factum eſt, vt vix magnatum cuiquam cella eſſet vinaria, niſi vino *Szent-Györgyenſi* referta. Ac, floruit omnino hæc vini exiſtimatio, vsque ad IOHANNIS III. ætatem, de quo relatum nobis eſt, poſt liberatam obſidione *Viennam*, cum exercitus Chriſtianorum, aduerſa *Piſonio* ripa, ſtatiua habuiſſet, huc excurriſſe, vt locum ſpectaret, pridem generoſi prouentu vini, ſibi cognitum. Sed hanc famam, ſi fatendum, quod res eſt, *Szent-Györgyenſes*, ſua culpa decoxere. Nempe, *Tokaienſes* æmulaturi, paſſum

Szent-Györgyenſis *laus:*

& decreſcentis famæ, cauſſæ:

ſum factitare coeperunt, quæ res, vinum reliquum, non potuit non macrum reddere, &, cum ex ſe forte ſit, ſubducta dulcedine, auſterum. Oportet enim, genus vuarum optimum, & quod excoctum eſt maxime, immo paſſum, excerpere, idque demum, muſto, nobiliſſimo eo, maceratum, exprimere, vt vinum inde fiat, dulcoris non minus, quam virtutis, eximiæ. Ergo, quidquid lucelli, per hæc compendia, partum eſt, detrahi id de laude vini oportuit: maxime, cùm vix eſſet, cui, vel tenuiſſimus erat vinearum modus, qui non artem nuperam, ſibi faceret tributariam. Acceſſere, quod fit, ex vicina *Auſtria*, veteratores, *(h.)* eidem imminentes lucro, qui muſtum, ſaccharo, & qua non colluuie alia, deprauatum, ad ſimilitudinem vini paſſi, effingerent. Fama rei, vti fit, pedetentim, didita, coepit vilius haberi vinum *Szent-Györgyenſe;* tanquam exſangue illud, & optima ſui parte, fraudatum. Sed, nec *paſſo*, ſua diu conſtitit exiſtimatio, ob lucripetas, quos *nunc* accuſauimus. Quidquid eius ſit, generoſum eſt *Szent-Györgyenſe* vinum, & non vulgaribus modo; ſed principum etiam menſis, idoneum. Laborante eius fama, *Rétsenſe*, *(i.)* magna, exterorum in primis, adprobatione, celebrari cœptum eſt. Qui rei initia meminerunt, a *Carolo Raygero*, ſeniore, *Piſonienſium* medico, & ſedulo, & felici, conciliatam eam opinionem, perhibent. Rogatus ille ſæpius a peregrinis, in militiam Hungaricam proficiſcentibus, quale ſibi vinum in primis commendaret; plerumque *Rétsenſe* nominabat; quod & tenue eſſet, neque ſulphuroſum, & aqua dilutum, *Rhenanum* quodammodo æmularetur. Valuit præconium, immo breui inualuit tantopere, vt non caſtrenſes tantum menſæ; ſed vrbanæ etiam, ac *Viennenſes* potiſſimum, ieiunæ haberentnr, niſi *Rétsenſe* vinum, hoſpiti *propinaretur*. Relatum, idoneis auctoribus, accepimus, *Comitem Nicolaum Pálffyum*, *nuper Regni Hungariæ Palatinum*, quiritantibus vicinis, vile pretium vini; quodque *vnicum Rétsenſe*, magno veneat; reſpondere ſolitum: hanc ſibi felicitatem, *centum aureis nummis* conſtitiſſe: agerent & ipſi, imitarentur, ſuam *in medicos*, liberalitatem; fore breui, vt eorum commendatione, & fama, vina ſua inualeſcant, & pretio. Ad eundem fere modum, *Surrentino*, in Italia, conciliata eſt nobilitas. De eo PLINIVS: *(k.)* TIBERIVS CAESAR, *dicebat*, *conſenſiſſe medicos*, *vt nobilitatem* Surrentino *darent; alioquin eſſe generoſum acetum:* C. CAESAR, *qui ſucceſſit illi*, *nobilem vappam*. Iam, delicatiſſimis quibusque, in deliciis eſt, bibiturque, ingenti ſalubritatis exſpectatione. Ac profecto, inuidus ſit, qui laude ſua velit fraudatum: tum maxime, cum annus viti fauit. Eſt guſtus placidi, odoris iucundi, coloris, ſi alterutrius anni tulit ætatem, ad aureum accedentis. Epotum, neque caput facile tentat, neque neruos; ſed, concalefacto ſtomacho, pronum ad veſicam fertur. quæ virtus, in

Rétsenſe, *quo auctore, innotuerit:*

h.) Defendimus aliquando, *Szent-Györgyenſes*, & eorum vindemiam, publica apologia, quæ exſtat in *Obſeruationum Wratislauienſium*, tentaminibus.

i.) Germani, *Ratſchdorffer*, vocant; vulgus, *Ratſchiſchdorffer*. Hungari *Rétsei-Bor*.

k.) Natural. Hiſtoriæ, Lib. XIV. Cap. VI.

ſuppar ei Prátsenſe, *eſt:*

in primis probatur medicorum filiis. Nunc, ne fraudi locus relinquatur, ſtigmate inuruntur vaſa *Rétsenſia*, quæ niſi referant, vocari poſſunt in ſuſpicionem. Nec quidquam *Rétsenſi* vino, *Prátsenſe*, *(l.)* (vicus eſt, in ditione vrbis Piſonienſis, idemque *Rétsino*, vicinus) concedit; niſi prorſus anteferendum ei ſit. Quidquid enim in illo laudauimus, cumulate, in iſto quoque, deprehendas: ætatem vero, etiam diuturniorem. Itaque, non tam, ſeu guſtu differunt, ſeu colore; quam fama, quæ huic obtigit parcior. Iam, & *Rétsenſis* nomine, venire cœpit, non modo ob ſituum, quibus prouenit, adfinitatem; ſed etiam, quod *Rétsenſi*, prorſus habeatur ſimillimum. Poſtea, *Bazingenſia*, laudaueris, & his adfinia, *Grünauenſia*, *Limpachenſia*. Pingui ea ſunt liquore, ſi excocta fuit vindemia, & forti eo, quique facile caput contemeret. Proxime his *Piſonienſia* accedunt, ea cum primis, quæ confines *Rétsino* colles gignunt. *Hohenau* illis vulgo nomen eſt. Nam, & guſtu pollent, neque ſunt vltra modum ſulphuroſa. quod vnum, vini huiatis vitium, accuſant aduenæ *Hungari*. Neque id quidem iniuria. Nam eſt omnino, id, vino totius prouinciæ, quodammodo proprium; quod ſulphure turgeſcat, nunc ſublimiore illo, nunc, prout anni fuit ingenium, craſſiore. Accedit, hominum noſtrorum conſuetudo, haud quidem laudabilis, qua vinum, ex ſe grauidatum ſulphure, eodem fumo, amant inficere, rati, ad colorem id, ætatemque, vino conciliandam, pertinere. Neque falluntur prorſus, circa ea vina, quæ, natiuum ſulphur, exhalant facile; his enim, vtique conducit; ſed quod eo, vina vniuerſim omnia, offarciunt, peſſime, cum vino conſulunt, tum potori. Multos experientia docuit, carere poſſe, his artibus, vinum noſtras, modo vaſis condatur puris, cellario reponatur idoneo, caſteque poſtea, & integre *habeatur*. Longum foret, vinorum, quæ tota *prouincia gignuntur*, ſingula genera, proſequi. Sua *Modrenſi*, *Tierlingenſi*, *Senquitzenſi*, *Vöröskőienſi*, *Diőſienſi*, *Schwantzbachenſi*, *Shuhenſi*, & trans montes, *Konyhenſi*, laus eſt. quam tamen, non retuliſſe, nullum famæ fuerit diſpendium. Veteri prouerbio *(m.)* circumfertur: Vineas *Piſonienſes*, diffuſiſſimas; optimas *Szent-Györgyenſes*; *Bazingenſes* elegantiſſimas; vberrimi fructus, *Modrenſes* eſſe. Id vnum, in tanta vini copia, ad regionis felicitatem deeſt; quod, peregre quidem mercatores, propemodum nulli accedant; euehendi autem ad exteros, difficultates ſint inexſuperabiles. Itaque, quidquid vitis profudit, id exſorbeant incolæ, neceſſe eſt: magno, cum rei priuatæ, tum publicæ, detrimento. Præterquam enim, quod promiſcua plebs, vinum potare conſueſcat, & tempeſtiue minus, & intemperanter; multi ea perpotandi lubidine, non rem modo familiarem, ſed vitam etiam turpiter prodigunt.

Bazingenſium, *& quæ ſunt vicina, laus:*

quo loco Piſonienſia *ſint habenda?*

Modrenſia, *reliqua.*

§. XII.

l.) Germanis *Weinern* dicitur, etymo, a cultu vinearum, ducto. In diplomatibus priſcorum regum, *Szélés*. Slauis, *Winári*, dicitur.

m.) Germanice: *Das Preßburger Wein-Gebürge, iſt das gröſte; das S. Görger, das beſte; das Pöſinger, das ſchönſte; und das Modrer, das trächtigſte.*

§. XII.

Hortorum ratio:

HOrtorum, quam vinearum, haud deterior eſt ratio. Seruntur hi paſſim, magno fructuum prouentu. Nusquam fere vinea eſt, niſi altioris ſitus, atque interpoſita plurium vicinitatibus quin ad pedem, arbuſtum habeat, vti varietate, ita præſtantia ſeminum, inſigne. Sed hæc vulgaria ſunt, & vineis fere omnibus, communia. In noſtris, *ceraſorum*, *perſicorum*, *prunorum*, *pomorum*, *pirorumque* genera, non niſi exquiſitiſſima, repereris. Auget gloriam, quod primi ſint *Piſonienſes*, qui ceraſorum primitias, Regi offerant. quam conſuetudinem, in vrbis hiſtoria, memorabimus. Sunt paſſim caſtanearum quoque nemora, proceris, & annoſis arboribus, opaca: quod argumento eſt, non eſſe nouam, ſerendarum arborum, apud noſtros, induſtriam; ſed acceptam a maioribus. Quorum prouidentiæ, id quoque in acceptis ferimus, quod inſulas *Danubii*, in primis circa *Piſonium*, multa, exquiſitiſſimaque arbore, conſeuerint. infelici quidem poſitu; cum ob eluuiones amnis, vagasque eius ripas; tum maxime, quod rarius, fructibus grauidentur: ſiue id, roris vitio fiat, (*) florem depaſcentis; ſiue nebularum, quæ obſident inſulas, nimietate. At, vbi tempeſtas, cum arbore, concordauit, dici nequit, quam hic *Pomona*, ſit fructuum prodiga. Implentur naues onerariæ fructibus, qui partim domi conduntur, partim euehuntur in *Auſtriam*. quæ quidem fœcunditas, ſi rediret frequentius; ſaltem, in ſingula luſtra, ſemel atque iterum; inſignes, hinc quoque, reditus, colono fierent. Iam, accidit rarius, vt iſta fructuum vbertate lætari queant. Pomaria hæc fuerunt, ſilueſcentia magis, quam arte poſita. Sunt & horti, exterorum imitatione, *non ad oblectandum* modo; ſed ad luxum etiam, extra modum perculti. De *ſuburbanis Piſonienſium*, ſuo loco, dicemus, quod res eſt. In his, qui per receſſus optimatum *ſparſi ſunt*, palmam habet, *Király-falvenſis*, impenſa, *Comitis Johannis Pálffy*, poſt ſedatos *Rákóczianorum* tumultus, adparatu, prorſus magnifico, inſtructus. Nihil eſt facile, ſiue domeſticæ, ſiue exoticæ arboris, quod heic non conualuerit. Oblectamentorum certe, tanta ſunt genera, quanta, qui oculis non vſurpauit, animo vix præceperit. Nos, hortum, pro eo, ac meretur, tunc deſcribemus, cum ad loci mentionem ventum fuerit. Secundus hinc eſt, *Cseklésienſis*; ſiue heri dignitatem ſpectes; ſiue cultum. Obiacet caſtello, inter orientem, & ſeptentrionem, diuiditurque bifariam; ſic, vt iter, tiliis, vtroque latere conſertum, intermittat. Fit vero, ſumtu, *Comitis Joſephi Eſzterházy*; neque enim ſuccreuit adhuc: quippe, aliquot retro annis, poni coeptus. *Vöröskőienſis*, *Stomphenſis*, *Malaczkenſis*, & *Detreköienſis*, non tam in viridariis habendi ſunt, quam pomariis, aut certe iis hortis, qui culinæ cauſſa poſiti ſunt. Sed, hor-

conſeruntur ad vineas:

caſtaneta:

inſulæ pomiferæ:

viridaria:

Királyfalvenſe:

Cseklésienſe:

*) Poſſis etiam, veris, apud nos, ingenium accuſare. Id enim, quia præmature init plerumque, prolicit quidem, gemmas floresque arborum, opinione celerius; ſed, quos demum adurunt pruinæ, vere adoleſcente, ingruentes. qua clade, non æque adfliguntur arbores, vbi ver eſt ſerius.

horti olitorii, & horum prouentus:

tos olitorios commemorare, ſuperſedemus, quod iis, vrbes, oppida, vicique, obſeſſi ſunt. Nusquam culinares herbæ felicius proueniunt, quam apud *Piſonienſes*, atque in primis in inſula, cui *Engerau*, nomen eſt; ſed nusquam etiam veneunt vilius, ob copiam, quam, in dies ſingulos, integris plauſtris, inuehunt olitores. Vix vlla eſt oleris ſpecies, herbæ, radicisque genus, quin id noſtra regione lætetur. Deponitur & *aſparagus*, proficitque tanto incremento, vt nos ipſi virgas, in domeſtico hortulo, educauerimus; quorum quinque adpenſæ, vulgaris ponderis modum, æquabant. Olim, agreſti ſolum, & qui in vineis ſponte ſuccreſcit, viuebatur; dum, *Brucko, ad Laitam*, hortenſe iſtud ſeminium, nulli tota *Auſtria*, ſecundum, adferretur. *Caules*, ruſtici montani, & campeſtres, pangunt; ſed illi quidem, quam hi, fructu ſolidiore, quique vaſis conditi, & ſapiant exquiſitius, & perdurent longius. *Allii*, & *ceparum*, vis infinita, quæ cum *Aſcaloniticis*, de palma queant certare; ſed, vſus etiam frequens, neque is, quod delicati metuunt, noxius; niſi forte, quos natura fecit abhorrere. Adplaudimus ergo noſtris, IVVENALIS *(n.)* illo:

> *O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis*
> *Numina!*

pepunum vbertas:

Numina, inquam? Ita eſt! *Nam allium, cepasque, inter Deos, iureiurando habet Aegyptus*, auctore PLINIO. *(o.)* Neque minor eſt *peponum* vbertas; non hortenſium modo, ſed agreſtium etiam. Nimirum, apertis campis, egregio profectu, ſeruntur, apud inſulanos potiſſimum. Atque hi quidem, ſi æſtas erat feruidior, exeunte fere *Iulio*, matureſcunt, tam copioſi, tamque diuerſi ſeminii; vt vel cogitando fatigere. Tunc vero, inuehuntur in vrbem, diebus ſingulis, *magna ementium* concurſatione. Obſeruauimus, *trihorii ſpatio*, decem plauſtra, veniiſſe. De his COBERVS: *(p.)* *Alit Hungaria, & quidem in copia profert, pepones; ingentis aliquando molis: qui menſe præſertim Auguſto, a ſummæ, & imæ conditionis, militibus, maxime expetuntur. Et eſt ſane, ſingularis munificentiæ* DEI *paternæque prouidentiæ, exemplum: quod vinis, præſertim ſub Sirio, nimium efferueſcentibus, hæc humiditatis, & frigiditatis iucundæ, licet in exceſſu contemperatæ, delitiæ, ex diametro opponuntur; ſic, vt apud adſuetos, & cum calida ſiccaque temperie, colluctantes, peponum vſum, minime redarguerim, immo commendauerim; modo non ſub melle, venena deliteſcant.* Hactenus recte. Nam ſunt omnino, pepones, (rectius *Melones (q.)* adpellauerimus) in Hungaria, non ab re, tam copioſi, tamque dulces, ac varii, a natura producti: quod ſane, agnoſcant, oportet, populares noſtri. Quod autem addit, bonus ille, nolim ſcri-

Coberi, de iis, ſententia:

n.) Satyra XV. verſu 10.

o.) Lib. XIX. Cap. VI. p. m. 382. edente SIGISMVNDO GELENIO, A. MDCI. for. *duodecima*. vbi & *ceparum Aſcalonitica-rum præſtantiæ* fit mentio.

p.) Obſeruationum Decade II. Obſerv. VIII. p. 40.

q.) Lege, ea de re diſputantem, LVDOVICVM NONNVM in *Diætetico*, ſiue de *Re Cibaria*, Lib. I. cap. IV. p. 67. ſeqq. Prodiit *Antuerpiæ* A. MDCXLVI. *for. quadripart.*

ſcripſiſſet: *Demonſtrabam*, inquit *pepones Noricos, Pannonicos longe poſt ſe relinquere: quod illi ſolerti cultura, in apricis, & mediocriter arenoſis glareis, ſuccreſcant, & ad maturitatem deducantur; iſti vero, humi tantum repentes, nullo fere ſtudio, ſponte ſua, plus ab vmbroſis locis humiditatis, & molis, quam a peruiis radiis ſolaribus, ſuauitatis & maturitatis, mutuentur. Maxima enim copia peponum, ex congeſtis, quæ trinis Danubii alueis, in plures inſulas ſeiunguntur, ad caſtra deportantur: qui, ob ſuperabundantem humiditatem, numquam non ſuſpecti fuerint. Accedit, quod ex ſemiputribus glebis, noxium quid, & virulens, tuberum inſtar, exſugant. quod deinde, non ſine graui damno, veſcentibus infundunt.* Hæc ille, quæ, vt confutemus, neceſſe non eſt, cum male ſibi conſtare ſingula, vel rerum ignariſſimi, facile perſpiciant. Quis credat, *Noricum* ſabulonem, cælo ſoloque noſtrati, anteferendum? Eccur vero, ſi illic tanta vtriusque eſt benignitas, *Franconiæ* vina, *Rhenanumque* illud, *Hungarico*, non fit generoſius? de quibus COBERVS ipſe: *(r.)* *Rhenanum, & Neccarea vina, in Hungaria, vappam potius, quam merum ſapiunt.* Præterea, non vmbroſis; ſed apricis locis, iisque, ſi fieri poteſt, editioribus, melones ponimus. Illud prorſus, præter rem dictum eſt, quod *Semiputres glebas*, virus ingenerare melonibus, queratur. Aliter COLVMELLA: *(s.)*

confutatur:

> *Rudere tum pingui, ſolido vel ſtercore aſelli,*
> *Armentiue fimo, ſaturat ieiunia terræ,*
> *Ipſe ferens olitor, diductos pondere qualos.*
> *Pabula nec pigeat, feſſo præbere nouali,*
> *Immundis, quæcunque mouit, latrina cloacis.*

reliqua. His ille grauidari vult humum, ſine vlla, fructus peſtilentiæ, formidine. *At* hæc obiter. Nos profecto, non habemus, cur iaciamus, in pepones, *conuitia; tametſi* Danubiales aquas ſuperbibamus: ſicuti faciunt, non agreſtes modo; ſed etiam *lantiores*, & abſtemii quique, idque ſine noxa. Deniqne, *raphani, betæ, raparum, ſiſerumque*, nemo facile modum definiuerit. Digna telluris munera Græcis viſa, quæ *Apollini Delphico*, dedicarentur. *Vt eſt*, inquit PLINIVS, *(t.)* *Græca vanitas; fertur in templo Apollinis Delphii, adeo, ceteris cibis, prælatus raphanus, vt ex auro dicaretur; betæ, ex argento; rapum, ex plumbo.* Sed nos hæc, vti ſunt, plebeis numinibus, dicata relinquamus.

adprobantur.

§. XIII.

Phaſianorum viuaria:

IAm, & *Phaſianorum* horti, *(u.)* ſeu potius viuaria, inſtitui cœperunt, ad villas vrbanas. Tale illud eſt, cuius nobis ad *Tallós* mentio recurrit, quodque a *Comite Franciſco Eſzterházio*, eleganter non minus, quam commode, haud pridem, inſtructum cognouimus. Sup-

r.) Inibi, p. 41. fine.

s.) De *Re Ruſtica*, Cap. X. quod de cultu hortorum agit, p. 182. 6.

t.) Libro XIX. Cap. V.

u.) Ita Germani, *Faſan-Garten*; &, in re noua, Hungari, *Fáczány-Kert.*

par illi exiſtimaueris, quod in *Bothſzegh*, *Comes Iohannes Pálffy*, curauit inſtruendum. Nunc, & ad oppidum *Püſpöky*, ſiluæ pertunduntur, vt auiarium conſimile ponatur. Elegans profecto, & dignum, ſummis viris, inſtitutum. Nam, & pulcherrimum auis genus, propagatur ea prouidentia, & habent heri ſemper, quod inde promant, ſi poſcat vſus. Credo, SENECAM *(v.)* ipſum, ſi viueret hodie, mutaturum eſſe ſententiam, quam, in *Phaſianorum*, ſui temporis, immodicos æſtimatores, acerbius tulerat. *Dii iſtos, Deæque perdant, quorum luxuria, tam inuidioſi imperii fines tranſcendit. Vltra Phaſin capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat.* Erat id omnino, ingentis luxus, coniuncti, cum inſana prodigalitate, argumentum, extra Romani Imperii fines, apud *Colchos*, quorum eſt *Phaſis* amnis, emtitare, quod ſemel inferas, & ingenioſæ gulæ, obiicias. Itaque, non id male vertendum ſeueris hominibus eſt, quod, eam luxuriem, amoliendam ab vrbe, voluerunt, reprehenderuntque, in ipſis Cæſaribus, *(x.)* & palam, & ſerio. Nobis certe, auem *Hungariæ* vernaculam, non minus exprobrauerint, quam ſibi ipſis, palumbes, turturesue; in iis autem educandis, curam, etiam laudauerint. Quid enim magis obuium piſcibus, iis tamen alendis, piſcinas egeri, nemo vnquam ſanus improbauit. Itaque, lege cautum eſt nupera, ne vis fieri poſſit, his iſtiusmodi viuariis. Ita habet, anni MDCCXXIX. decretum: *(y.) Et quia Faſianorum, & perdicum conſeruatio, aliquantum difficilior eſſet, ſumtibusque indigeret; nec aues iſtiusmodi in alieno territorio, vbi nimirum præuio modo, ſumtibus conſeruantur, traiicere, aut aucupari licebit.* Sed, vnde quæſo Hungariæ noſtræ *Phaſiani?* Nam, per ſiluoſos *Danubii* margines, qua is manat interior, frequentes, aliarum ritu auium, fœtificant. Si Poetis credimus, ex *Colchide*, vbi ad nobiliſſimum eius oræ amnem, *Phaſin, (z.)* magna alitum fuit copia, ab Argonautis, *in Græciam primum*, adlata eſt. Ita M. VALER. MARTIALIS: *(a.)*

luxus Romanorum, dignus animaduerſione:

non item, noſtrorum prouidentia:

lege præmunita:

Argiua primum ſum transportata carina,
Ante mihi notum, nil niſi Phaſis erat.

Igitur, hinc propagandum porro genus fuit, in remotiſſimas quasque regiones: ac proxime, per *Thracas, Myſosque*, in *Pannoniam* noſtram. Sed, non eſt opus, nugas Poetarum ſequi. Non minus domeſticam auem *Hungariæ* credimus, quam ſunt, perdices, attagines, & rariſſimi alibi, cigni. At enim, redeundum, ab hoc diuerticulo, in viam eſt.

Phaſianus, *auis Hungariæ vernacula.*

§. XIV.

v.) Ad HELVIAM, Cap. IX. p. m. 109. editionis *Gronouianæ*, Amſtelædamenſis, A. MDCLIX. *duodecimo.*

x.) Videſis, C. SVETONII TRANQVILLI, in *Cajo Cæſare Caligula*, Cap. XXII. §. 9. &, in *Aulo Vitellio*, Cap. XIII. §. 5. edente SAMVELE PITISCO, Leouardiæ, A. MDCCXIV. *quarto.*

y.) Articulo XXII.

z.) Excute, quæ de *Colchide*, & *Phaſi* amne, diligentiſſimus, veteris Geographiæ, ſcriptor, CHRISTOPH. CELLARIVS, præceptor noſter, numquam ſatis dilaudandus, congeſſit, *Notitiæ Orbis Antiqui*, Tom. II. Lib. III. cap. IX. p. 360. ſeqq.

a.) Epigrammatum Lib. XIII. 69. edit. PETRI SCRIVERII. Amſtelæd. Anno MDCXXIV. forma minuta.

§. XIV.

VEnatus regionis, atque aucupia, iam tum ante latam legem, *(b.)* adductius hic poterant vulgo exerceri: ſiue id demum publicæ, ſiue priuatæ rei cauſſa, factum. Vtuntur nempe, *Dominia*, quæ vocamus, priuatis ſuis iuribus. Alioquin, ſi alibi, heic certe, venatus, & aucupii copia, in promtu eſt: nusquam tamen, quam apud *C. Pálffyos*, frequentior. Trans montes, agminatim incurrunt, cerui, damæ, lepores; quin & apri. Hos nemo, niſi ab hero iuſſus, ferit. Sunt enim, qui obſeruant inuaſores, maleque mulctant. Citerior regio, abundat & ipſa, feris auibusque; ſed non æque copioſis: quod demiſſa a montibus, in campos recedit, & frequentibus oppidis, vicisque, inſidetur. Laxiora præterea, hic venationis ſunt iura, eo quod nobilium virorum plures familiæ. His vero, etiam in alieno agro ſed extra ſiluas, niſi fœtificationis tempora contraeant, legis, quam diximus, permiſſu, venari licitum eſt. At, intra receſſus inſularum, qui & multi ſunt, & perplexi varie, circaque lacunas *Danubii*, quas, pro more, aues inſident aquaticæ, difficile eſt cauere, ne quid, ab his deiiciatur, quibus id, haud quaquam integrum eſt. Tametſi vero, circumſcripta eſt venandi libertas illa, an libido; plus tamen, atque parabiliore pretio, ferinæ iam emeris, quam, cum nemo non deſidioſus, in feras graſſabatur impune. Docuit hoc, vnius alteriusque anni, vſus, ex quo lex inualuit; vt, cum antea, nemo, niſi, aut ditior, aut prodigalior, leporem adpoſuerit, iam, & plebeis menſis, inferatur. Itaque, mirari ſubit, quid cauſſæ ſit, cur venandi leges, ex præſcripto æquitatis, ſeu iam latas, ſeu porro ferendas, gens noſtra auerſetur. *Non hic, quod quidem* palam eſt, de nobilitatis prærogatiua, quam intemeratam *oportet perdurare*; ſed de eo, quod ad commune pertinet, agitur. Illud tamen diffitendum *haud eſt*, *noxiam eſſe*, noſtræ huic prouinciæ, ferarum, ſi inualuerit, multitudinem. Supra queſti ſumus, apros, vbi in vineas irruerunt, opimæ ſpem vindemiæ, ante, quam putaris, depaſcere; quin, vitem etiam, in annos plures, corrumpere, reddereque inutilem. Sed & leporum, ea cœpit eſſe frequentia, vt, ſine metu, per vineta diuagentur; maturas vuas deradant, redeantque ſecuri, quoties, ſeu fame, ſeu ſiti, e ſomno excitantur. vt proculcatas ſegetes, damnaque alia, quæ *cerui, damæ*, atque *apri*, inferunt, taceamus. Coniuncta, cum venatione, piſcationis ratio eſt. Sunt nimirum, admenſæ ſingulis territoriis, fluminum regiones. quas heri, aut ſibi ipſis ſeruant, vt auocamenta habeant; aut pretio elocant, piſcatorum collegiis. Eadem fere, & nobiliorum lacunarum; ſed neque alia, riuorum eſt ratio: niſi vbi, aut vſus, aut herorum indulgentia, legem antiquauit. Quidquid eius ſit, habet omnino Hungaria, venationis, piſcationis, & aucupiorum, inſignem commoditatem. quæ prouinciæ noſtræ, quodam modo propria eſt.

Venatio, quomodo ſe habeat?

apud C. Pálffyos;

inter nobiles:

ferinæ, poſt latam, de venatione, legem, vilitas:

ferarum nimietas, agris noxia:

piſcationis iura.

b.) Decreti A. MDCCXXIX. Artic. XXII. quam nunc citauimus.

§. XV.

Res pecuaria:

REs pecuaria, non ea quidem ad quæſtum comparata eſt; neque tamen, ad eum modum tenuis; quin, & rei ruſticæ ſufficiat, & præbeat villico, lucelli quidpiam. De vernaculo pecudis genere loquimur: nam, quod peregre adſciſcunt boarii quæſtores, iam in cenſum non venit. Variat autem regionis pecus, quemadmodum ea, vel adſurgit in montes, vel in campos diffunditur. Vtrumque, ſi pilum ſpectes, vniforme dixeris, varium, ſi ſtaturam, molemque. Nempe, exilius eſt, quod pone, & intra montes, prouenit; grandius, quod in campis: vtrumque, ei ſuppar, quod interior *Hungaria*, educat. Nam, inde plerumque ſeminium peti, certum eſt. Saltem, aratris, boues iunguntur, excelſiores illi, & adſpectu liberaliores; tametſi, domeſticum iumentum, multo ſit agricolationis patientius. Proinde, faciunt hoc multi, ob ſpeciem magis, quam operas. Non eſt pridem, cum vaccis *Helueticis*, villæ cœperunt frequentari. Vaſtum, lentumque genus, lacte in primis exuberat, quod eiusdem gentis villici, arte compendiaria, cogunt in caſeos, *Helueticis*, nihilo deteriores. Pulchre iam adſueuere, non aeri minus, quam paſcuis. quod initio, difficiliter ſuccedebat, & cum impenſarum profuſione. *Oues*, quæ aluntur, duum ſunt generum, exoticæ aliæ, aliæ vernaculæ. Montes illæ amant, hæ campos, ſed vligine vacuos. Nouimus, inter primores, herum, cuius ſtabulationes, varie ſparſæ, *ſedecim mille* ouium, alunt, in annos ſingulos; ſed quæ, vbi lues, quod fit, ingruit, ad millenarium numerum, decreuerunt ſæpius, Adde his, reliquos, & ſubduc rationes, facile exiſtimabis, quantum hinc, & caſei cogi poſſit, & lanæ; ſi eſſent, qui vtriusque cura, pro eo, ac decet, ducerentur. *Hungaricæ oues*, proceriores quidem ſunt, extraneis illis, *ſed, cum lacte*, tum lana, minus fructuoſæ: illud *enim dilutum*; hæc craſſa eſt, atque præter modum longa, ideoque pannificio, niſi, quod lacernis ſit idoneum, inutilis. De hircis, huius generis, ad *Piſonium* viſis, TOLLIVS: *(c.) Vidi hic primum, eximium illud Hungaricorum arietum genus, ſpecioſo ac decoro cornuum, in multos gyros flexorum, inque longitudinem extenſorum, geſtamine, tum & corporis mole, noſtratibus longe præferendum. poſt, & hircos vidi, pari cornuum elegantia, & robore corporis, ſpectabiles. Nam, de bobus Hungaricis, nihil dicere neceſſe eſt, quod eorum proceritas, & pulchritudo, iam dudum ſit celebratiſſima.* Parcius aluntur *ſues*, ob glandis penuriam. At enim, ne has quidem facile, peregre adpulſas, emunt; cum tantum educet herorum quisque, quantum, rei familiari, ſuffecturum putat. Inſulani tamen, in curanda, hac quoque pecude, diligentiæ collocant plurimum. Nempe, ſerunt, *Aſiatici* illud genus frumenti, quod & *Turcicum (d.) triticum* vocant. Hoc demum ſaginant, concluſum

eius, pro ſituum ratione, varietas:

pecus Helueticum, *nuper illatum regioni:*

ouium genus duplex:

Hungaricarum natura:

ſuum educatio, parcior:

c.) Epiſtola Itineraria V. p. 144. Icona arietis huius modi, videſis, in Opere Danubiali A. F. MARSIGLII, Tomo VI. extremo.

d.) Hungari *Török-Buza*; aliqui *Kukuricza*; Germani, *Türkiſcher Weitzen*, dicunt.

ſum ſtabulis, pecus, egregio ſucceſſu. Lardum certe, ex ea ſagina, vnctuoſius eſſe credunt; tametſi ſaporis procliuis ad nauſeam. Hinc illis, & quod alendæ familiæ neceſſarium eſt, & quæſticuli nonnihil paratur. *Equorum* curam, procerum plerique, habent ſibi quam commendatiſſimam, *Pálffii* in primis, quorum equilia, egregie ſunt inſtructa domeſtico, exteroque genere. Hos iam, & viri nobiles, quibus lautior eſt poſſeſſionum modus, quomodocunque imitantur. Sed, nec vulgus, ſibi ipſi deeſt, vt habeat, cum, quod ad ruſticationem eſt neceſſum, tum, vnde ſperare poſſit reditus quidpiam.

equorum cura, qualis?

§. XVI.

MInutiora ſunt, quæ dicemus, neque tamen ſilenda: Res nimirum *auiaria, apiariaque*. Fauet vtrique regio, *apibus* in primis, quæ vix quidquam, præter modicam villici adtentionem, requirunt. Enim vero, ſiue montanos ſitus ſpectes, ſiue campeſtres, ſiue inſulanos illos, vndique, alendæ api, ſunt apud nos idonei; quia receſſus habent, cum aptos pabulationibus, tum ſecretos a ventorum incurſu. Nam has poſitiones, ipſo COLVMELLA *(e.)* monente, MARO, alendis apibus, requirit:

Apiaria:

> *Quo neque ſit ventis aditus, nam pabula venti*
> *Ferre domum prohibent, neque oues hœdique petulci*
> *Floribus inſultent, aut errans bucula campo*
> Decutiat *rorem, & ſurgenteis adterat herbas.*

Itaque, qui earum curam ſuſcipiunt, adhibentque, cum munditie, iuſtam, *in iis obſeruandis*, adcurationem, pulchre omnino proficiunt: niſi ſint, qui exquiſitiſſimæ *etiam diligentiæ fructum*, quod euenit ſæpius, interuertant, artibus vſi maleficentiſſimis. *Enim vero, vix vlla rei* ruſticæ pars eſt, *apiaria* hac, delicatior, & inſidiis vicinorum magis obnoxia. Fit non raro, vt homines maleuoli; vel propulſa examina, auocent; vel aluearibus iam concluſa, proliciant in *ſuos loculos*. Alii, latrocinantes apes ſciunt immittere, quæ mella deglubant, ſecumque auferant, atque reluctare auſas apiculas, miſere conficiant. Quin, efficiunt etiam, vt mel aceſcat, aut concipiat vermes, api exitiales. Ceteroquin, tantum regio & mellis præbet, & ceræ, quod facile noſtrorum vſibus ſuffecerit. Iam, ad rem *auiariam*, domeſticam illam, quod adtinet, ingenti eam ſolertia procurant, inſulani homines. Dici nequit, quantam ii vim gallinarum, anatum, anſerum, & auium indicarum, educent; tunc maxime, cum largæ meſſes, pabulum ſufficiunt, neque duræ longæque hiemes, aut ver rigidum, fœtificationem impediuerunt. Proinde, habet hæc noſtra prouincia, in iſto etiam ruſticationis genere, quod, & ſibi ſufficiat & ſubmitti poſſit Viennenſibus.

& auiaria domeſtica.

§. XVII.

e.) De *Re Ruſtica*, Lib. IX. Cap. IV. p. 172. a.

§. XVII.

Antra Stomphenſia:

PRodigia, pauciora hic, quam in reliqua *Hungaria*, videbimus, natura edidit. Antrum alterutrum memorare habemus, atque in his, *Stomphenſia* illa, quæ vltra arcem *Boroſtyánkó*, reducta ad orientem valle, in montis cliuum, inibi dehiſcunt, qua riuus *Stomphenſis* deiicitur. Duo horum ſunt. Amplus ſatis, priori aditus eſt; ſed quod latior, quam altior, ingreſſu difficilis. Itaque, teſtudineo

prioris habitus, & amniculus, trutarum patiens:

greſſu, ſubire oportuit. Præibant ruſtici, faces præferentes, ne qua, per aſperos ſitus, impingeretur. Vix, paſſus viginti progreſſis, amniculus occurrit, lapſu celeri ſtreperoque præterfluens, & ob trutas, quas benigne alit, memorabilis. Erumpit ſiniſtro intrantibus latere, breuique prouectus alueo, atque demerſus iterum, ſubit rupes, euaditque, poſt centum paſſus, in apricum, riuo *Stomphenſi*, adfundendus. Transuadarunt hunc ruſtici, nobis pone ſpectantibus; ſed quo progrediebantur longius, eo deprehendebant profundiorem; ſpecu, nunc in longum, nunc in latum, varie ſinuato, & aquis, ad ſummum, pleno. Amplitudinem paſſuum XXVII. emenſi, redierunt: quippe, vndoſis an-

alterius ſitus, & anfractuoſi meatus:

fractibus, progreſſu vlteriore, prohibiti. Alterum, centum & ſexaginta paſſibus, altius, eadem valle ſe aperit, ſed oſtio, totidem fere a riuo paſſibus, in latus montis, ſubducto. Arduus huic quoque ingreſſus eſt, & quo ſubitur longius, anguſtior aſperiorque; quin & ita vuidus, vt fallat veſtigium, tardetque progredientes. Paſſus, plus minus, centum, prorepentibus, videbatur aperiri ſpecus alter, tam anguſto aditu, vt difficulter ſingulos, contractis in ſe artubus, ſerpentes transmiſerit. Os fornacis diceres, anguſtum, multumque preſſum; ſed quod intra, ſpatium oſtendit, ad furni ſpeciem, *excauatum, & in arctiores* meatus alios, hac & illac, *deſinens.* *Hucus*que progredi auſos, admiſit *mox penitius*, apertoque laxiore cuniculo, maiora iam ſpatia, porro euntibus, recluſit. Inſtitimus ergo auide; ſed, quo reptauimus vlterius, eo iterum anguſtius coibant meatus. Ergo, ne periculum adiremus, ductuum ignari, pedem, eo, vnde acceſſeramus, retulimus. Sunt, qui in immenſum recedere aiant, atque in agrum usque *Szent-Györgyenſem*, proferri. Intus verſantes, ventus adflabat, ſic ſatis frigidus, & quandoque etiam vehemens. Veniebat tunc in mentem, de cauſſis terræ motuum, cogitare, qui apud *Szent-Györgyenſes*, crebri accidunt. Nimirum, præfocati, intra ſubterraneos meatus, venti, cum non facile reperiunt, qua erumpant, impingunt in cauatas, ſubtus, petras, editoque intra motu, ſimul terræ ſuperficiem, concutiunt. Quod iam non diſputamus: cum multæ eius rei eſſe poſſint cauſſæ, de quibus ingenioſe, vti ſolet, diſquirit SENECA, *(f.)* noſtramque hanc ſententiam *Archelai* eſſe dicit: *Venti*, inquit, *(g.) in concaua terrarum deferuntur: deinde, vbi iam omnia ſpatia plena ſunt, & in quantum aer potuit, denſatus*

f.) Naturalium Quæſtionum, Lib. VI. Cap. V. ſeqq.

g.) Ibidem Cap. XII.

tus eſt; is, qui ſuperuenit ſpiritus, priorem premit, & elidit, ac frequentibus plagis, primo cogit, inde perturbat. Tunc ille quærens locum, omnes anguſtias dimouet, & clauſtra ſua conatur effringere. Sic euenit, vt terræ ſpiritu luctante, & fugam quærente, moueantur. Porro, ſilendum haud eſt, *Szomolyanenſe antrum.* Vallis, vltra oppidum, in occidentem, quadrante fere milliaris, recedit, arduis rupibus, vtroque latere, inſeſſa. in his, ad orientem ſolem, ſpelunca viſitur, quam accolæ, *Mnichowá Diera*, hoc eſt, *Monachi ſpecum*, vocitant: forte, quod olim, ſeu monachos, ſeu anachoretas, hoſpitio accepit. Alto enim, & retruſo loco eſt, vt exiſtimari poſſit, fuiſſe, re trepida, cuicunque hominum generi, perfugio. Sunt & *Bazingenſi* agro ſui ſpecus, ſed ignobiles ii, quia perluſtrati nondum. Maxime cognitus is eſt, qui ad laudatas ſupra ſcaturigines, in prærupta eminenteque petra, cauatus viſitur. Spectauimus eum, fereque deprehendimus, non tam natura depreſſum, quam manu factum eſſe; operas, forte rimis petræ adiuuantibus; ſeu eæ demum latronum, quod multi credunt; ſeu eremitarum fuerunt, vt aliorum fert opinio. Enim vero, hinc fontibus illis, vulgare nomen, *Pfaffen-Löcher*, ſubnatum autumant. Rictus ei patulus eſt, & exiliori atrio ſimilis. Inde, lento præcipitio, anguſtoque meatu, ad putei modum, deprimitur, ſed tortuoſo, aſperoque ductu. Nondum erat, qui auſus fuiſſet pertentare, quam longe porrigatur, & an in profundum abeat, vel ſinuetur aliorſum. Vrſis certe, vix tutius, alibi perfugium. quod faceto luſui, occaſionem præbuiſſe, meminimus. Venerant, forte, eximii quidam, & docti peregrinatores, *(h.)* poſt *Hollandiam*, *Angliam*, *Galliam*, *Italiamque*, peragratas, *Hungariam* noſtram, quaſi obiter, ſalutaturi. Commendatos a Viennenſibus, liberaliter, *pro ſuo more*, *Bazingenſes* habuerunt. Cum hic, amicas moras nectunt, *ducuntur*, *animi cauſſa*, ad ſcaturigines illas, aduentitio prandio, illic accipiendi. Inter *menſæ adparationes*, fit, data opera, ſpecus, paſſus forte centum inde, disiuncti, mentio. In hunc, quisquis erat ſcenæ ſtructor, famulum, clam immiſerat, cum mandatis, vti venturos illuc hoſpites, murmure, quale vrſorum eſt, perterrefaceret. Inuaſit, eius videndi cupiditas, peregrinos, ad primam ſtatim mentionem. Itur ad oſtium, fitque illic ſermo varius, quid hoc perfugii eſſe oportuerit, a quo cauatum, inſeſſumque aliquando? cum inſpectantibus propius, latens intro famulus, murmur ſenſim edere, & quaſi fremeret, multa agitatione, ſimulare. Conclamant, ad arma, qui aderant omnes, peregrini in primis; cum ille, quaſi ad humanam vocem excanduiſſet, geminare editum murmur, & concitato fragore, gradum in apricum moliri incipit. Tunc vero hoſpites, ſtricto alter, alter ne adtrectato quidem, an prorſus abiecto, pugione, per arduum montis latus, præcipites, in fugam ruunt, neque pedem figunt ante, quam cognoſſent, rem, ſeriam haud eſſe. Effuſe poſtea ſe ipſos riſere viatores:

ſpecus Szomolyanenſis:

item Bazingenſes: *vnius ratio:*

facetus luſus, illic editus:

b.) Parcimus, amiciſſimis nominibus. quod nobis, dum hæc legent, in acceptis ferant, oportet. Sunt autem, in ſummorum principum aulis, viri, dignitatis præcipuæ.

tores: quod, qui tot terras peragrarint, ſine noxa, ad ſimulatum iſtud murmur, limphatis ſimiles, in fugam ſe coniecerint. Alioquin, pretium operæ facturos *Bazingenſes*, credimus; ſi acto, transuerſim, cuniculo, ſpecum ſubruerent, rimarentque, eius ſecreta. Suſpicio enim eſt, re vera, luſtrum fuiſſe latronum, qui, ſeculis ſuperioribus, infeſtos reddebant, montium hos ſaltus. Nihil vero latronibus ſolemnius, quam ſpecus inſidere, & iſthuc coaceruare prædas. De Caco, VIRGILIVS, *(i.)* eiusque antro:

dignus, qui cuniculo, ſuffoderetur.

Iam primum ſaxis, ſuſpenſam hanc adſpice rupem
Disiectæ procul vt moles deſertaque montis
Stant domus, & ſcopuli, ingentem traxere ruinam.
Hic ſpelunca fuit, vaſto ſubmota receſſu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inacceſſam radiis: ſemperque recenti
Cæde tepebat humus: foribusque adfixa ſuperbis
Ora virum, triſti, pendebant pallida tabo.

Sed de his hactenus: nunc, inſtituti nos ratio admonet, vt, porro pergamus, incolarum varia genera, & horum inſtituta, viſuri.

i.) Aeneidos Lib. VIII. verſ. 190. edente CAROLO RVAEO, S. I, ad vſum *Sereniſſimi Delphini*, Hagæ Comit. A. MDCCXXIII. *Octavo mai.*



MEM-

MEMBRVM POSTERIVS, POLITICVM,

De

Incolis, Magiſtratibus, atque Familiis Illuſtribus, Comitatus Piſonienſis.

SYNOPSIS.

Dicendorum ordo: priſci regionis incolæ: fuit prouincia noſtra Vanniani *regni portio: hac ora cæditur* Vannius: *rei geſtæ hiſtoria.* §. I.

Quadorum, *poſt illud prælium, inquies: domantur a* M. Antonino Philoſopho: *eorum actus reliqui: Attilæ militant:* Quadorum, *&* Marcomannorum *nomen, obliteratum:* Rugii, Heruli, Longobardi, *noſtri inquilini: Sarmatæ, & in his,* Slaui, Auarum, *Pannonias habitantium, hoſtes:* Hungari, *ab* Arnulpho, *aduerſus Maharenſes, exciti: regione potiuntur.* §. II.

Hodierni incolæ: Hungari, *genuini ſunt, & ſui ſimiles: inſulani potiſſimum: quo ſint corporis habitu, atque moribus: eorum exemplum: ſunt agricolationis ſtudioſi: nobiliorum quorumque indoles: ſtudiorum amor: olim virtute bellica valuere: linguæ, qua vtuntur, habitus: quid, in ſermone* Hungarico, *ſit peculiare:* Galeoti Martii, *in eam rem, locus.* §. III.

Germani, *quomodo ſint antiquiſſimi prouinciæ noſtræ incolæ, dicendi:* S. Stephani, *de peregrinis in regnum admittendis, fouendisque, ſanctio: hodie, vrbes inſident: eorum occupatio: veſtitus: lingua: ſunt adrem adtenti.* §. IV.

Slauorum *hiſtoria: incrementa: acceſſiones aliæ: lingua: veſtis: corporis habitus: mores læti: ſunt irarum tenaces.* §. V.

Croatarum *in prouinciam noſtram aduentus: ſunt patriorum rituum, & ſermonis obſeruantiſſimi.* §. VI.

Iudæi, *& horum nupera incrementa: olim, legibus coercebantur: poſtea, extra modum adaucti, graues regno, & regibus, exſtitere: aguntur a* Ludouico, *in exſilium: inualeſcunt ſuis fraudibus iterum: atrociſſima patrant facinora:* Rudolphi *in eis diminuendis ſtudium: noua incrementa, & latæ aduerſus eos leges: hodierna eorum multitudo, & licentia.* §. VII.

Supremorum Comitum dignitas, genti Pálffianæ *perpetua: confertur a* CAROLO VI. C. Iohan-

Iohanni Pálffyo : *partes ſupremi Comitis, quæ?* §. VIII.

Vicarius Supremi Comitis: eius eligendi ratio: magiſtratus reliqui: Iudices Nobilium: Fiſcus : Notarius : Perceptor: Tabulæ Iudiciariæ *adſeſſores.* §. IX.

Eadem, alibi quoque eſt Comitatuum adminiſtratio : comitia prouinciolæ : eorum diuerſitas: locus & celebritas: tempora: Comitatus inſignia. §. X.

Magnates qui ſint in prouincia: Comites Pálffii: *horum origines: genealogia.* §. XI.

Nicolai II. *adoleſcentia: peregrinatio: profectus: præfecturæ: laudes: dignitates: quanti a Pontifice ſit habitus.* §. XII.

Matrimonium & liberi: Stephanus II. *in filiis primogenitus:* Nicolaus II. *ſecundo genitus:* Iohannes II. *tertio natus:* Paullus, *quarto natus: eius poſteri.* §. XIII.

Stephani II. *laudes: vxor & liberi:* Nicolaus VI. *Palatinus :* Iohannes IV. *Iudex Curiæ Regiæ: Palatini poſteri: Iudicis Curiæ Regiæ:* Pálffyorum *laus: bona, quemadmodum habeant diſpertita: quibus potiantur dominationibus.* §. XIV.

Comites Eſzterházii: *Galanthæ natales debent : generis vetuſtas, Cæſaris diplomate adfirmata: quibus hodie luminibus, hac prouincia, illuſtretur.* §. XV.

Comites Erdődy : *eorum origines & auctus : propagines: φωσήρες hodierni:* Petri III. *poſteri: laudes gentis : ditio : genealogica tabella.* §. XVI.

Illyésházii *Comites, vnde orti:* Stephanus, *gentis auctor : adoleſcentia : militiæ ſtudia: nuptiæ: opes inde conquiſitæ: honores: hæredia: lites: fuga in Poloniam : reditus : fit pacis arbiter : atque* Palatinus : *moritur.* §. XVII.

Quos adoptarit ſucceſſores: Caſparus: Georgius: *Nicolaus: adoptatus a Georgio, qualem ſe præbuerit? fit Supremus Comes* Trentſchinienſis, & Liptouienſis : *eius virtus: honores: mors.* §. XVIII.

Comites Kollonitſchii : *eorum virtus militaris.* §. XIX.

Illuſtres familiæ aliæ: Amade: Maholány : Péterffy : Sigray. §. XX.

Auctoris vota. §. XXI.

§. I.

§. I.



Idimus, regionis naturam, cultumque. Supereſt, vt a quibus habitetur, & quæ ſint ad miniſtrandæ prouinciæ rationes, quæ eius decora, atque familiæ illuſtres, breuiter explicemus. Et, ad veteres quidem incolas, quod adtinet, in vrbis hiſtoria, *(a.)* iis deſignandis, locus ſe dabit, & occaſio. Nunc, compendio eos exhibuiſſe ſufficiat. Notiſſimi in hiſtoria ſunt, *Quadi*, & *Marcomanni:* quorum hi, vsque ad *Morauum*, & forte citeriore etiam ripa; illi, tota regione, quæ intra eum amnem, & *Granuam*, *(b.)* in Sarmatas vsque procurrit, habitauere. Neque *Iazyges Metanaſtæ*, viciniſſimus, vltra *Granuam*, ad *Patiſſum*, ſeu *Tibiſcum* vsque colens, populus, ſe abſtinebant; quin ſubinde regionem incurſarent, ponerentque iſthic ſedes temporarias. Fuit ergo, Vanniani regni portio, noſtra hæc prouincia; cuius hiſtoriam finesque, Fridericvs Wilhelmvs a Sommersberg, *(c.)* eruderauit, ac forte, quam par eſt, propagauit latius. Vannivm certe, ab rebellantibus populis, noſtra hac regione, in *Carpathi* radicibus prælio victum, ex C. Cornelio Tacito, egregie docet *(d.)*, quemadmodum, & in rebus vrbis, monebimus. Hic, locum exhibemus Sommersbergii noſtri: *Virilis ingenii* Vannivs, *vbi eo deuentum eſſe cognouit, quod Iazygum præſidia, quæ magna & firma* parauerat, *haud obſidionem* (per caſtella, vbi eos collocauerat) *ſuſtinerent; ſed deſertis caſtellis*, in proximos campos *effuſi, Lygios Hermundurosque, ingruentes, laceſſerent, ne peditibus* captis, *reliquisque per agros ſparſis, & in fugam coniectis, rex, ſubditorum poteſtati cederet, dimicandum eſſe ratus, locum prælii, opportunum eligit, non planitiem; ſed anguſtias montium, ne multitudine circum fuſus, furorem potius, quam virtutem hoſtium, experiretur.* Quæ vero iſtæ anguſtiæ? Si auſim opinari, eæ ipſæ ſunt, quas, hinc *Dévénienſia*, illinc *Boroſtyánkóienſia* iuga, facto, verſus *Piſonium*, ſinu, vbi nunc *Lamacs*, & *Hidegkút*, ignobiles vici, inſederunt. Ita rem habere, quæ adiicit Sommersbergivs, haud dubie euincunt. *Vix multum viæ proceſſerat*, Vannius,

Dicendorum ordo:

priſci regionis incolæ:

fuit prouincia noſtra Vanniani *regni portio:*

hac ora cæditur Vannius:

rei geſtæ hiſtoria:

a.) Periodo I. *Romana*, & Periodo II. *Barbarica.*

b.) Ita Granvs noſter dicebatur veteribus. Conſtat id, ex ſubſcriptione M. Antonini Philosophi, *De ſe Ipſo ad ſe Ipſum.* Lib. I. Τὰ ἐν Κουάδοις πρὸς τῷ Γρανόᾳ. Nam iſthic, diuturna caſtra habuit, cum aduerſus *Quados*, duceret: quorum inuſitata rudera, exſtant hodieque, ad *Granum*, in vico *Bényе.* qua de re in *Comitatus Strigonienſis* hiſtoria.

c.) Vir, ſi quis apud exteros alius, noſtri, & deſtinationum noſtrarum, ſtudioſiſſimus, dum hæc ſcribimus, *Reip. Wratislauienſis Senator, atque Aedilis*: libro ſingulari, quem *Regnum Vannianum* inſcripſit: Prodiit *Wratislauiæ* A. MDCCXXIII. *for. quadrip.*

d.) Cap. III. §. 6. 7. p. 22. ſeq. Adde Tacitvm ipſum, *Annal. Lib. XII.* c. XXIX. & XXX. p. 125. Vtimur editione, *I. Lipſii*, quæ *Lugduni Batauor.* A. MDCXIX. *for. octauæ*, prodiit.

nius, *(e.) cum sequentium turmæ imminerent, quarum adspectu non perculsus, pugnam fortis inchoabat, suisque virtutis exemplum, licet in conflictu vulneratus, rem egregie gessit; donec exercitu fatigato, hostiumque superuenientium numero, territus, victus recedere cogeretur: vbi ad classem, in Danubio opperientem, profugiens, ab* ATTILIO HISTRO, *benigne exceptus, inque Pannoniæ agris, cum secutis clientelis, locatus est.* Quæso! si ad classem profugit VANNIVS, excedens prælio, *Danubium*, ad Pannonas traiecturus, nusquam id poterat, quam apud *Pisonium*, facere. Nam, vltra confluentem *Moraui*, vbi nullus est *Carpathus*, hostium autem plena fuisse omnia, facile constat, amnem superare nequiuit; sed nec in insulam *Cituorum*, fidei, ob prælii fortunam, dubiæ, neque vnquam constanter addictam Romanis, traiicere potuit, nisi infelix iam, in pessimam porro fortunam, se voluisset induere. Ergo, *Pisonii* opperientem se classem habuit, &, siue *Carnuntum*, breui itinere hinc diremtum, siue in aliam Romanorum coloniam, ad *Attilium Histrum*, euasit.

§. II.

Quadorum, post illud prælium, inquies:

SEd *Quadi*, & post ea tempora, non desierunt, nunc tumultuari, nunc, iustis bellis, aduersus Romanos, decernere. Plures imperatorum, qui TRAIANVM, principem laudatissimum, excepere, non tam faciebant bella gentibus barbaris, quam illata, patiebantur. Itaque, regionis *Quadorum*, & *Marcomannorum*, frons hæc, *Danubio* opposita, vagina fuit, pharetraque, vnde, in obiectum Romanorum solum, & gladii vibrarentur, & eliderentur sagittæ. M. ANTONINO PHILOSOPHO, id a fortuna, post datas acceptasque clades, indultum fuit; vt gentes ferocissimas, *Quados* & *Marcomannos*, perdomaret. *Segnius*, aduersus irrequietum genus, filius L. ANTONINVS COMMODVS, rem administrabat; *perditurus, procul dubio*, ipsos quoque limites; nisi excusso torpore, duces belli, & prouincias in officio continuissent, & nostras gentes has, retudissent maturius. Nihil postea, de *Marcomannis*, & *Quadis*, Romanorum mastygibus, repereris, vsque ad CONSTANTIVM AVGVSTVM. Reuixerant tunc, siue sui ipsorum fiducia, siue Romanorum contemtu, & *Pannonias*, quin *Mœsias* quoque, peruagati, prolicuere *Augustum*, vt relicta vrbe, *Sirmium*, bellum propulsaturus, adcurreret. Retusi tunc quomodocunque fuere: sed, vt se impressionibus, & rapinis, abstinerent, ne pace quidem imperata, obtineri, ab irrequieto genere, potuit. Enim vero, VALENTINIANO, & VALENTE, rerum potientibus, eo vsque, nunc illatis, nunc sustentatis bellis, vexauere imperium Romanorum; dum exasperatum, solemni legatione, VALENTINIANVM, in furorem agerent, prorsus exitialem.

domantur, a M. Antonino Philosopho:

eorum actus reliqui:

e.) C. TACITI sententiam expressit noster, loco cit. Cap. XXX. inquientis: *Digressus castellis* Vannius, *funditur prælio: quamquam rebus aduersis laudatus: quod & pugnam manu capessit, & corpore aduerso, vulnera excipit. Ceterum, ad classem, in Danubio opperientem, perfugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris, in Pannonia collocati sunt.*

lem. *Quados*, ATTILA postea, in belli societatem adsciuit, ad eum tamen modum; vt, cum fortissimum quemque, militiam sequi iuberet, suis ipsius præsidiis, communiret regionem; ne rerum nouarum sementis, a tergo, relinqueretur. Post ATTILAE fata, miscebantur gentes, susceptis, vltro citroque, demigrationibus. Quare fiebat, vt regio quoque nostra, mutaret subinde incolas. *Quadorum* certe, & *Marcomannorum*, nomen, partim cladibus detritum, partim aliarum gentium, absorptum est colluuione. Nam venere primum *Rugii*; mox *Heruli*; tunc *Longobardi*; vt non tam sedem, his regionibus, habuisse dicendi sint, quam diuersorium. His, in *Italiam*, *Germaniam*, atque *Gallias*; quin transmarinam quoque *Britanniam*, excedentibus, *Sarmatæ* successerunt. Varium sæuumque genus; sed, nobilissimi tamen; *Venedi*, & *Slaui*. quorum isti, quod oram Morauo adsitam, coluerunt, *Maharenses*, & *Marauani*, atque sua dialecto, *Morawcy*, adpellabantur. Conualuerant interim in *Pannoniis*, ductu *Chaganorum*, *Auares*, Hunnorum consobrini, immo vero, genuini *Hunni*. Vrebat eorum felicitas, *Slauos*, nuperos, nostræ huius, & circumsitæ regionis, inquilinos. Proinde, mutua iis dissidia, mox & cruenta bella, fuere. Tametsi vero, semel atque iterum, superato Danubio, *Slauorum* has sedes inuaserunt *Auares*; tamen, profligatis hostibus, decedebant iterum: dum vtrosque, illa quidem Danubii ripa, *Hunno-Auares*, hac, *Slauos*, CAROLVS M. debellaret. Sed, fuit ea Slauorum Maharensium ferocia, vt, mortuo CAROLO M. resumerent spiritus, lateque iterum grassari inciperent. Multum hæc eorum inquies, LVDOVICO I. Cæsari, negotii facessiuit. *Rastaces*, tunc, & postea, ARNVLPHO imperante, *Suentibaldus*, rerum, *inter eos*, summæ præerant, viri acres, & ad bella serenda nati. ARNVLPHVS ergo, *vt sæuissimum* hostem pessundaret, *Hungaros*, magnis inuitatos præmiis, exciuit. *Aduenere illi*, *iam tum victis Bulgaris*, in Pannonia inferiore imperitantes; non tam, vt ARNVLPHVM iuuarent; quam, vt profligatis *Maharensibus*, rerum ipsi potirentur. Quod & ita euenit. Atque tunc primum *Hungari*, cum regionem citeriorem vniuersam, tum nostram hanc, insederunt: nulla in posterum vi depellendi; clades autem per *Europam* daturi, ipsis etiam *Hunniacis*, atrociores. Hæc, dedisse in compendio, *(f.)* placuit; vt hodiernorum prouinciæ incolarum, origines, eo procliuius, lectores possint cognoscere.

Attilæ *militant*:

Quadorum, & Marcomannorum, *nomen, obliteratum*:

Rugii, Heruli, Longobardi, *nostri inquilini*:

Sarmatæ, *& in his*, Slaui:

Auarum, *Pannonias habitantium, hostes*:

Hungari, *ab Arnulpho, aduersus Maharenses, excitii*:

regione potiuntur.

§. III.

IGitur, colunt hodieque regionem, *Hungari*, *Germani*, & *Slaui*. Ex his, quæ diximus, pronum est, de singulorum aduentu, coniicere. HVNGARI, nimirum, tametsi rerum sint domini, recen-

Hodierni incolæ:

f.) Prolixiore diligentia, & adhibitis auctorum testimoniis, rem omnem, vt iam monuimus, in *Vrbis Pisonienſis* historia, expendimus.

centiſſimi ſunt omnium; antiquiores his *Slaui;* ſed antiquiſſimi omnium, *Germani.* Enim vero, turpiter falluntur, qui gentem vtramque, precario, in regionem illapſam, autumant. Germanos, Slaui; hos Hungari; ſedibus auitis, depulerunt; relictis tamen, qui ſe, victorum poteſtati, permiſerunt. Sed, incolarum ſingulos, pro eo, ac eſt inſtituto noſtro, conſentaneum, videamus. Ad HVNGAROS, quod adtinet, vix, tota regione, quam late gens inſedit, ſeu genuinos magis, ſeu, moribus cultiores, noſtratibus his, repereris. Dum *genuinos* adpello, priſcum illud genus, intelligo. Id enim, cum paſſim, per vniuerſam *Hungariam*, tot adtritum cladibus, atque acceptis iterum aliunde ſupplementis, inſtauratum eſt; in inſulis noſtris, perdurauit: tametſi non prorſus intemeratum, ita tamen ſui ſimile, vt is demum, *Hungarum* ſe vidiſſe queat gloriari, qui virum *Csallókőzienſem* viderit. Quia enim regio, magna aquarum mole circumfuſa, difficiles, rarosque habet aditus, non fuit vagabundo hoſti, ex facili peruia. Ac, licet euenerit, vt ſe intra inſulam, graſſantium globi iniicerent; ſubducebant ſe tamen incolæ, in ſiluoſos, minorum inſularum, receſſus, ante, quam ingrueret periculum. Hinc, nuſpiam, diplomatum illam, & monimentorum copiam, quam apud inſulanos noſtros, facile repereris. Conſtat, non paucis e nobilitate, auorum, abauorum & atauorum, ſeries, in canam vsque S. STEPHANI ætatem, diplomatum fide, producta: cum ipſi, tenuium ſint fortunarum, & generis ſplendore antiquitateque, multis modis inferiorum. Habitu corporis ſunt compacto, breuiore eo, quam longiore; oculis plerique glaucis; facie, ex ſolis conſuetudine, fuſca, robore indomito, & facto, ad laboris agreſtis, patientiam. Viuunt inter ſe, ſic ſatis concorditer. At, ſi quidpiam interceſſerit iniuriarum, *lubenter* eas diſſimulant, dum ſe vlciſcendi *dedat occaſio.* quam alii, diligentiſſime captant, *alii, non niſi oblata,* vtuntur. Eodem hoc anno, quo iſta ſcribimus, res euenit, non facile obuia. Adfines viri, ſenior alter, & vſu rerum pollentior; alter iunior, idemque *Thraſoni* Terentiano, quam ſimillimus, forte in diuerſoriam tabernam, animi cauſſa, conceſſerant. Ac *Thraſo* quidem, framea, vti eſt mos nobilium Hungarorum, præcinctus; alter ille, ferro nudus. Vix ſe inuitare cœperunt; cum *Thraſo*, enſem ſtringere, huc & illuc vibrare, adfinique ſuo, iniquius inſultare. Reprehendit hominis leuitatem ſenex, vtque deſineret ferocire, qui hoſtem viderit nunquam, impenſe rogauit. *Quid?* Thraſo ait, *ergone imbellem tu me anum exiſtimabis? ſi vir es, deſcende in arenam!* recuſat hic, & vt ſaperet, hominem, proxima ſibi iunctum adfinitate, monet, reluctantem increpat. Tum ille, monitorem, gladio, transuerſe vibrato, per dorſum, iratus ferit; ictum, ſemel & denuo, repetit. Adhuc ſibi temperabat *Dauus*, orabatque ſerio adoleſcentem, ceſſaret inſanire. At enim, adeo non profecit, vt cumulare etiam verba, conuiciaque, alter ille perrexerit. Mox, ad ſingulare certamen prouocato, ni feſtinarit armatus adeſſe, diriſſima quæ-

Hungari, genuini ſunt, & ſui ſimiles:

inſulani potiſſimum:

quo ſint corporis habitu, atque moribus:

eorum exemplum:

quæque interminatur. Excuſſit, his rebus, ſeni moderatiſſimo, patientiam. Igitur, ædes ſuas repetit, ſumit gladium, *Thraſoni* obuiat, preces iterat, cœptis deſineret. Ille vero, *Dauum*, tamquam qui nihil virile auderet tentare, transuerſo enſe, per terga pulſare iterum. Ergo *Dauus*, vt acinacem ſtrinxit, *Thraſoni*

caput abſtulit ictu.

Truncus certe, ante humi prouoluebatur, vertice diminutus, quam ſpectatores, enſem vagina nudatum, aduerterent. Hinc, de inſulanorum ingenio, poſſis coniicere. Nimirum, extra conuictus, triſtes ſunt, ac fere tetrici; læti, cum ſe inuitarunt largius; ſed, proni etiam ad rixandum, niſi adſit, cuius auctoritatem reuereantur. Plane autem, ad agricolationem factos dixeris: ita, quem nacti ſunt agrum, percolunt. Pulchrum heic ducitur, honeſtiſſima occupatione, diſtineri, & nunc, qui paſcant greges, viſere; nunc, obſeruare aratores; nunc, pro anni ingenio, ſectari ruſticas operas; alias denique prouidere, ne quid, tota re familiari, fiat perperam. Exſulat apud *Piſonienſes*, concepta alibi, & confirmata, vulgaris exiſtimatio; *rem ruſticam, ſordidum eſſe opus.* quod, ſi pauciores, per *Hungariam*, credidiſſent: minus haberemus otioſorum hominum, ne dicam, decoctorum, nepotumque, quibus, quod ſorduit auitus agellus, iam bene oleant, alienæ menſæ, neceſſe eſt. Hæc plebeiorum, in inſula fuit occupatio. Extra, qui degunt, illuſtres nobilesque viri; decore, comitateque, ita excellunt, vt nemo magis. Nam, & commode habitant, & prorſus æmulantur exterorum elegantiam. Vtrumque autem, gentis ſuæ, & alienigenarum morem, pulchre adtemperant. Habet, quod apud eos Hungarus laudet, imiteturque; ſed nec *Germanus, niſi prorſus faſtidioſus ſit*, poſſit adſpernari. Itaque, ſicuti inter *Germanos* hinc, *illinc Hungaros*, populares ſuos, interſunt; ita, ne diſpliceant vtrisque, ſagaciter procurant. Quod vero in primis laudaueris, in noſtræ prouinciæ nobilibus, litterarum eſt ſtudium. Iſtud, poſt extera, ciuiliaque bella profligata, excelſa mente, non pauci complexi ſunt. Iam, & *bibliothecas* (†) occipiunt inſtruere non plane nulli. qui, ſi, & ipſi perſeuerarint, & plures traxerint ad imitationem; erit breui, cur *Piſonienſi* regioni, præter alias, *Muſæ*, quin *Apollo* ipſe, faueat. Reliquos gentis mores, quia toties commemorandi locus erit, non eſt opus prolixe expromere. *Turcis* propinquioribus, armis valuerunt noſtri. Conſtat, anno MDCLXIII. cum infelix illa *Párkanenſis* expeditio, compararetur, ſex millia *Piſonienſium*, ad communem luſtrationem, excita fuiſſe: profectura in hoſtem, ni, & duces cunctando, remoram iniecciſſent deſtinationibus; neque poſtea, conſilio magis, quam impetu, res fuiſſet geſta; magno pro-

ſunt agricolationis ſtudioſi:

nobiliorum quorumque indoles:

ſtudiorum amor:

olim, virtute bellica, valuere:

†) In his eſt, *Comes* IOSEPHVS ESZTERHAZY, *Croatiæ Banus.* cui inſignis bibliotheca, in ſeceſſu *Cseklésienſi*, increuit, ex *Munkácſianæ*, quam laudauimus alibi, tenuioribus initiis.

prouincialium detrimento. quod quale fuerit, dicemus in vrbis rebus. Iam, nobiliores quique, venatibus delectantur, quando, exercendi corporis desunt occasiones aliæ. Lingua vtuntur, prorsus *Hungarica*, maxime insulani illi, ac, si demas, qualecunque, *Germanismi* hic, alibi *Slauonismi*, commercium, egregie culta. Quodque, mirandum in sermone nostro est, non minus eleganter, rustici, quam nobiles loquuntur; immo illi, his etiam purius: quia ignorant, latina, quæ præter rem, sæpe numero intertexuntur, *Hungaricis* commiscere. Iam enim, eo vitio laboramus *Hungari*, quo dudum *Germani* cœperunt. Vti enim hi, nihil concinne dici posse putant, nisi *Gallicis* vocabulis, ceu papauere, aut sesamo, sermonem adspergant; ita nostri, nequeunt, immo *(g.)* nolunt, *Latinis* se, & tunc abstinere, cum nullus eorum vsus est. Pollet sane *Hungaricus* sermo, non copia modo; sed perspicuitate etiam, & natiuo quodam robore; vt quod animo concepisti, fuse possis, & insigni cum elegantia, sine vlla peregrinarum vocum admixtione, edisserere. Id vero miratus, sua ætate est, Galeotvs Martivs, *(h.)* cuius locum exhibemus: *Hungari, siue nobiles, siue rustici sint, eadem fere verborum conditione vtuntur, sine vlla varietate loquuntur, eadem enim pronunciatio, eodem vocabulo, similes accentus vbique sunt. Nam, vt de Italia loquar, nobis tanta est loquendi varietas: vt ciuis, a rustico, & rursus Calaber, a Tusco, tantam habeant, in sermone, dissimilitudinem, vt difficultatem intelligendi, maximam præbeant. Sed, apud Hungaros, vt diximus, eadem loquendi forma, vel exigua admodum differentia est. Vnde fit, vt carmen, lingua Hungarica compositum, rusticis, & ciuibus, mediis, & extremis, eodem tenore, intelligatur.* Hæc ille. Ad huc, cum iucunditate recordor, *Csallóköziensis Cornelii* cuiusdam, suo populari vini hausturn, *propinantis*. Longa, nimirum, disertissimaque *vsus præfatione*, non ante bibit, quam Regi, *ordinibus*, *totique*, propemodum, generi humano, mille salutes vouisset. Mirabar tropos, schemata, in dictione cultum, selectissimasque voces, ne summorum quidem virorum sermonibus, frequentatas. Respondit, non minore verborum adparatu, alter, quodque, priorem illum præterierat, scite adiecit. Videbar mihi *Ciceronem*, cum *Bruto* suo, de republica, Hungarice differentem, audire: tanta, tamque elegans hominibus istis, sermonis fuit copia. Erant vero, ne quid dissimulem, equestres armentarii. *(i.)* Adeo, gentem nostram, neque ingenium deficit, neque sermonis copia, & apud hos, qui ruri, inter iumenta, consenuerunt.

linguæ, qua vtuntur, habitus:

quid, in sermone Hungarico, sit peculiare:

Galeoti Martii, in eam rem, locus:

§. IV.

g.) Digni ergo sunt reprehensione, *hybridæ* eiusmodi sermonis *auctores*, qui, cum natiuas linguæ opes contemnunt, adscita peregrinitate, eleganti sermoni, consulunt pessime.

h.) De *Egregie, sapienter, iocose dictis & factis S. Regis* Matthiae, Cap. XVII. in scriptoribus Rer. Hungaric. p. 376, 35.

i.) Hungari, *Ménes-Pásztor* vocant: est hominum genus, extra modum agreste; nisi mauis *siluestre* dicere.

§. IV.

Post Hungaros, *Germani*, sunt nominandi. Diximus eos, veterrimos, huius nostræ regionis incolas, censeri oportere. *Quadi* certe, & *Marcomanni*, eius gentis fuerunt: iidem & *Rugii, Heruli, Gothini, Longobardi*, & quod non genus, ciuitatis Germanicæ, aliud? His, seu pulsis, seu sponte, in regiones, toto diuisas cælo, demigrantibus, nunquam ita inanis relicta est ora nostra; quin in siluis, dedititii, superarent multi; atque his deficientibus, succederent iterum alii, e *Boiis* potissimum, qui aduersam *Danubii* ripam, medio illo æuo, habitabant. Est enim hoc, gentibus, propemodum omnibus, familiare, vt trahant post se, eiusdem originis, & linguæ homines. quod, vti perpetua supplementa, decrescentibus sufficit; ita, non facile accidit, vt quas sedes occupauere semel, hi illiue populi, exinanitas prorsus relinquant. Atque, ad hunc modum, antiquissimos incolarum regionis nostræ, *Germanos* dico: non, quod credam, gentium, pridem obsoletarum, esse propagines; sed, quod hi, illos; hos, isti; alios, denique, alii, ita, surrogatis quasi coloniis, instaurarint, vt nunquam *Germanicæ* ciuitatis homines, tota hac nostra prouincia, defecerint. De priscis illis temporibus, res est certa. De *Hungarorum* ætate, dubitarit fortassis aliquis: quippe quos, odio *Germanorum*, post occupatas isthic sedes, nunquam non flagrauisse, certum est. Sed, non est dubitationi locus. Diu, enim vero, *Pisoniensis* hic limes, & post admissos *Hungaros*, a *Germanis* infestabatur: vrbs potissimum, qua, dum potiebantur, non est ambigendum, quin colonias huc deduxerint, e gente sua, ne esset suspecta fides. Postea, cum *penitus Hungarorum* fieret prouincia; reges optimi, non modo non adflictabant, *dedititios Germanos;* sed fouebant etiam, ob artium, quarum rudes tunc erant *Hungari, peritiam: inuitabantque* habitatum, etiam præmiis propositis; credo, S. Stephani *consilium secuti*, qui id Emerico duci, constanter inculcabat; *(k.)* vti, peregrinos ciuitate accipere, liberaliterque habere, nunquam cessaret. Hoc ergo tradu-ce, propagati sunt *Germani*, ad nostram hanc, quam degimus, ætatem, magno profecto, regionis commodo; vt ferendi haud sint, nati, sibi ipsis, homines, qui, tum beatam fore *Hungariam* autumant, dum, quidquid in ea peregrinorum inest, exturbatum inde fuerit. Ignari sunt profecto, legis, a S. Stephano latæ, quam ideo huc iuuabit adscripsisse. *Sicut*, inquit, *ex diuersis partibus prouinciarum, veniunt hospites; ita diuersas linguas, & consuetudines, diuersaque documenta, & arma, secum ducunt: quæ omnia, regiam, ornant, & magnificant, aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam, vnius linguæ, vniusque moris regnum, imbecille, & fragile est. Propterea, iubeo te, fili mi, vt bona voluntate illos nutrias, & honeste teneas, vt tecum libentius degant, quam alicubi* (alibi) *habitent. Si enim tu destruere, quod*

Germani, quomodo sint antiquissimi prouinciæ nostræ incolæ, dicendi:

S. Stephani, *de peregrinis, in regnum admittendis, fouendisque, sanctio:*

k.) Decretor. Lib. I. Cap. VI. *Adde*, anni MDCCXXIII. Art. CIII.

quod ego ædificaui, aut dissipare, quod congregaui, studueris; sine dubio, maximum detrimentum, tuum patietur regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge regnum, vt tua corona, ab omnibus augusta habeatur. Digna profecto, *Sancto* rege, *sanctio*. Colunt hodie *Germani*, per prouinciam passim; sed in vrbibus in primis: suntque alii, nobiliores aliis; at, plerique tamen, vel mercatores, vel opifices, hoc est, homines, ad sustentandam rempublicam, vnice necessarii. Veste, pauciores amiciuntur *Germanica*; pluribus *Hungarica* placuit: cum qua, induunt se simul in mores *Hungaricos*. quos, & conuictu referunt, & sermone. Nam, hunc quidem mature condiscunt, ob mutua, cum Hungaris, commercia. Ipsi, lingua vtuntur, pro suæ quisque gentis, qua satus est, ingenio. Qui ex *Austria* ducunt originem, retinent eius regionis dialectum; sicuti, *Sueui*, Sueuicam, Saxonicam *Saxones*. Vniuersim tamen, *Austriacus* sermo inualuit, vt rarus sit, & in doctis viris, qui non eius quidpiam, incorruptæ dictioni, admisceat. Amant connubia, petita e tribulibus, quod vnum credunt, propagandæ gentis adminiculum. Ad rem, aduenæ potissimum, tam sunt adtenti; vt habeant, quod ab iis discant, indigenæ. Sciunt nempe, secundo, & aduerso *Danubio*, uti. In vtramque partem, merces vernaculas inuehunt, suo, non minus, quam quibus eas vendunt, lucello. Ne quid tamen diffiteamur, non desunt, qui se gerant arrogantius, quam hospites, saltem, nuper in ciuitatem adscitos, condeceat: cetera, in vtilissimis reipublicæ membris censendi.

hodie, vrbes insident; eorum occupatio:

vestitus:

lingua:

sunt ad rem adtenti.

§. V.

Slauorum *historia.*

REcentiores, *Slaui* sunt, *Germanis*; tametsi eorum *quoque ingressus*, ad *medium* illud *ævum*, *quod in historia* vocamus, est referendus. *Si temporum rationes*, rite subduxerimus, pronum erit definire, a *Maharensibus*, *Slauos* nostros, propagatos fuisse, cum *Marcomannorum*, *Quadorumque* regionem, insederunt. Diximus, a *Morauo*, vsque ad *Granum*, *Quados* coluisse. Proinde, *Carpathum* montem, vsque ad fontes *Vagi*, & *Grani*, *(l.)* Morauia tunc complectebatur. Hoc, quidquid est tractus, a *Slauis* habitabatur, *Maharensium*, & gente, & lingua, simillimis. Neque contraiuero, si quis adfirmarit, *Iazyges* quoque *Metanastas*, vltra Granum, vsque ad Tibiscum, diffusos, venisse in nouæ coloniæ societatem. Nam, & hi, consobrinum genus erant, vtebanturque lingua Sarmatica. Ab his exordiis, quæ fuerunt omnino insignia, & multis bellis nobilitata, nunquam postea *Slaui*, hac ora, depulsi sunt; tametsi, *Hungari*, ab *Arnulpho*, aduersus *Slauos*, euocati, regionem, sub suam potestatem miserint. Postea vero, rerum potitis *Hungaris*, intermisceri quidem eos

incrementa:

l.) Idem hic tractus est, qui *Comitatus*, a *Slauis* cultos *Posonienſem*, *Nitrienſem* *Barschienſem*, *Hontenſem*, *Zolienſem*, *Thúróczienſem*, *Trentschinienſem*, *Liptouienſem*, & *Aruenſem*, hodieque complectitur.

eos oportuit, nouo huic populo, & imperata facere; haud tamen decreuerunt penitus, ob nimiam, *Morauorum* vicinitatem. Constituto *Hungariæ* regno, frequentia, *Bohemis*, cum gente nostra, bella fuere. quæ, quod plerumque funesta *Hungariæ* exstiterunt, non poterant non; collimitium istud, a *Slauis* habitatum, nouis subinde colonis, ex *Morauia Bohemiaque*, accedentibus, suboleſcere. OTTOCARI ætate, cum primis, qui hos fines, semel iterumque perrupit, atque *Bohemicis* præsidiis, communiuit. Deinde, inualescentibus *Hussitis*, inualuere simul *Slaui* nostri, auctique sunt, nouis, ferocissimæ gentis, accessionibus. SIGISMVNDVS certe, cuius res, gens ea, vehementer perturbauerat, fusus fugatusque sæpius, prohibere haud potuit; quin agminatim huc irruerent, occuparent castella, & vtroque *Carpathi* latere, etiam sedes ponerent, perpetuas hic, temporarias alibi. Nondum profligati prorsus fuere *Hussitæ*, cum ELISABETHA, Sigismundi filia, vidua ALBERTI, regionem omnem, *Pisonio*, *Cassouiam* vsque, Bohemorum auxiliis compleuit, vt filii, LADISLAI posthumi, iura tutaretur, aduersus WLADISLAVM Polonum. Tunc vero, quis est, qui dubitet? *Slauos* nostros, extulisse caput, accepisseque supplementa. Consopito eo bello, Bohemisque, qui late, per regionem dominabantur, officium vti facerent, adactis, vix erant, qui tam diutinas sedes desererent. Itaque, inde, a LVDOVICORVM imperatorum ætate, vsque ad nostra hæc tempora, perpetuo *Slaui*, heic insidebant. Vt audiendi non sint, antiquitatis & historiarum ignari, qui, vti ignobiles ortus, ita turpia incrementa, genti adfingunt, olim validissimæ, iam vero etiam *in iis* censendæ, quæ sunt, *Hungariæ* nostræ, multo omnium vtilissimæ. Lingua vtuntur proxime, ad dialectum *Bohemicam* accedente, suaui ea, multæque vrbanitatis. Neque tamen *eodem*, *sicuti Hungari*, cultu, promiscue, omnes loquuntur. Nobili loco nati, *ciues item*, *plurimum referunt* elegantiæ, siue voces singulas spectes, siue dictionem vniuersam. Crassius agrestibus os est, atque vocis, inficeta quædam modulatio, quæ insigniter corrumpit sermonem. Vestis *Hungarica*, ex æquo, omnibus placuit; sed rusticis, quam pro nostræ gentis more, laxior. Qui ad pedem *Carpathi* citeriorem habitant, cultius amiciuntur, quam qui vltra degunt. Vtrisque, cærulei, ex fusco, panni, probantur, vnde interiores vestes fiant. His, lacernas iniiciunt, aut villosum gausape. Corporis robore, quin statura etiam, antecellunt *Hungaros*. Sunt enim humerosi, ceruicæ firma, oculis fere aquilinis, thoroso pectore, compactisque artubus. Hoc, cum sint habitu, laborum sunt tolerantissimi, rusticationis potissimum, quæ passim cultu vineatico, & agricolatione, absoluitur. Vtrumque operarum genus, magna procurant industria, si ita ager ferat. Quantumuis autem laboriosissima sit natio; agit tamen hilariter, diebus in primis festis, & si qnæ sint, a laboribus, vacationes. Simul, in vico, tibia vtricularis insonuit, concurrunt alacres, eduntque, adhuc sobrii, saltationes. quibus, seniores moderantur,

accessiones aliæ:

lingua:

vestis:

corporis habitus:

mores lætis

rantur, ne quid tumultuarie, aut cum alicuius iniuria, eueniat. Raro tamen discedunt, vbi se inuitauerunt largius; quin ad verbera prouolent. Vocantur demum adgressores in litem, quæ, vbi ab arbitris diremta est, farciendæ amicitiæ caussa, nouæ indicuntur saltationes: a quibus per dies festos, nisi tunc est cessatio, cum id legibus Ecclesiæ, vetatur. Reliqui gentis mores, multum rusticæ elegantiæ referunt, in nuptiarum solemnibus maxime, vbi ad regulam omnia fieri oportet. Obeunt & puerperia, cum insigni hilaritate; funera contra, cum luctu, prorsus singulari. Si vicini collidantur odiis, difficulter admodum reconciliantur. quod, dum fiat, ingenioſi sunt in excogitandis, quas inferant, iniuriis. Viri tamen, facilius, quam feminæ, in gratiam redeunt. quæ maritos retentant subinde, ne quidquam de caussa sua remittant. Sed hæc istiusmodi, sæpius recurret locus commemorandi.

sunt irarum tenaces.

§. VI.

Præter *Slauos*, insunt regioni etiam *Croatæ*: peregrinum genus, & ante sesqui seculum, huc delatum. Nempe, Turcarum iniuriis depulsi sedibus suis *Croatæ*, cum cælum mutare cogerentur, vti apud trans Danubianos passim; ita, nostra quoque hac regione, vel posuere ipsi vicos, vel exinanitos, temporum iniquitate, instauruere. Fouit eos postea herorum fauor, & tributorum indulgentia. Ferunt, aduentante, ad obsidendum Szigethum, *Solymanno*, plurimos vicos, vti fit, metu belli dilapsos, litteras, salui conductus, a Nicolao Zrinyo, accepisse. quibus, adflictissimam, & incertis sedibus, ni reciperetur maturius, vagaturam plebeculam, proceribus Hungariæ, quorum res extra periculum fuere, impensius *commendauerit*. Itaque, vt in Hungariam venere, *prensabantur* ab his, qui exsulanti multitudini, *sedes poterant* impertiri. In his, apud nos, *Casparus Seredy*, late tunc dominatus, fuisse perhibetur: qui & agrum adsignauit extorribus; neque postea cessauit, impigrum genus, singulari beneuolentia, confouere. Illud dignum admiratione est, quod inter *Slauos* medii, vix quidquam vel in patriis ritibus vel in sermone, hactenus commutauerint. Viuunt adhuc *Croatarum* institutis. quæ ad *Senkvitzium* narrabimus. Eximia sunt laborum patientia, alii, alii autem, vltra, quam reris, desides: idque pro vicorum ratione. Iam, quod sacerdotes *Slauos* coguntur, pro concione sacra, audire, multum, non sermonis modo *Slauici*, sed moris etiam peregrini, incipiunt addiscere.

Croatarum *in prouinciam nostram, aduentus:*

sunt patriorum rituum, & sermonis, obseruantissimi.

§. VII.

Iudæi, & *horum nupera incrementa:*

Iudæos nunc fas erit meminisse, gentem, oppido calamitosam; sed, quæ paucis retro annis, tanta per *Hungariam*, & præcipue in Comitatu *Pisonienſi*, incrementa sumsit; tamque facta est morosa & ferox,

ferox, vt *Christianis*, nihil dubitet insultare. Diu est, cum in Hungariam venere; sed, quos leges patriæ, vti necesse fuit, iustis limitibus, perpetuo circumscribebant. Prima *Iudæorum* mentio, in decreto *(m.)* S. Ladislai exstat: vnde condiscas, ea, iam tum fuisse, rerum adfluentia, vt nihil pensi duxerint, siue clam, siue palam, vxores *Christianas* sibi adscisce re, mittere in seruitutem, parentibus Christianis genitos. Vtroque, lege publica, prohibebantur: *Si Iudæi, vxores Christianas sibi associauerint, aut aliquam personam Christianam, apud se, in seruitio detinuerint, ablata ab eis, libertati reddantur, venditoribus eius pretium tollatur, & in fumtum Episcoporum veniat.* Repetiit sanctionem Colomannvs, statuitque, *(n.)* ne vllus *Iudæorum*, mancipium *Christianum* emere, vendereue, ausit; sin autem, agricolationis caussa, famulis indigerent, *(o.)* hos deligerent ex *paganis.* Iam enim vero, fraude, vsuris, atque furtis, infamis esse cœperat, lucripetarum natio. quæ, vt auerruncaret a suis Colomannvs, egregia vsus prouidentia, seueriſſimas tulit *(p.)* leges: quibus, si esset hodieque locus, minus fraudum patraretur ab iniquissima gente. Sed, hæc postea seueritas, oppido æquissima, paullatim exspirauit, increuitque *Iudæorum* multitudo, ad eum modum, vt non regno tantum, sed ipsis etiam regibus, grauis esse occiperet. Hinc illa Andreae II. lex: *Comites Camerarii, monetarum, salinarii, & tributarii: Nobiles regni nostri sint: Ismaelitæ, & Iudæi fieri non possint.* Credo, horum quoque munerum procurationem, ad se tunc rapuisse. Lvdovicvs I. in eam curam incubuit, vt gentem, in Devm, & Christvm, blasphemam; partim, sua ipsius benignitate, partim, episcoporum concionibus, ab errore reuocaret, initiaretque sacris Christianorum. At enim, adeo nihil *profecit; vt* cum, homines, magnarum opum, insolescere magisque, cerneret, *depellendos* statuerit. Meminit rem Thvroczivs: *(q.) Ipse Iudæos, ad fidem Catholicam conuertere, & Christo lucrari, tamquam zelator salutis, desiderans: propter obstinatam duritiem ipsorum Iudæorum, propositum ad effectum perducere, non valens: omnes Iudæos, per regnum Hungariæ, licentiauit, & expelli mandauit: bona, & res ipsorum, per vsuræ voraginem cumulatas, velut lutum spernens, noluit habere, vel occupare: & sic omnes de regno Hungariæ, in Austriam, & Bohemiam, recesserunt.* Sed, non erat diuturnum exsilium, & vix, ad Sigismvndi tempora, prolatum. Callet, nimirum, artes, penitus se insinuandi, gens vaferrima: in primis, apud rerum dominos. quorum, seu auaritiam, seu fastum, lubidinesque, rimati, id agunt, vt, pro suo quemque genio, inescent, ineſcatum, suis rationibus prorsus faciant obnoxium. Tunc vero, nihil non licet, iniquissimis hominibus. Ergo, denuo conualuere *Iudæi*, sub Matthia *Coruino.* Nam Wladislao ad cla-

olim legibus cœrcebantur:

postea, extra modum adaucti, graues regno, & regibus, exstitere:

aguntur a Ludouico, *in exsilium:*

inualescunt suis fraudibus iterum:

m.) Libro I. Cap. X.

n.) Decretorum suorum, Lib. I. Cap. LXXIV.

o.) Ibid. Cap. LXXV. *Et* Lib. II. Cap. I.

p.) Decretor. Lib. II. Cap. II. & III.

q.) Chron. Hung. Parte III. Cap. XL. p. 106., 50. Et ex eo Bonfinivs, Decad. II. Lib. X. p. 350, 25.

atrociſſima patrant facinora:

clauum ſedente, atrociſſima patrare facinora, nihil reuerebantur. *Tyrnauiam* certe cruentare ſunt auſi. Rem BONFINIVS *(r.)* in litteras, ad annum MCCCCXCIV. retulit, quam in eius vrbis hiſtoria, recognoſcemus. Nempe, adoleſcentem necauerant, *Chriſtianis* parentibus natum, cuius ſanguinem, inciſis venis, eductum, ſuperſtitioſis ritibus, adhiberent. Conflauit ea res, ſummorum imorumque, inuidiam, generi iniquiſſimo. Sed illi, adeo non deſciuerunt ab ingenio, vt nihil dubitarint, deteſtandum facinus, Anno MDXXIX. *Bazingæ* iterare. quod, quale fuerit, illic docebimus. Ad eum modum, de regione noſtra, meriti *Iudæi*, tametſi non caruerint optimatum patrocinio, nequiuerunt tamen increſcere: quippe, & *Tyrnauia* excluſi penitus, & *Bazingæ*, diriſſimis adfecti ſuppliciis, &, ob vſuras nimias, quibus *Piſonium* exederant, regum edictis, tempeſtiue coerciti. Acceſſit poſtea, geminatus tributorum modus, qui cum opes eorum adtriuit, tum diminuit numerum. Exſtat, in eam rem, ſanctio RVDOLPHI decreto *(s.)* perſcripta: *Iudæi, & Anabaptiſtæ, proprias domos habentes, qui in Hungaria pauciſſimi ſunt, quod citius emigrent, ad ſoluendam dicam, & alia onera ſubeunda, in duplo cogantur.* Itaque, defecerant tunc numero. At enim, ſurgente, ſeculo decimo ſeptimo, inualuerunt ad eum modum, vt triceſimas, telonia, & id genus munia, conſuetis artibus, ſibi facere auſi ſint peculiaria. Hinc enatæ, frequentes illæ *(t.)* leges, quibus prouentuum iſtius modi procuratione arcebantur Iudæi: *veluti iurium regni incapaces, infideles, & nulla conſcientia præditi;* vt verba legis habent; addita, in præuaricantes pœna, vt villa, aut oppido, mulctarentur, qui *Iudæis* telonia, collocare fuerint auſi. Vt mirum ſit, migrari, ſeueriſſima hæc, & in commune vtilia, inſtituta, potuiſſe. Nunc, *quod ſupra diximus*, ad eam multitudinem excreuere *Iudæi*, tamque paſſim agunt licentioſe, vt *non vrbibus modo*, ſed oppidis etiam, ac vicis, graues ſint, & damnoſi: quippe qui, & fraudibus, vſurisque, exſugunt rempublicam, & furtis, non modo plebeiorum ædes, ſed inacceſſas, ipſis hoſtibus, arces, contemerant. Hæc de *Iudæis*, in operis aditu erant dicenda, ne habeamus poſtea neceſſe, hiſtoriam eorum retexere.

Rudolphi *in eis diminuendis ſtudium:*

noua incrementa, & latæ aduerſus eos leges:

hodierna eorum multitudo, & licentia.

§. VIII.

Supremorum Comitum dignitas, genti Pálffianæ *perpetua:*

HIs nationibus inſeſſam regionem, domeſtici magiſtratus moderantur. Partes SVPREMI COMITIS præcipuæ ſunt. quæ dignitas, noſtra hac prouincia, inclutæ genti *Pálffyorum*, inde, ab anno MDXCIX. perpetua fuit. Eorum ſeriem, a NICOLAO II. vsque

r.) Decadis V. Lib. III. p. 718, 9.

s.) Decreto I. Articulo II. anni MDLXXVIII. Adde anni MDXCV. Articulum X. *Anabaptiſtæ & Iudæi, de qualibet perſona, ſingulis menſibus, ſingulos* 50. *Denarios, ſoluant.*

t.) A. MDCXXX. Art. VX. A. MDCXLVII. Art. XCI. *A.* MDCXLIX. Articulo LXXIX. A. MDCLV. Art. XXIX.

que ad IOHANNEM IV. qui iam rebus feliciter præeſt, in arcis Piſonienſis hiſtoria, exhibebimus. Connexa enim hæc ſunt munera, vt, qui arcis eſt *Capitaneus*, ſimul, prærogatiua *Supremi Comitis*, potiatur. Vtraque autem ea dignitas, ad ſeniores familiæ, iure vetere, ab optimis regibus indulto, adtinet. Nusquam rem didiceris melius, quam ex eo diplomate, quo Cæſarum optimus, CAROLVS VI. hodierno ſupremo Comiti, pro ſua, in virum ſummum, benignitate, eundem hunc honorem, indulſit. *Eidem Comiti, Iohanni Pálffy*, verba ſunt diplomatis, *tanquam in familia Pálffiana, natu maiori, immediatoque ſucceſſori, pro more & conſuetudine, alias etiam vſitata, iureque, a prædeceſſoribus noſtris, diuis quondam Hungariæ regibus, felicis reminiſcentiæ, eidem familiæ, priuilegialiter conceſſo, ſimul cum conſueta eiusdem officii iurisdictione, ſolitisque obuentionibus, prouentibus & emolumentis, clementer dandum duximus & concedendum.* Atque hinc eſt, quod Comes Piſonienſis, *perpetuus Supremus Comes* adpelletur. Neque enim, vti in plurimis Comitatibus aliis, hæc, apud Piſonienſes, *ambulatoria dignitas* eſt; ſed, regum indulgentia, genti *Pálffianæ*, ita propria, vt dum ea ſuperabit, hæreditario iure, propaganda ſit in poſteros: quod, vt familiæ, immortaliter, de regibus, atque patria, meritæ, reuera ſit perpetuum, ex animo comprecamur! Ceterum, quæ ſint Supremorum Comitum, in adminiſtranda prouincia, partes, ad hunc modum, laudatum diploma, expromit: *Ita tamen*, inquit, *vt ipſe Comes*, IOHANNES PALFFY, *iuramentum fidelitatis nobis ſeruandæ, præſtare, iudicium & iuſtitiam, citra perſonarum delectum, in iurisdictione ſua, omnibus, ex æquo, adminiſtrare, omnesque Status & Ordines, prædicti Comitatus* Poſonienſis, *in iuribus & libertatibus ſuis, conſeruare, debeat & teneatur; adtendatque inſuper, & inuigilet, vt omnes & ſinguli prouentus Cameræ Noſtræ Regiæ, de eodem Comitatu prouenire debentes, Nobis, & ad eandem Cameram noſtram, fideliter adminiſtrentur, & quod mandata noſtra regia, & ipſe obſeruet, & ab omnibus, in annotato Comitatu, obſeruari faciat, inimicis noſtris reſiſtere, & cum amicis, amicitiam ſeruare debeat.* Hæ ergo muneris, oppido conſpicui, partes, hæc ſunt officia. Reliqua, quæ ex his manant capitibus, paſſim, in regni decretis legas: quæ iam recognoſcere non vacat; ſaltem alii loco, & tempori, adſeruamus conſulto.

confertur a CaroloVI. *C. Iohanni* Palffyo:

partes Supremi Comitis, quæ?

§. IX.

VIcæria, Supremi Comitis munia, VICE-COMES obit, quem nobili loco natum, eundemque *Hungarum* eſſe oportet. Quoties eligendi eius neceſſitas eſt, publico id prouinciæ comitio fit. Lege, nimirum, cautum eſt; vt triennio exeunte, inſtaurentur Magiſtratus Comitatuum; credo, ne munerum diuturnitate, adfectent dominatus quidpiam. Ergo, vbi tempus præſtitutum illuxit, abdicat ſe magiſtratu, cum collegis, *Vice-Comes*, ritu prorſus ſolemni:

Vicarius Supremi Comitis:

ius eligendi ratio: Id ſimul factum more patrio eſt, dies iterum definitur, quo noui ſublegantur magiſtratus. Concurrunt, ex vniuerſa prouincia, viri nobiles, ſtudio eo maiore, quo quisque eſt Reipubl. amantior. Neque enim committendum putant, vt eos ſibi ipſis præficiant magiſtratus, quorum poſtea iniuriis, & ipſi pateant, & vniuerſim, plebs reliqua. Itaque, præter, decedentem prouincia, *Vice-Comitem*, magna vſi circumſpectione, quatuor, e prima nobilitate, (*) in candidatis referunt. Nempe, viros eſſe oportet; iuris patrii peritos; veri rectique ſtudioſos; alienos a ſordibus; quique reipublicæ amore potius, quam auctoramentis quibuscunque aliis ducti, prouinciam adminiſtrent. Tunc demum, moderante *Supremo Comite*, colliguntur ſuffragia, &, qui his euaſit potior, hilari, prouincialium conclamatione, *Vice-Comes* promulgatur. Accidit non raro, vt, ſi ſe probauit, abeuntis magiſtratu, *Vice-Comitis* prudentia, & in adminiſtrandis rebus, integritas, eum iterum, atque tertium, inuitum quandoque, ad recipiendos faſces, magna conſenſione, retrahant. quod, *Ladislao Schloſsberg*, viro, reipublicæ nato, quique, dum hæc ſcribimus, rebus moderatur, euenisse, recordamur. Cum enim, ante hoc ſexennium, *Franciſco Sigraio*, ſublectus eſt; eum ſe præbuit, vt ſecundum poſtea, atque nuper tertium, in eo magiſtratu, non minus Supremi Comitis, quam reliquorum ordinum, adſenſione, conſtabiliretur. Magiſtratus reliqui ſunt: *magiſtratus reliqui:* Iudices Nobilium: *Iudices Nobilium*, Hungaris *Szolga-Bíró*, *(u.)* quod *Seruientium Iudicem* ſignificat, procul omni iniuria. Vetere enim more, viri nobiles, *ſeruientes regis*, adpellabantur: quorum cauſſas, qui iuſſu regio, aut ſuffragiis prouincialium, diſcutiebant, vernacule, *Seruientium Iudices*, dicebantur. Huc, & *Slauica*, adpellatio redit: *Sluzno-Dworſzky*; nam Germani *Stuhl-Richter*, hoc eſt, *ſedis* alicuius, ſiue *tractus prætorem*, vocauerunt. id quod egregie, cum *muneris huius* rationibus quadrat. Habent nempe, *in Comitatu*, ſuas quisque prouinciolas, quibus ius dicant. Has, *Proceſſus* nuncupauerunt veteres; denominatione, e vernaculo ſermone, deducta. quo quidem, *Szolga-Bíró-Járáſa*, dicebantur minutiores illæ, in quas diſpeſcebatur prouincia, regiones. Scilicet, admenſam ſibi, *Comitatus* portionem, obire frequenter, tenebantur, ne quid perperam iniuſteque fieret, ob iudicum abſentiam. Itaque, tot vnicuique Comitatui ſunt *Iudices Nobilium*, quot is *Proceſſibus* abſoluitur. *Piſonienſis*, quinque numerat, ex partitionis, de qua mox dicemus, habitu. Poſt *Iudices Nobilium*, quos contractis elementis, *Iudlium*, vocare moris eſt, *Fiſcus*; *Syndicus* item, noſtris *Iuratus Notarius*; & acceptorum datorumque magiſter, *Perceptorem* dicunt; *Quæſtor*, ſeu *Commiſſarius*, nominandi ſunt. Sua ſingulis ſunt munia, ſuæ occupationes. quas, vel ipſa honoris vocabula indicant.

Fiſcus: Notarius:

Perceptor:

*) Confer omnino, legem A. MDCCXXIII. Artic. LVI.

u.) Etiam *Akaſztó Bíró*, vocitatos olim fuiſſe, certum eſt: eo quod ſuppliciis ſontium tenebantur adeſſe, & moderari. Id enim Hungaricæ voces ſignificant; nimirum, *Suſpendii*, ſeu *laquei iudicem*.

dicant. In primis vero memorandi ſunt, *Tabulæ Iudiciariæ Adſeſſores.* Senatum ita vocant prouincialem, qui in adminiſtranda prouincia, diiudicandis cauſſis, & reliqua procuratione reipublicæ, cum *Supremo Comite*, *Vice-Comite*, & quos nunc diximus, magiſtratibus reliquis, in medium ſolent conſulere. Grauiſſimi quique viri, in eum ordinem leguntur, ex quibus poſtea, ſi vſus poſcat, *Vice-Comites*, & reliquorum munerum adminiſtros, creare, in more poſitum eſt. Sunt, & *Iudicibus Nobilium*, ſui *Iurati*, ſed qui dignitate priores illos, haud æquant. *Tabulæ Iudiciariæ adſeſſores:*

§. X.

HIs magiſtratibus, non *Piſonienſis* modo; ſed omnes vniuerſim, *Comitatus Hungariæ*, qui ſunt regno coadunati, adminiſtrantur. Partes ſingulorum, quæ ſint, disquiſitu longum eſt. Ergo, ſparſim, cum ſe dabit occaſio, de iis habebimus dicere. Id certum eſt, ad reipublicæ adminiſtrationem, æquam illam, & exactam ad leges patrias, comparata eſſe omnia. Nam ſicubi res aliter cadat, hominum id vitio *(v.)* accidit, non reipublicæ forma. quæ egregie ſatis contemperata eſt, ad publicæ ſalutis procurationem. In hanc, vti, pro eo, ac fas eſt, incumbant magiſtratus, frequentius, in comitium coire, ſueuerunt. Id, conſcio *Supremo Comite*, eius vicarius, indicit, & ex rerum, quæ ſunt diſputandæ, indole, hic, alibiue, diem locumque, præſtituit prouincialibus. Plurium vero ſunt generum, hæ iſtius modi, congregationes. *Particulares* vocant, vbi non neceſſaria viſa eſt, nobilitatis vniuerſæ coitio: *Generales*, quando ea in medium conſuli neceſſe eſt, quæ, ad *Vniuerſitatem (x.)* integram, *ex æquo* adtinent. Vtrisque, negotia expenduntur varia, quæ iam ſuperſedemus recenſere. Peculiares ſunt conuentus, quos *Sedes Iudiciarias*, & compendio, *Sedrias* adpellamus. Crimina hic maleficorum hominum, excutiuntur, feruntur capitales ſententiæ, plectuntur noxii, diſputantur item accuſationes, *reliqua*. Hos, *Somorjæ*, ſiue *Samariæ*, agere, legis, an conſuetudinis eſt: nam hic publicus carcer, & cetera ſuppliciorum ſunt inſtrumenta. Reliqua comitiola, *Piſonium* ſæpiſſime, rarius *Szemptzinum* indicuntur: celebritate, numquam non inſigni. Præterquam enim, quod numeroſa ſit in *Comitatu* nobilitas, *(y.)* cuius eſt, publicos iſtius modi congreſſus, frequentare: in primis, *Magnatum* ordo, honeſtat ſplendidiſſimos conſeſſus. qui heic, plures, quam alibi, & munerum publi-

Eadem, alibi quoque eſt comitatum adminiſtratio:

comitia prouincialia:

eorum diuerſitas:

locus & celebritas:

v.) Iſtud mihi exaggeraſſe viſus eſt, FRANCISCVS WAGNERVS, Hiſtoriæ *Leopoldinæ* conditor, Libro III. p. 184.

x.) Ita, *Ciuile*, totius Comitatus, *Corpus*, vocant, e quatuor Statibus: V. *Clero*, *Magnatibus*, *Nobilibus*, & *Vrbibus Liberis*, coagmentatum. Hinc ſolemnis illa formula: *Vniuerſitas*, *Prælatorum*, *Baronum*, *Nobilium*, *&c.*

y.) Multitudinem inde colligas, quod anno MDCLXIII. *ſex millium* exercitum, in hoſtem ducendum, expleuerit; accenſo ſimul, Archiepiſcopi *Banderio*, & *Prædialiſtis* Vajkenſibus.

tempora: blicorum dignitate, multis modis excellentiores, interſunt. Tempora, ad coeundum ſtata haud ſunt: definiuntur ea, ex rerum habitu. Itaque, nunc crebrius, rarius iterum coitur: vixque a conſultationibus diſceditur, niſi poſt triduum. *Comitatus inſignia.* Insignia Comitatui, communia ſunt, cum Supremis Comitibus. Iam *Pálffyanis* vtitur, quod ea gens, vti diximus, pene ſesqui ſeculum, iſto axiomate claret. Ceruus eſt, e rotæ, per medium fractæ, temone, vmbilico tenus, arrectus, prorſus ea ſpecie, quam in fronte huius commentationis, *Marti* adpiniximus. Itaque, iisdem ſimulacris, & *Sigillum Comitatus* inſignitum eſt. quod iure ſuo peculiari, rubea cera, exprimunt.

§. XI.

Magnates qui ſint in prouincia: Incidit nobis, Optimatvm mentio. quos iam fas eſſet, pro eo, ac ſingulorum poſcunt merita, referre in commentaria noſtra. Sed, cum eorum origines, in canam ætatem retruſas, incrementa, atque florem, partim integris voluminibus, explicuerint alii; partim in eo iam ſudent, id, vt præſtare poſſint, magna orbis Hungarici exſpectatione; ſuperſedeamus oportet, labori, vltra, quam ſunt deſtinationis noſtræ fines, procurſuro. Quomodocunque vero ſe res habeat, temperare nobis haud poſſumus; quin familiæ alterutrius, & in his, inclutæ gentis *Pálffyorum*, quæ totius prouinciæ, facile princeps *Comites* Pálffii: iam, eſt, origines, incrementa, propaginesque, breui faſce complectamur. *horum origines:* Ducit vero primas origines, ex veterrima gente *Konth*. cuius decora proſequi, non eſt huius loci; dixiſſe ſuffecerit, propagatum eſſe genus, ex principe viro *Poth*, ſiue *Both* illo, quem laudat *(z.)* Thvroczivs. Hi demum *Hederuários*; iſti *Konthios*; atque *iidem Pálffyos*, poſt *Nicolai de Konth*, Palatini Regni Hungariæ tempora, quæ in annum MCCCLVIII. *inciderant*, progenerarunt. Non ſunt ergo eiusdem, cum *Erdődiis*, originis *Pálffii*. Enimuero, quod & inſignia habeant quodammodo eadem, & communem *ab Erdöd*, denominationem, recens id eſt inſtitutum, & ad *Paulli III. Pálffii* ætatem, hoc eſt, ſeculi decimi ſexti, annum circiter quinquageſimum, referendum. Primus, quem e tabulario, ſeu *archiuo* Pálffyorum eruderatum *(a.)* accepimus, *Paullus Konth* fuit; quem cognominis *Paullus II.* excepit, Hungarice ideo *Pálffy*, id eſt, *Paulli filius*, dictus. Manauit inde cognomen *Pálffy* in poſteros, denominatione ſubinde, alia atque alia, a poſſeſſionibus, ex eius ſeculi more, adſcita. Ita, *Nicolaus I. Pálffy*, Paulli II. filius, *de Dercsika* & *Ráró*; *Laurentius*, Nicolao genitus, *Pálffy de Cseleſztő*; Paullus III. iterum de *Dercsika*, & *Ráró*, *Petrus* denique, Paulli III. natus, *de Csábrágh (b.)* & *Ráró*, dicebantur. poſt cuius tempora, agnomen *ab Erdöd*, in familiam, per nuptias, *Iudithæ Erdödy de Csorna*, inuectum fuiſſe, memorant. Suſcepit vero *Petrus*, ex *Sophia*, Iohannis Dersffy, & Batyania filia, *Thomam I. Georgium; Iohannem I.; Stephanum I.*; atque *Nicolaum II.* Pálffyos; filias item duas, *Catharinam I.* & *Magdalenam*. Filiorum ſinguli, caſtra ſequuti, honoribus potiti ſunt eximiis. Et *Thomas (c.)* quidem Capitaneus Palotenſis; *Thomam II.* hic *Thomam III.* Epiſcopum Nitrienſem, eundemque Cancellarium R. H. genuit. *Georgius Pálffy*, improlis, forte etiam cœlebs, e viuis exceſſit. Sed nec *Iohannis I.* Capitanei Tatenſis; nec *Stephani I. Pálffy*, propagatum genus eſt. Nicolao id numen adtribuit, vt gentem, in ſeros nepotes, proferret. de quo iam profeſſa opera, dicendum eſt: non, quemadmodum virtus tanti viri meretur; ſed, quod eſt cum inſtituto noſtro, congruum.

genealogia:

z.) Chronici Hungarorum Parte II. Cap. XIV. p. 34.

a.) Nauauit nobis eam operam, Pavllvs Ieszenak, vir, vti patriæ rerum vniuerſim, ita, quæ ad gentem *Pálffyanam* adtinent, conſultiſſimus, noſtrorumque conatuum, adiutor plane eximius.

b.) Habuiſſe in poteſtate eam arcem, ex Istvanffyo conſtat, Lib. XVI. p. 283, 38.

§. XII.

Nicolai II. adoleſcentia: Edidit Nicolavs, præclara virtutis ſpecimina, inde ab ineunte ætate. quibus, vt proficeret magis magisque, *Thraciam*, *Germaniam*, *Belgium*, *Galliam*, atque *Hiſpaniam*, rariſſimo, inter noſtros homines, exemplo, peragrauit, ſummorum in re militari virorum, contubernio vſus. *peregrinatio:* Ex ea peregrinatione redux, militiam adiit, breuique, laborum patientia, in conſulendo prudentia, felicitate in agendo, veteranos quosque duces, vel æquauit, vel antecelluit. *profectus:* Prima, quam anno MDLXXXIV. adiit, *Comaromienſis* præfectura fuit. *præfecturæ:* Hanc, increſcente viri fama, *Strigonienſis* atque *Vjuarienſis*, ſequutæ ſunt. Longum foret, actus eius bellicos, qui & multi fuere, & *felices*, magnorumque euentuum, *Iaurino* potiſſimum recuperato, commemorare: laudes tamen, *quas ei* circumpoſuit Istvanffyvs *(d.)* fas eſt heic recognouiſſe. *laudes:* Nicolavm, inquit, *Pálffyum, alterum e ſuis cubiculariis*, Cæſar, *officio Comaromienſis præfecturæ, eodem fere tempore, cohoneſtauit, acerrimo iudicio electum: quem, niſi paucos poſt annos, inuida Pannonico nomini fata, in ipſo ætatis & iuuentæ vigore, immatura morte, exſtinxiſſent, ad abſoluti, & omnibus numeris conſummati ducis, nomen famamque, peruenturus eſſe putabatur; ſicuti id ipſum, rebus præclare fortiterque geſtis, tam apud Cæſarem, quam labantis patriæ ciues, popularesque ſuos, atque apud omnes mortales, teſtatiſſimum reliquiſſet, ſi longior ei vitæ curſus ſuppeditauiſſet.* Satis profecto ad iudem! quam nihil dubitat repetere, dum mortis, oppido intempeſtiuæ *(e.)* meminit. His dum eſſet virtutibus, pronum erat, *dignitates:* vt dignitates ei, hoc noſtro Comitatu, maxime conſpicuas, Status & Ordines, a Rvdolpho Cæſare, publicis comitiis anno MDXCIX. *(f.)*

c.) Exſtat eius mentio, apud Istvanffyvm Lib. XXI. p. 416. ſeqq.

d.) Libro XXV. extremo p. 562.

e.) Initio Libri XXXII. p. 747.

f.) Vide, anni eiusdem Artic. XLVIII. quem infra totum dabimus.

impetrarent. Itaque, primus fuit NICOLAVS, iam tum *Vöröskői* dominatione auctus, qui gentem clariſſimam, in præfectura Piſonienſi; *Supremorum* item *Comitum* dignitate, maximis ſuis meritis *(g.)* conſtituit. Mors profecto ſummi viri, vti inopina, ita noxia rebus Hungaricis, accidit. Memorabimus eam verbis ISTVANFFII *(h.)*: PALFFYVS, *primo veris initio, a principe* Matthia, *ad conſultandum, de progreſſu belli, & de eius, ad Tranſiluaniam gubernandam profectione, vocatus, (ea enim prouincia, decreto Cæſaris, niſi mors vltimus rerum terminus, præuertiſſet, ei decreta erat) quum Vienna domum rediiſſet, in repentinum grauemque morbum incidit, ac quinto poſt die,* (anno ſcilicet MDCC. decimo Calendas Apriles) *vi eius exſtinctus fuit, quum nondum L. ætatis annos exegiſſet, ac incredibile ſui deſiderium, tam Cæſari, quam patriæ, & omnibus, reliquiſſet. Erat enim magna omnium de eo ſpes concepta, fore eum, in præclarum, & omnibus numeris conſummatum ducem, euaſurum.* Atque euaſerat profecto; vt Summus Pontifex, quoties ad eum litteras dabat; dabat vero, pro victoriarum numero, frequentius; nihil dubitaret, *Nicolaum*, herois vocabulo adpellare. quod principum quoque virorum epiſtolæ, in tabulario repoſitæ, teſtantur. Fuit, dum viueret, ſeminarium clariſſimorum virorum, eius aula. Præterquam enim, quod *Franciſcum Eſzterházium*, patrem inclutæ gentis, Vice-Comitem habuit; præfecto aulæ, *Capitaneum (i.)* noſtri vocant, *Petro Kohárу*, eiusdem gentis parente; *Stephano Illyesházy*, familiæ ſuæ conditore, a ſecretiorum epiſtolarum miniſterio, vſus eſt: vt tirones, e nobilitate alios, ſileamus.

quanti a Pontifice ſit habitus.

§. XIII.

Matrimonium & liberi:

HAbuit NICOLAVS in matrimonio, *Mariam Magdalenam*, filiam *Marci, Comitis Fuggeri*, quam marito, annis XLVI. ſuperuixiſſe, numus emortualis, quem infra *(k.)* exhibebimus, loquitur. Fuit liberorum fœcunda, non minus, quam felix mater. quos iam adtentiori cura iuuat recenſuiſſe, ita nimirum, ſicuti id genituræ ordo ſuadet. Et *Sophia* quidem primogenita, *Maximiliano* Comiti de *Trautmansdorff* nupſit. Hanc CATHARINA II. excepit, quæ in manus *Sigismundi Fórgách*, Comitis de *Gyimes*, poſteaque R. H. Palatini, conceſſit. Excepit Catharinam, tertio genitus *Stephanus Pálffy*, Cæſari a conſiliis, & cum pace, tum bello, de rege, optime meritus. Hic ille eſt, ex quo hodierna *Pálffyorum* familia, traduce perpetuo, propagata eſt: vt mereatur ideo, ſeorſim expendi adcuratius. Poſt *Stephanum*, NICOLAVS III. natus eſt, Præpoſitus Piſonienſis. *Nicolaum III.* naſcendi ſerie, IOHANNES II. *Pálffy*, ſequutus, cum aliis

Stephanus *II. in filiis, primogenitus:*

Nicolaus III. *ſecundo genitus:*

Iohannes II. *tertio natus:*

g.) Loquuntur id, præter ISTVANFFYVM, gentis diplomata, quæ conſulere nobis datum fuit.

h.) Libro XXXII. initio, p. 747, 23.

i.) Hungarice: *Udvari Kapitány.*

k.) In Hiſtoria vrbis Piſonienſis, Cap. VI. Art. I. §. III.

aliis muneribus, tum eo memorandus eſt, quod *S. Coronæ Hung. (l.)* cuſtodem egerit. Conſortem vitæ, *Iuditham* L. B. *Amade*, nactus, genuit FERDINANDVM, Nitrienſem Epiſcopum: nam genus propagauiſſe vlterius, non reperio. PAVLLVS, in filiis quarto genitus, latius protulit familiam: quippe qui, ex *Franciſca*, Comite *Khuen de Belasy*. duos filios, filiam vnam, ſuſceperit. Primo genitus, IOHANNES III. ANTONIVS fuit; cui *Thereſia*, *Franciſci* Comitis Nádasdi filia, atque in votis ſecundis, *Maria Eleonora*, Comes *a Molard*, in matrimonium obtigit. Secundo genitus, CAROLVS I. *Pálffy*, duxit *Sidoniam Agnetem*, Hartmanni Principis de Lichtenſtein, filiam, duorum filiorum matrem: FRANCISCI I. qui in prælio aduerſus Gallos, in Italia occubuit; & NICOLAI V. in quo *Paulli Pálffy* propago, emortua eſt prorſus. At, *Thereſia* vltimo genita, geminatis nuptiis, prioribus quidem *Auguſto Comiti a Sintzendorff*; poſterioribus, *Ferdinando Marchioni de Obizzy*, nupſit, atque anno demum MDCLXXXIV. fato functa eſt.

Paullus *quarto natus:*

eius poſteri.

§. XIV.

AD STEPHANVM, primo genitum *Nicolai II.* quod adtinet, fuit is, magnarum virtutum, & prorſus, ad referendum parentem, factus. Quocirca, non vna, per regnum, dignitate emicuit. Enim vero, ſenatui Cæſaris ſanctiori adſcriptus, fit, patre mortuo, *Piſonienſium Supremus Comes*, iuxta & *S. Coronæ Hungariæ* cuſtos, idemque legionis vnius dux. Suſcepit, ex *Eua Suſanna, Iohannis Chriſtophori, Comitis de Puchaim*, filia, NICOLAVM IV. *primogenitum*, qui ex conſorte *Eleonora*, nata *Caroli Leonhardi Comitis ab Harrach, fœcundo traduce*, genus propagauit, ſuſtulitque tres filios, duas item filias: *Nicolaum VI.* Mariam Suſannam, *Franciſcum II.* Eleonoram, atque *Iohannem IV.* Et *Franciſcus* quidem *Pálffy*, ducta in vxorem Comite Homonnaia, improlis, ſub *Eſzekino*, anno MDCLXXXVII. ictu tormenti, necatus eſt. Contra, NICOLAVS VI. primo genitus, per omnes propemodum dignitatum gradus, militares, iuxta & ciuiles prouectus, tandem anno MDCCXIV. Regni Hungariæ Palatinus creatus eſt; IOHANNES autem IV. rei militaris ſcientia, & virtute inſignis, poſteaquam Hungariam, motibus *Rákóczii* concuſſam, ſub ipſum emortuale, IOSEPHI I. tempus, pace *Szathmarienſi*, conſopiuiſſet, ex *Dalmatiæ Bano*, anno MDCCXXXII. *Iudex Curiæ Regiæ* factus, fratri, eodem anno fatis concedenti, ſucceſſit, & vtraque, quam memorauimus, dignitate, Capitanei, atque Supremi Comitis Piſonienſis, ſuo quodam merito, potitus eſt. NICOLAI VI. ex Catharina L. B. de Weichs, filii, *Leopoldus*, *Iohannes Baptiſta*, & *Franciſcus III.* fuere. Et *Leopoldus* quidem primo genitus, in Hochſtädtenſi prælio, dum principi EVGENIO a miſſionibus eſſet, proculcatus,

Stephanus II. *laudes:*

vxor & liberi:

Nicolaus VI. *Palatinus:*

Iohannes IV. *Iudex Curiæ Regiæ:*

Palatini poſteri:

l.) Vide *Decretum* Anni MDCXXV. Art. XXV.

tus, euaſit quidem e vitæ periculo, ſed tabe inde contracta, anno demum MDCCXVIII. morte ſua exſtinctus eſt. Habuit in matrimonio, Comitem *Mariam Antoniam Souches;* ex qua tres ei ſuperſunt filii, *Nicolaus VIII. Leopoldus II.* & *Rudolphus;* filia vnica *Auguſtina*, Comitis *Franciſci Ferdinandi Kinſzky*, Supremi Bohemiæ Cancellarii vxor. *Iohannes V. Baptiſta*, Palatini ſecundo genitus, vitam, in pugna *Petrouaradienſi*, anno MDCCXVI. profudit. *Franciſcus* autem III. tertio genitus, quod ſe Melitenſi militiæ obſtrinxit, cœlibem agit vitam, eſtque, dum hæc ſcribimus, legionis *Hungaricæ Mantuanæ Colonellus.* Denique, *Carolo II.* vltimo genito, cum vicarias *Colonelli* partes, in prælio primum *Petrouaradienſi*, in *Belgradenſi* poſtea, ſtrenue adminiſtraſſet, glande vtrobique traiectus, ægreque ſeruatus, anno tandem MDCCXVIII, diem obiit. Fuit hæc *Nicolai VI.* Palatini, progenies. *Maria Suſanna*, Nicolai ſoror, Comiti *Chriſtophoro Erdödy*, Cameræ Hungaricæ præfecto, nupſit. ex qua is, *Ladislaum Adamum*, Nitrienſem Eiſcopum, & R. H. Cancellarium; *Georgium*, Cameræ Hung. Præfectum; *Gabrielem*, Epiſcopum Agrienſem; *Emericum*, atque *Ioſephum*, ſuſtulit. At *Franciſcus II.* tertio genitus Nicolai IV. atque Nicolai Palatini, & Mariæ Suſannæ, germanus, ad Eſzekinum interfectus eſt, cum eſſet legionis integræ ductor. *Eleonora* quarto genita, Comiti a Waldſtein, data in matrimonium eſt. *Iohannes* denique IV. *Campi Marſchallus*, & Iudex Curiæ Regiæ, ex Comite *Maria Thereſia Czobor*, *Iohannem VI.* qui anno MDCCXVII. ad *Belgradum* occubuit; *Carolum III.* legionis Cataphractorum Colonellum; atque *Nicolaum VII.*, hic vero, ex Comite Schlickia, Iohannem VII. genuit. Iſtis propaginibus, gens *Pálffy*, deſignatur. Magna eius ſunt de Rege, ac patria, bello & pace, merita; ſed vix *vllum eo ingnius*, quod fidem obſtrictam regi, *nullis vnquam* temporibus, vel ſuſpicione rerum *nouarum*, *familiari* Hungariæ malo, contemeraue-rit. Cuius virtutis, IOHANNES IV. quem nunc laudauimus, viuum exemplar eſt. Ad perpetuitatem inclutæ familiæ, in primis pertinet, quod *Rudolphi*, *Matthiæ*, *Ferdinandi* ſecundi, & tertii, optimorum regum indulgentia, *Senioratum*, quem vocant, & *Maioratum*, conſtitutum habeat. Nempe, quidquid bonorum in ditione gentis cenſetur, trium id generum eſt. *Piſonienſis* arcis, atque Comitatus honores, & quæ his connexa ſunt, hæredia; ad ſeniorem familiæ adtinent, mutantque heros, quoties maximus natu, in viuis eſſe deſinit. Præcipua vero dominationis portio, ad *Maioratum* refertur, debetque non ſecus procurari, tamquam *Fidei*, quod vocant, *Commiſſum* eſſet. Reliquum bonorum, admittit partitionem; ſed hanc quoque, legibus circumſcriptam æquiſſimis. Proinde, non eſt, genti celeberrimæ facile metuendum, vti, vel adtenuetur opibus, vel, increſcente hæredum numero, poſſeſſionibus, inter plures diſpertitis, exinaniatur. Quam prouidentiam, ſi familiæ plures vellent per Hungariam æmulari, næ illæ mihi, præclare de poſteritate ſua mererentur.

Iudicis curiæ Regiæ:

Pálffyorum laus:

bona, quemadmodum habeant diſpertita:

A.

TABVLA GENEALOGICA COMITVM PÁLFFY AB ERDÖD, COMPENDIO EXHIBITA.

Ad pag. 65. §. XIV.

TABVLA GENEALOGICA
COMITVM PÁLFFY, AB ERDÖD.

PAVLLVS I. de KONTH, vxor ELISABETHA ILLYÉS.

Pavllvs II. de Konth, dict. Pálffy; hoc est: *Paulli Filius.*

Nicolavs I. Pál[ffy] de Dercsika & Ráró.

Lavrentivs Pálffy, de Cseleſztő, Nobilium Comitan[us] Po[sonien]ſis, in pugna Mohácsiana, Anno 1526. Capitaneus.

Pavllvs III. Pálffy, de Dercsika, & Ró[thkreutz] vxor, Ivditha Erdődy, de Csorna.

Petrvs Pálffy, de Csábrág, & Ráró; vxor Su[ſanna] Iohannis Dersffy, & perpetuæ de Battyán, filia.

Thomas I. Pálffy, Lib. Baro, Capitaneus Palotenſis.

Georgius Pálffy, Lib. Baro.

Iohannes I. Pálffy, Capitaneus Tatenſis.

Stephanus I. [Pálffy], Capitaneus [Ne]romien[ſis].

Nicolavs II. Pálffy, Primus Capitaneus & Supremus Comes Comit. Poſon. vxor *Maria Magdalena Fugger.*

Catharina I. vxor 1.) Iohannis Kruſith. 2.) Stephani Illyésházy, Reg. Hung. Palatini, vtrobique improlis.

Magdalena, vxor 1.) Petri Balaſſa. 2.) Rudolphi Khuen de Belasy.

Thomas II. Pálffy.

Sophia, vxor Comitis *Maximiliani Trautmansdorff*, ſupremi Aulæ Præfecti *Rudolphi* Cæſaris.

Catharina II. vxor *Sigismundi Comitis Forgách*, Reg. Hung. Palatini.

Stephanvs II. Pálffy, pr[imus] C. Comit. Poſon. Ca[pitaneus] Ujvarienſis, & Coron[ae] ſtos; vxor *Eua Suſan[na] Chriſtophori de Buchaim*[i].

Nicolaus III. Pálffy, Præpoſitus Poſon.

Iohannes II. Pálffy, Cuſtos Coronæ, vxor *Iuditha, Lib. B. Amade.*

Ferdinandus, Epiſcopus Nitrienſis.

Pavllvs IV. Pálffy, Cameræ Hung. Praefectvs, poſtea R. Hung. Palatinvs; vx. *Franciſca, C. Iohannis Euſebii Khuen de Belaſy*, filia.

Sabina vxor Stanislai Riczicky.

Thomas III. Pálffy, Epiſcopus Váczienſis, poſtea Agrienſis, inde A. 1671. Nitrienſis *R. Hung. Cancell.*

Nicolavs IV. Pálf[fy] vxor *Eleonora, Com[itis] Caroli ab Harrach, Franciſcæ, Principis Eggenberg*, filia.

Iohannes III. Antonius Pálffy, vxores 1.) *Anna Thereſia*, Franciſci C. Nádasdy filia. 2.) *Maria Eleonora*, C. a Molart.

Carolvs I. Pálffy, vxor *Agnes Sidonia*, Principis Hartmanni de *Lichtenſtein* filia.

Thereſia, vxor 1.) Comitis Auguſti *Sintzendorff.* 2.) Marchionis Ferdinandi de *Obizzy.*

Nicolavs VI. Pálffy, Campi Marſchallus, Eleonoræ Imperatricis Aulæ *Præfectus*; Coronæ R. H. Cuſtos; Iudex Curiæ Regiæ; denique Regni Hvng. Palatinvs, Locvmtenens; vxor *Catharina*, L. B. de Weichs.

Maria Svsanna, *C. Chriſtophori Erdődy, Cameræ Hung. Præſidis* vxor.

Franciſcus II. Generalis Cæſareus, occumbit ad Eſzekinum; vx. *C. N. Homonnay.*

Er[nestus] C[omes] a[d] *f*[ratrem] v[ersus].

Iohannes IV. Pálffy, *Campi* Marſchallus; Croatiæ & Dalmatiæ Banus; iam *Iudex Curiæ Regiæ*; vxor, *Maria Thereſia C. Czobor.*

Franciſcus I. Pálffy, occumbit aduerſus Gallos in Italia.

Nicolaus V. Pálffy, vxor C. N. Homonnay, vltimus poſterorum *Paulli Palatini.*

Leopoldvs I. Pálffy, vxor, *Maria Antonia Souches*; in prælio ad Höchſtedt conculcatus, contracta inde tabe, obüt A. 1718.

Iohannes V. Baptiſta, occumbit in prælio *Petrovaradienſi*, A. 1716.

Franciſcus III. Eques Melitenſis, & Legionis *Hungaricæ Mantuanæ*, Colonellus; iam, *Generalis Vigiliarum* præfectus. Vulneratur in prælio *Parmenſi*, A. 1734. d. 29. Iun.

Carolus II. Vice-Colonellus, ad Petrovaradinum 1716. & ad Belgradum 1717. glande vulneratus, moritur 1718.

Maria [Ma]*na*, C[omes] Pſ[chor]ſchoy.

Iohannes VI. Vice-Colonellus, occumbit ad Belgradum, Anno 1717. Conſ. Comes *Eleonora Eſzterházy.*

Sidonia Conſ. C. *Franciſci Eſzterházy.*

Pavllvs Carolvs III. ob rem, in *Parmenſi* prælio, fortiter geſtam, legione cataphractorum donatus, fit *Generalis Vigiliar. Præfectus*; vxores. 1.) *Maria Margaretha Stubenberg.* 2.) *C. Ioſepha a Berge*, vidua C. a *Proskau.*

Nicolavs VII. Colonellus; vx. C. *Ioſepha a Schlick*, occumbit in Parmenſi pugna, A. 1734. d. 29. Iunii.

Thereſia vx. C. *Leopoldi Draskouich.*

Nicolavs VIII. vxor Com. *Altheimia.*

Auguſtina, vx. C. *Franciſci Ferdinandi Kinſzky*, Boh. Cancell.

Leopoldus II. Colonellus legionis Hungaricæ, quam ei patruus, *Franciſcus III.* ſuo ſumtu delegit, A. 1734.

Rudolphus.

Maria Thereſia.

Maria Thereſia. | *Maria Antonia.*

Maria Thereſia Anna.

Iohannes Leopoldvs Iosephvs.

Maria Leopoldina Anna Monica.

B.

TABVLA GENEALOGICA COMITVM ERDŐDY DE MONYORÓKERÉK COMPENDIO EXHIBITA.

Ad pag. 66. §. XVII.

TABVLA GENEALOGICA
COMITVM ERDÖDY.

- THOMAS, CARDINALIS, *Archiepiſcopus Strigonienſis, &* PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS.
- NICOLAVS I. BAK… *ab Erdőd.*
  - *Valentinus II.* ab Erdőd.
  - PETRVS I. AB ERDŐD, ſecedit *Venetias*, ibique moritur.
  - *Paullus*, ab Erdőd.
    - PETRVS II. AB ERDŐD, VXOR, *Barbara Alapy*; Banus Croatiæ, *Ignitus* dictus.
      - THOMAS II. AB Erdőd, VXOR, *Maria Ungnad*; Banus Croatiæ.
        - *Anna*, Conſors *Georgii Thurzo.*
        - Stephanus II.
        - CHRISTOPHORVS I. VX. *Barbara Thurzo.*
          - GEORGIVS II. Conſors *Elisabetha Boschâni.*
            - *Alexander I.* Conſors *Chriſtina Csáky.*
              - ALEXANDER II. Cameræ Hung. Præſes. Cons. *Iohanna Beatrix*, Comes *a Trautmansdorff.*
              - LADISLAVS II. Petrinæ præfectus, VX. *Anna Maria Illyésházy.*
                - *Nicolaus V.*
                - *Iohannes VI.*
                - *Alexander III.*
                - *Sigismundus II.*
              - *Ludouicus.*
          - *Emericus I.* Conſ. *Eua Forgách.*
            - Adamus I.
          - GABRIEL I. VX. *Iuditha Amade.*
            - GEORGIVS IV. Iudex Curiæ Regiæ, *vx. Elisabetha Rákóczy.*
              - LADISLAVS ADAMVS II. Epiſcopus Nitrienſis, & Regni Hung. Cancellarius, S. C. M. Conſiliar. intimus.
              - GEORGIVS V. Cam… Præſes, S. C. … intimus, VX. *Th…* LI, Principis Eſt…
                - *Antonius II.*
                - *Iohannes I.*
            - CHRISTOPHORVS II. *vx.* Maria *Suſanna Pálffy*, Cameræ Hung. Præſes.
        - *Iohannes IV.* Epiſcopus.
        - *Sigismundus I.*
          - Thomas IV.
      - *Stephanus I. Erdődy*, de Csábrágh.
      - *Wolffgangus I. Erdődy*, de Csábrágh.
    - IOHANNES I. BAKATS *ab Erdőd.*
      - *…VI.* ab
      - *Tobias I.* Bakats ab Erdőd.
        - … III. …őd.
        - Tobias II. ab Erdőd.
    - VALENTINVS I. *ab Erdőd.*
- PETRVS III. AB ERDŐD, VXOR, *Suſanna Stumberg.*
  - *Petrus IV.* Capitaneus …
  - …FFGANGVS II. VX. *…bara Thúróczy.*
    - *Wolffgang II.* a Turciſ…
    - *Georgius III.* VXOR *Elisabetha Keglevitsch.*
      - *…rus V.* …ef.
      - *Franciſcus II.* def.
  - *Thomas III.* moritur cælebs.
  - *Nicolaus II.* def.
  - *Valentinus III.* def.
  - *Franciſcus I.* def.
  - SIMON, Epiſcopus Zágrábienſis.
  - NICOLAVS III. Banus Croatiæ
    Conſortes
    1. *Iuliana Draskovith.* 2. *Iſabella a Gallenberg.*
    - *Nicolaus IV.*
    - *Petrus VI.* Petrinæ Capitaneus.
  - GABRIEL ANTONIVS II. Epiſcopus Agrienſis, S. C. M. Conſiliar. intimus.
  - *Emericus II.*
  - *Ioſephus.*

tur. Sunt autem in *Pálffyorum* poteſtate, noſtra hac prouincia: *Dominia, Arcis Poſonienſis; Dévén; Boroſtyánkő; Malaczka; Detrekő; Vöröſkő* & *Szent-György*, atque *Bozin*. Sed, iuuat, commentationem, quam dedimus, genealogicam, *(m.)* in tabulam referre. quæ iſtiusmodi fuerit. A.

quibus potiantur dominationibus.

§. XV.

GEnti *Pálffyorum*, iure optimo, Eszterhazyos Comites, adiunxerimus: quod, non modo ex prouincia noſtra ortus ducunt; ſed late etiam in ea dominantur. Certe non *Eſzterháza* modo, vnde tota fluxit familia; ſed *Galantha* etiam, in titulis relata, in Comitatu noſtro exiſtunt. Dubito, an ſit gens, tota Hungaria, & propaginibus numeroſior, & rebus præclare geſtis, illuſtrior. Vt proinde laborem ſibi conflaturus eſſet, propemodum inexſuperabilem, qui commentarios genealogicos, auſpiciis *Paulli Principis Eſzterházy*, Regni Hungariæ Palatini, concinnatos, ſupplere *(n.)* vellet. Ceteroquin, gentem eſſe vetuſtiſſimam, & inde ab Attilae temporibus, continente generationum ſerie, ad noſtram vsque ætatem propagatam, diploma Leopoldi M. *Paullo* impertitum, loquitur: *(o.)* quorſum lectores dimittimus. Florent hodie in Comitatu noſtro, inter reliquos:

Comites Eſzterházii:

Galanthæ *natales debent:*

generis vetuſtas, Cæſaris diplomate adfirmata:

Emericvs, e Comitibus Eſzterházy de Galantha, Archiepiſcopus Strigonienſis, S. R. Imperii Princeps, Legatus natus, Supremus Cancellarius. *reliqua.*

quibus hodie luminibus, hæc prouincia, illuſtretur.

Iosephvs *Eſzterházy* de Galantha S. Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Slauoniæ Banus, & Comitatus *Comaromienſis* Supremus Comes.

Franciscvs *Eſzterházy*, *Ioſephi* frater vterinus, S. Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius Locumtenentialis, & *Comitatus Borſodienſis* Supremus Comes. Vt iam illuſtria nomina alia, ſileamus.

In Eſzterháziorum ditione cenſentur præter *Galantham*, dominatio *Cseklészienſis*, *Szemptenczienſis*, *Szeredienſis*, eximii vtique reditus, quodque heros habeant, ad rem adtentos, & ſtudioſos prouentuum familiarium, vltra, quam reris, diuitis. Ceterum, de familia *Eſzterháziana*, alibi *(p.)* profeſſa opera.

§. XVI.

IAm, & *Comitum* Erdődy, pro eo, ac meretur inclutum genus, habenda mentio eſſet quam diligentiſſima, ſi, quod animo concepimus, bene merendi, de tantis nominibus, ſtudium, teſtari poſſemus. Ergo,

Comites Erdödy.

m.) Quæ de *Genealogiis* familiarum, in compendio adferimus, huc vnice pertinent, ne ignaros lectores dimittamus, qua gente, quamque antiqua, & celebri, hic, illeue heros, cuius nobis erit mentio, editus ſit.

n.) Id vero, vt fiat, vna nobiſcum, optat orbis eruditus.

o.) Legas id *Annalium Ferdinandeorum* Khevenhilleri, Tom. IX. appendice, p. 297.

p.) Præcipue in *Comitatu Sempronienſi*, vbi *Principum Eſzterháziorum* ſedes eſt.

satis habebimus, non præteriisse silentio, in quibus commemorandis, & monumenta nos deficiunt, & orationis copia. Prodiit gens *Erdődiorum* ex Comitatus Szatmariensis oppido, *Erdőd*. Patrem, familiæ, *Nicolaum*; auctorem, *(q.) Thomam (r.) Bakalts* fuisse, in diplomate Matthiae Coruini legimus. quo ille, meritis, atque insigni *Thomæ Cardinalis*, virtute adductus, tres vterinos fratres, nobilibus Hungaris accensuit. *Nicolaus*, quem diximus, *Valentinum*, *Petrum I.* & *Paullum* genuit: *Iohannes* vero, Thomæ & Nicolai, frater tertio genitus, *Iohannem II.* & *Tobiam*; quorum genus, haud est propagatum. At Petrvs I. Nicolai secundo genitus, Petrvm II. iste, ex *Barbara Alapy*, Thomam, & Petrvm III. suscepit. Filiorum vtrique, sui erant posteri. Et Thomae quidem, ex *Maria Ungnad*, *Stephanus*, *Christophorus I. Iohannes*, & *Sigismundus*, nati sunt. *Stephanus*, *Georgium*, iste, *Alexandrum I.* hic *Alexandrum II. Ladislai*, & *Ludouici* parentem, genuit. *Christophorus* vero secundo genitus, ex *Barbara Thúróczy*, *Gabrielem I.* iste, *Iuditha Amade*, *Georgium II.* & *Christophorum II.* suscepit, quorum *Georgius*, Iudex Curiæ Regiæ, sine successore, humanis rebus exemptus est; Christophorvs vero, ex Maria Susanna Pálffy Ladislavm Adamvm, Regni Hung. Cancellarium & Nitriensem Episcopum; Gregorivm IV. Cameræ Hungaricæ Præsidem; Gabrielem II. Episcopum Agriensem, *Emericum*, item, & *Iosephum*, sustulit. In his *Georgius IV.* ex *Theresia Eszterházy*, principis Paulli filia, in *Antonium*, *Iohannem V.* atque *Christophorum III.* genus propagauit. Isti Thomæ sunt posteri. *Petrus III.* ex Susanna Stubenberg, *Petrum IV*; *Wolffgangum*; *Thomam II*; *Nicolaum II*; *Valentinum II*; *Franciscum I*; atque *Simonem*, Episcopum Zagrabiensem, progenuit. E Septenario *hoc filiorum* numero, *Wolffgangus* erat, qui ducta *Barbara Thúróczy*, *Nicolaum III.* & *Georgium III.* procreauit. Ac *Nicolao* quidem, ex *Rosina Gellenberg*, *Barbara*, Comiti ab Auersberg nupta; *Georgio* autem III. ex *Elisabetha Kegleuitsch*, *Petrus V. Franciscus II.* & *Anna*, nati sunt. Hæ sunt, compendio datæ, gentis inclutæ, propagines. Possemus in laudes, cum omnium, tum singulorum, ex facili diffundi, nisi laborem eum, diligentia, an adparatu maiore, docta cuiusdam viri manus, iam confeciisset, breui, quod confidimus, luce publica donandum. Quæ nos dedimus, certa sunt, atque monumentis, omni exceptione maioribus, suo loco, adprobata. Dominantur hac prouincia *Erdődii*, arci *Szomolány*, & quæ huius ditioni parent, oppidis, vicisque frequentibus. vti, infra dicemus. Nunc fas est, vno obtutu, gentem vniuersam, exhibeamus. qui ad hunc modum concinnatus a nobis est. B.

eorum origines, & auctus:

propagines:

laudes gentis:

ditio:

genealogica tabella.

φωσῆρες hodierni:

Petri III. *posteri:*

§. XVII.

q.) Ita eum adpellamus consulto, quod & dignitate, & opibus, non fratres modo suos; sed & Valentinum patruelem, ornarit, auxeritque genus, prope locupletissimis accessionibus.

r.) Ita scribit diploma, non *Bakats*. vt mirari subeat, quemadmodum potuerit, cognomen illud inualescere.

§. XVII.

Svnt, & *Comites* Illyeshazii, prouincia nostra editi. Vicus *Illyésháza* est, qui iis, & natales impertiuit, & cognomen. Gens, veterrimæ nobilitatis, & multarum oppido laudum, quas vnus omnium *Stephanus Illyésházy*, Regni Hungariæ Palatinus, maxime retulit. Paruis ille primum initiis, mox iis, & opum, & honorum, accessionibus, emicuit, quæ eum, summis, ea ætate, viris, exæquarent. Adolescentia vsus est dura; sed comparata tamen, ad virtutis exercitia. In litteras certe solerter incubuit; patria autem iura examussim perdidicit. Forum, aliquamdiu sequutus, vti ciuilem sibi prudentiam compararet; tandem, *Nicolao II. Pálffyo*, operam suam addixit, fuitque ei a secretis epistolis. Id occasionem *Stephano* præbuit, vti militiæ animum adiiceret: quippe, cuius tirocinia, in perpetuo *Nicolai* comitatu, iam ante posuerat. Simul vero aduertit, fauere cœptis bellonam, *Iaurienſi* in præsidio, voluntariam militiam, cum aliqua, quos collegerat, volonum manu, colere cœpit. Atque, adprobauit se omnino ducibus, quoties, vel impressiones fiebant, in hosticum, vel iustus exercitus ducebatur. His ergo rebus, breui, fortissimis quibusque viris, innotuit; *Iohanni Krusith de Ipoglaua*, potissimum. qui tunc *Canisienſi* collimitio, moderabatur, & frequenti, cum Turcis, congressione, multum existimationis sibi pepererat. In huius contubernium admissus *Stephanus*, eum se præbuit, vt qui subinde vices obierit *Krusithii*, magna, & heri sui, & ductorum reliquorum, adprobatione. *Krusithio* demum fatis functo, viduam eius *Catharinam* Palffy, germanam *Nicolai*, in matrimonium duxit, commendatam sibi, a moribundo. Itaque, quidquid opum, castrensi labore, congesserat *Krusithius*, omne id, cum *Catharina*, in manus *Illyésházii*, concessit: quando improlem post se viduam relinquerat. Fuit *Catharina*, excelsi animi femina, & *(s.)* virili prorsus ingenio. Igitur, dedit operam, vt nouum maritum, nouis honoribus curaret exornandum. quod, vt posset, militiæ nuntius erat mittendus, & incerta belli, cum ciuili pacatoque vitæ genere, permutanda. Atque, successit omnino destinatio. *Stephanus* enim, de cuius prudentia, & in administrandis rebus, adcuratione, constabat apud omnes, *Cameræ* primum *Hungaricæ Consiliarius*; dein *Liber Baro*; postea, abdicato munere illo, *Magister Curiæ Regiæ*, denique *Comes*, Cæsaris indulgentia, factus est. Vterque, interim coniugum summa ope enitebantur, vt, quam latissime possent, ditionem propagarent. Proinde, præter *Liptouienſem* dominationem, quam *Krusithius* ante suam fecerat, *Trentschinium* quoque hæreditario, *Sz. György* & *Bozin*, hypothecario iure, sibi adseruerunt. Creuit postea, clientedimittere. cuius generis, plurima exstant exempla, in gentis *Illyésháziæ*, tabulario.

Illyésházii *Comites, vnde orti:*

Stephanus *gentis auctor:*

eius adolescentia:

militiæ studia:

nuptiæ:

opes inde conquisitæ:

honores:

hæredia:

s.) Solebat litteras, quas siue ad *Cæsarem*, siue ad summos quosque viros, dabat, ipsa, sua manu, in chartam coniicere, posteaque, latine versas,

clientelis non minus, quam Cæsaris mirifica erga se indulgentia, *Illyés-házius*, iamque in iis optimatibus palam habebatur, quorum auctoritate, res *Hungaricæ*, contineri putabantur; dum lis ei, cum oppidis *lites:* *Szent-György*, & *Bozin*, subnata est, vti longioris omnino subsellii; ita, acerbitatis exquisitissimæ. Male, nimirum, *Stephanum* habuit, quod oppidani, ære, quo sibi obnoxiam fecerat ditionem vtramque, *Cameræ* repræsentato, easdem, non modo e manibus sibi eliserint; sed, in libertatem etiam, Rvdolpho indulgente, semet vindicauerint. Conceptam hinc animo indignationem, cum male dissimularet *Illyés-házius*; quinimmo, probra in Cæsarem iecisse perhiberetur, in ius vocatus, caussa cecidit: siue id criminis magnitudo, siue iudicum seueritas, effecit. Ergo, non exspectata sententia, monitus a non- *fuga in Po-* nemine anno, MDCIII. in *Poloniam (t.)* cum omni supellectili, euasit. *loniam:* Vix biennium, in eo perfugio exegerat, cum a *Botskaio*, res tunc *reditus:* nouas moliente, arcessitus, *(u.)* in patriam rediit, munere pacificatoris, egregio successu, inter *Cæsarem*, & *Transiluanum*, perfuncturus. Prolixe rem memorat Istvanffyvs, sed, adfectu *(v.)* in *Illyésházium*, *fit pacis ar-* non satis æquo. Animo forte præceperat, vir summus, fore, vt, *biter:* quem nuper, lentis profeciſse incrementis, viderat, eum, se aliquando multis modis superiorem, admiretur. Quod ita sane euenit. *(x.)* Nam, confecta *Viennensi* pacificatione, cum se *Illyésházyus* fratrum, Rvdolphi, & Matthiae, simultatibus, siue alendis, siue sopiendis, interseruisset, id, sua industria effecit, vt Matthias quidem, voti compos fieret, inaugurareturque Corona Hungarica; ipse, magno *atque Pala-* ordinum consensu, *Palatinus (y.)* crearetur. Honorum hanc arcem *tinus:* consequutus, in specula se constitutum rebatur, vnde prouideret patriæ. Ac cœperat omnino, præclare de republica mereri, *dum laboribus, se-* nio, atque morbo confectus, *ipso anno climacterico, (z.)* vitam *moritur.* cum morte commutaret.

§. XVIII.

Quos ado- Improle matrimonio vsus Stephanvs, mature prouidendum puta- *ptarit suc-* uit, ne, quas, multo sudore, opes coaceruauerat, dissiparet *cessores:* imprudens. Ergo, delecto ex consanguineis hærede, atque regis impetrata adsensione, ex *Francisco* fratre, nepotes, *Casparum* alterum, alterum *Franciscum*, in filios adoptat, quidquid iurium ha- Casparus: bet, iis publicis tabulis adfirmat. Et Casparvs *(a.)* quidem prorsus, ex voluntate patris adoptiui, se gessit; sed *Franciscus*, religionem

t.) Istvanffyvs Lib. xxxiii. p. 798.

u.) Idem, Libro xxxiv. p. 825. ii.

v.) Ibidem p. 841, 50.

x.) Fuit Istvanffyvs *Propalatinus*. qui postea magistratus euanuit, cum Stephanvs in *Palatinum* sublegebatur.

y.) Inibi Epitome, Libri xxxvii. p. 851.

z.) Vide eiusdem Istvanffyi Epitomen, Libri xxxviii.

a.) Adfirmauit ei hæreditatem atque Comitatus honores, Matthias, anno mdcx.

nem *S. Francisci* sequutus, atque iterum, eadem relicta, matrimonio implicitus, opima hæreditate, quantum ad se adtinebat, prorsus excidit; liberis, si quos susciperet aliquando, ad ius successionis, admissis. Genuit vero Casparvs, ex *Helena Thurzo*, *Georgium* & *Gabrielem*; quorum vterque, nullo post se hærede relicto, rebus humanis, exemti sunt. Ac Georgivs quidem, *Mariam Forgách* primo, Georgius: in matrimonio habuit. Fuit inquieti vir animi, oris adhæc liberi, & minacis, iniquiore ideo fortuna iactatus aliquamdiu, dum, elaborantibus amicis, in portum eluctaretur iterum. His interim rebus, factum est, vt opimam hæreditatem diminueret, saltem, opponeret pignori, magna dein impensa a successore, recuperandam. Hoc in actibus eius laudaueris, quod, cum improlis esset, hæredem, ex posteris *Francisci*, qui in *Csallóköz* insula, superabant adhuc, sublegerit. Testamento, successionis leges, *Stephanus* perscripserat, dixeratque, *Casparum*, hominem placidum, & trium postea Comitatuum Supremum Comitem *(b.)* cum posteris, ex asse hæredem. qui, si emorerentur penitus, *Francisci* liberos, iussit succedere. Erat tunc, insigni fatorum prouidentia, Nicolavs, *Francisci*, quem diximus, Nicolaus: pronepos, eximiarum virtutum adolescens. Ergo, hunc ad se arcessit, atque filii loco habitum inter ephebos alit. quasi quem, nullo alio iure, quam sua ipsius propensione, adoptiuum vellet dicere. Tulit, eam patruelis, siue bonitatem, siue duritiem, æquo animo, *Nicolaus*, vti erat natura, ad modestiam factus; nihilque sibi arrogauit, quod non commune esset ephebis reliquis. Hac ado- *adoptatus* lescentis continentia, & obsequio euictus *Georgius*, tandem matu- *a* Georgio, randum consilium existimat, hæredem Caesari, repræsentat, in *qualem se* filium adoptat, *Comitemque* regis indulgentia, ex L. *Barone*, effi- *præbuerit?* cit. Putasses, *lautius iam habitum iri Nicolaum;* sed adeo id austeritas *Georgii* non permisit, vt aduersum sit, *immitius* quandoque, quam filium decuisset, acceptum; neque tamen quidquam, seu impatientiæ, seu indignationis prodidisse, nouum hæredem. Sub idem fere tempus, seditio *Tököliana*, incidit. cui, cum se innexuisset *Georgius*, iamque, cum factionis eius duce, volitaret; *Nicolaus*, Trentschinii, quod Cæsariani insederant, mansit consulto; fidei, nupero beneficio, Leopoldo obstrictæ, egregie memor. Hic, dum absente *Georgio*, hæret, tabularii loculos, quasi per otium, excutit, lustrat, atque reperit, non se tam peculiari quadam *Georgii* propensione, quam pietate *Stephani*, præclare de posteris meriti, hæreditatem adiisse. Ergo, *Viennam* excurrit; rem, vti erat, Cæsari exponit, obtinetque facile, vt, vniuersam ei ditionem *Illyéshá-* *fit Supre-* *ziorum*, & cum hac, Supremi Comitis *Trentschinienſis*, atque *Li-* *mus Comes* *ptouienſis*, axioma, Imperator adtribueret. Redux, ad obsequium, *Trentschi-* *Georgius*, acerbius rem ferre, mox interpretari iniuriam, deinde pre- *nienſis, &* *Liptouien-* *ſis:*

cibus

b.) *Trentschinienſis*, *Liptouienſis* & *Aruenſis*. Duos illos, a patre obtinuit; in tertii possessionem, jure nuptiarum, & peculiari regis indulgentia, peruenit.

cibus Cæsarem fatigare; vti honores Comitatuum sibi restitueret. Adhæsit aliquamdiu, *Georgii* hæc petitio, dum examinaretur penitius. Tunc vero, ita CAESAR statuit; Titulos Comitatuum, *Georgius* haberet; benignitatis Regiæ, suique officii memor, vitam placidus ageret; administratio, penes *Nicolaum* esset. Quid ageret *Georgius*, temeratæ nuper fidei, probe conscius? cum *Nicolao* in gratiam redit, eique hæredia, late diffusa, sed ære obruta alieno, prorsus adscribit. Hæc fuere *Nicolai* initia, læta primo, postea dura progressu, donec, præter opinionem, magnis incrementis, ad
eius virtus: inuidiam vsque, inualuerunt. Præterquam enim, quod prouinciam, quam in gemino *Comitatu* nactus fuerat, summa omnium adprobatione, administrabat; id, insigni sua, prudentia, magnis comitata virtutibus, meruit, vt, sicuti a LEOPOLDO, honoribus, atque hærediis, ita a IOSEPHO, inusitato hactenus dignitatis genere, cohonestaretur. Erat in more positum apud Reges Hungariæ, vt *Cancellarios* sibi, e *V. Clero* hucusque deligerent; primus, post *Petrum Perénium*, (*) e ciuili ordine, *Nicolaus* fuit, cui id muneris a Cæsare demandaretur: idque, tempore omnium difficillimo, ardente nimirum, ciuilis belli flammis, Hungaria. Vt fastigium hoc adiit,
honores: eum se præbuit, quem, & CAESAR sperarat, neque poterant meliorem optare, Ordines. Ac perdurauit omnino, eodem, quo erat, apud IOSEPHVM, gratiæ tenore, tunc quoque, cum CAROLVS, ex Hispaniis redux, diadema Hungaricum capesseret: functusque est suis partibus, summa in regem fide, amore in patriam nudo, & studio, bene merendi de omnibus, prorsus indefesso; dum, anno
mors: MDCCXXIII. ætatis septuagesimo, exeuntibus eius anni comitiis, (quorum decretis, ægra iam manu, ita volente *Cæsare*, *subscripsit*,) *Viennæ*, laboribus & *senio fractus*, *fatis* concederet: filio, IOSEPHO *(c.)*, patriarum virtutum æmulo, post se relicto. Iuuat nunc, gentis, sesqui retro seculum inclutæ, tabellam exhibuisse, vt quos sparsim nominauimus, vni eos obtutui sistamus. Sequitur proinde:

C.

TABELLA GENEALOGICA, COMITVM ILLYÉSHÁZY.

THO-

*) De eo, vide ISTVANFFYVM, Libro XIII. p. 224-, 2. vbi hæc legas: *Cancellarii munus, quod legibus, vel magis, veteri consuetudine, non nisi sacratis viris, concredi solitum erat.*

c.) Erit, de Comite IOSEPHO, dicendi locus, in Comitatu *Trentchinienſi.*

THOMAS.

Vxores: { 1. Anna Pogány, 2. Sophia Földes.

FRANCISCVS I. auitorum bonorum, quibus se abdicauit *Stephanus*, hæres.

SOPHIA, VXOR *Francisci Eszterházy*, omnium, qui hodie viuunt, *Eszterháziorum*, mater.

STEPHANVS, Regni Hung. Palatinus. Vx. *Catharina Pálffy*, vidua *Iohannis Krusith.* †. 1609.

FRANCISCVS II.
Fit *Franciscanus*, atque demum, relicto ordine, *maritus:* ideoque, quantum ad se adtinuit, a *Stephano* exhæredatus.

CASPARVS.
A *Stephano*, cum maiore natu fratre adoptatus, fit hæres & Comitatuum *Trentschin* atque *Liptó*, Supremus Comes. Anno 1610. Vx. *Helena Thurzo.*

FRANCISCVS III. Lib. B. VXOR *Elisabetha Sárkány*, hæres auitarum possessionum.

GEORGIVS, paternorum, partem maximam, hæres, Supremus perpetuus Comes de *Trentschin*, & *Liptó.*

GABRIEL fratris maioris natu cohæres, idemque Perpetuus, vtriusque Comitatus Supremus Comes.

NICOLAVS, L.B. a *Georgio* adoptatus. Fit Supremus ac perpetuus Comitatuum *Trentschin*, & *Liptó* Comes, anno *1678. die 27.* Mai, posteaque ex asse hæres, *denique* R. H. *Cancellarius.* Vxor, Elisabetha Balassa. †. anno 1723.

Anna Maria VXOR Com. *Ladislai Erdödy.*

IOSEPHVS, succedit patri, 1723. fit Dapiferorum Magister.
Vxores 1.} *Francisca Csáky.*
2.} *Comes Traunia.*

§. XIX.

NUnc, *Comitum Kollonitschiorum* iuuat meminisse. Diu est, cum *Lévára*, regibus adsentientibus, in ditionem suam redacto, prouinciam nostram cœperunt incolere. Exterum genus, sua virtute Hungarum fecit, GEORGIVS SEYFRIDVS KOLLONITSCH, Liber Baro, vir militaris & rebus, præclare in Hungaria gestis, celebris. Exstat in eam rem, sanctio, publicis anni MDXCVIII. comitiis

Comites Kollonitschii:

eorum virtus militaris:

mitiis, *(d.)* perſcripta. Pater ei SEYFRIDVS eques, mater *Iohanna ab Orſchan*, fuere. Ab ineunte iuuentute caſtra ſecutus, eam ſibi virtutis bellicæ laudem comparauit, vt haud dubitarit RVDOLPHVS Cæſar, non modo, legionis cataphractorum tribunum creare; ſed ſummam etiam belli, ſemel atque iterum ei committere. *Georgius* hic *Seyfridus* ex *Helena Fuchs, a Fuchſenberg*, præter decem filios, ERNESTVM natu minimum, genuit. quem ille, ob eximiam indolem, & bellicæ artis ſtudia, cariſſimum ſemper habuit. Ergo, in gregariis primo militibus, tirocinia ponere iuſſum, dein vero, edito ſæpius fortitudinis ſpecimine, per ſingula vitæ militaris munia, prouectum, eo vsque promouit, vt cohortibus ductandis, omnium iudicio, idoneus haberetur. Qua quidem gloria haud contentus *Erneſtus*, bis cum ferociſſimis Turcarum, ſingulari pugna, adſpectante vtrinque exercitu, congreſſus, obtruncato hoſte, victor, ex arena, rediit. Geminum ei matrimonium, *(e.)* fœcundum vtrumque, obtigit. Alterum, cum *Sabina, L. B. a Sonnendorff*; ex qua *Rudolphus Erneſtus*; *Suſanna Eleonora, Maximilianus Erneſtus*, & *Sabina*, nati ſunt: alterum, cum *Anna Eliſabetha, L. B. a Kuffſtein*, ex qua *Erneſtum Fridericum*; *Leopoldum*, & *Iohannem Adamum*, filias item *Claram*, & *Eliſabetham*, ſuſcepit. Et *Rudolphus* quidem *Erneſtus*, primogenitus, vnius dimacharum manipuli ductor, in *Lotharingia*, fortiſſime dimicans, occubuit. *Suſanna* vero *Eleonora*, Franciſco Chriſtophoro Kheuenhillero Comiti nupſit, eique filiam *Mariam Franciſcam (f.)* peperit. *Maximilianus* denique *Erneſtus*, LEOPOLDO Archiduci a miniſteriis, eiusdemque corporis cuſtodum centurio fuit: *Sabina*, nuptiarum ignara, e viuis excedente. Atque, hi quidem prioris matrimonii liberi fuere. Alterius, quod ei, cum *Anna Eliſabetha Kuffſteinia* fuit, *Erneſtus Fridericus, in primis gratioſus* LEOPOLDO Cæſari fuiſſe perhibetur. *Leopoldus* autem, *Comaromii*, cuius tunc præfectura parens *Erneſtus* potiebatur, anno MDCXXXI. die XXIV. aliis XXVI. Octobris, natus, in quem virum euaſerit, infra *(g.)* profeſſa opera, docebimus. Noſtra ætate, *Kollonitſchiorum* gentem, in primis nobilitarunt, *Adamus*, Sacræ Regni Hungariæ Coronæ duumuir, ante hoc luſtrum, *Piſonii*, vita functus, & *Sigismundus* ex Epiſcopo Vaczienſi, Epiſcopus Viennenſis, atque prouidentia CAROLI VI. Archiepiſcopali ſede iſthic conſtituta, primus Archiepiſcopus, Cardinalis, hodieque ſuperſtes. Feliciter!

ZICHIOS *(h.)*, præterea, *Kegleuitſchios (i.)* Comites; ſicuti, & Barones *Andráſios (k.)* atque *Perénios*, *(l.)* quibus eſt quidam, in prouincia noſtra, poſſeſſionis modus, ſuis ſingulos in ſedibus, pro inſtituti ratione, commemorabimus. §. XX.

d.) Artic. XLI.
e.) Vide Tomum II. Iconum ad Annales KHEVENHILLERI Ferdinandeos p. 339. vnde hæc depromſimus pleraque.
f.) Habes eius auos, apud KHEVENHILLERVM, Tab. Geneal. XVIII. p. 170.
g.) In hiſtoria vrbis Piſonienſis Cap. V. Art. VI. num. XII. §. 38. ſeqq.
h.) In Comitatu *Moſonienſi.*
i.) In Comitatu *Tornenſi.*
k.) In Comitatu *Gömörienſi.*
l.) In Comitatu *Ugotſenſi.*

§. XX.

ILluſtrium familiarum reliquæ, & ordini *Liberorum Baronum* adſcriptæ, vti antiquæ ſunt nobilitatis, ita non omnino prætereundæ ſilentio. In his cenſentur: Illuſtres familiæ aliæ:

I. AMADE, *Liberi Barones de Varkony.* Vetus genus, & ſicuti volunt, antiquitatum conſulti, ab *Omodeo*, vel *Amadeo*, Regni Hungariæ, ſub *Ottone, Wenceslao*, & *Carolo I.* regibus, Palatino, quem *Caſſouienſes (m.)* necauerunt, propagatum. quod iam, vti non adfirmamus, ita negare nolumus, ne in cuiusquam decora, fiamus iniurii. Iſtud certum eſt, vix eſſe familiam, opibus atque generis antiquitate illuſtrem, quæ mutuis matrimoniis, non ſit innexa, cum *Amadiis*. quod tabulas genealogicas, *Pálffyorum, Eſzterháziorum, Erdődiorum*, & *Forgáchiorum* luſtranti, fit obuium. Amade:

II. MAHOLANII, *Liberi Barones de Pohroncz*. Illuſtrarunt familiam, *Iohannes Maholány*, Cæſari, exeunte ſeculo ſuperiore, a conſiliis, & in Cancellaria, Hungarico-Aulica, a relationibus: poſtea, *Præſentiæ Regiæ, in iudiciis Locumtenens. Thomas* item, nuper ærarii, ſeu Cameræ Hungaricæ Conſiliarius. Iam *Ioſephus Maholány*, gentis decus tuetur. Maholány:

III. PETERFFII, *Liberi Barones de Somoskő.* Adſeruit huic faſtigio gentem ſuam, *Iohannis Péterffy*, S. C. R. M. in Cancellaria Hungarico-Regia Aulica, dum viueret, a Relationibus, & conſiliis. Illuſtrant nunc magis magisque familiam, *Ioſephus Péterffy*, Cameræ Hungaricæ Conſiliarius; *Iohannes* item *Péterffy* Tabulæ Regiæ adſeſſor; & quem primo loco nominare debueram, *Carolus*, S. I. Sacerdos. Péterffy:

IV. SIGRAII, *Liberi Barones de Felsö-Surány*, quos, cum merita alia, *tum in primis*, IOSEPHI SIGRAII, Conſiliarii Cancellariæ Regiæ Aulico Hungaricæ, *virtus*, atque CAROLI VI. mirifica benignitas, nuper, inter optimates retulit. Sigray.

§. XXI.

VTinam vero, pro ſe quisque, quod in ſua gente dignum memoratu eſt, tandem expromat; dubiis adſtruat fidem; refellat, male hucusque credita; &, quod eſt in actibus maiorum ſuorum, illuſtre, procul adſentatione, e tenebris, in lucem protrahat. Id enim vero, vnum illud eſt, in reliquis, quod deſideraueris, ad gentis noſtræ celebritatem. Nulla vſquam natio eſt, quæ, cum vniuerſim, gentis totius, tum ſingularum familiarum, decora haud cupiat, cum ratione, tutari; ſoli *Hungari*; procul iniuria cuiusquam dixerim; nosmetipſos amamus negligere. magno, ſi fatendum, quod res eſt, rerum Hungaricarum, & melioris famæ, diſpendio. Nam, in errorem inducimus exteros, quaſi priſca, hodieque, barbarie, atque tenebris, obſita apud nos ſint omnia, velimusque lubentes, *Auctoris vota.*

Obſcuras ire per vmbras.

m.) BONFINIVS Dec. II. Lib. IX. p. 317, 28.

Quod, tametſi non eſt ita; habet tamen quidpiam acerbioris opprobrii, tunc demum amoliendi, refellendique, cum, gentium aliarum imitatione, liberaliter promemus, quod eſt in vnaquaque familia, dignum commemoratione. Non id volo, vt familiarum iura, quæ habent peculiaria, temere prodantur; vel etiam, vt inducantur populares, in eorum vanitatem, oppido deteſtandam, qui, fumoſis auorum imaginibus, ſuperbiunt, nec quidquam ſolliciti, quemadmodum eorum virtutem, æmulentur: certe enim, prorſus cum IVVENALI *(n.)* facio:

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria; nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.

Atque iterum:

Miſerum eſt, aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant, ſubductis tecta columnis.

Huc redit propoſiti ratio, vt, & nobis conſulamus, & obtrectatoribus. Id vero, tunc fore confido, quando recluſis auaris illis ſcriniis, quibus, maiorum præclare geſta, ceu edaci quodam ſepulchro, conduntur, in vitam reuocabimus mortuos. hoc eſt: vindicabimus ab obliuione, clariſſimos quosque viros, & non adſperſam modo labem, detergemus; ſed laudes quoque, quas meruerunt, quasque adprobauerunt reges optimi, diplomatibus editis, pro eo, ac decet, recognoſcemus.

Hoc opus, hoc ſtudium, parui properemus & ampli!
Si patriæ volumus, ſi nobis viuere chari. (o.)

Feliciter!

n.) Satyra VIII. verſu 19. legeſis totam, egregie huc facientem.

o.) HORATIVS, Epiſtolarum Lib. I. epiſt. III. verſu 28. editionis *Bentleianæ* p. 556.



N.B.Belau del. Aug. et Joseph. Schum. sc.



And: et Ioseph Schuen. sc.

COMITATVS POSONIENSIS,

PARS SPECIALIS,

De

Quinque Processibus, in quos dispescitur Prouincia.

PROOEMIVM.

DIuiditur PISONIENSIS PROVINCIA, in partes quinque, quas, peculiari vocabulo, PROCESSVS dicimus. Hungari, *Egy-Szolga-Bíró-Járása*, adpellant. quod *Tractum* significat, vnius *Iudicis Nobilium arbitratui* admensum. In his primus, *Extraneus Superior*; secundus, *Extraneus Inferior*; tertius *Superior Insulanus*; quartus *Inferior Insulanus*; quintus denique, *Transmontanus*, vocitantur, ob situum, quos occupant, diuer-

diuerſitatem. Præter hos, SEDES VAJKENSIS ineſt, *Nobilium Prædialiſtarum* colonia, ditioni Archiepiſcopi Strigonienſis, adſcripta. quæ ideo ſuos habet magiſtratus, iuraque præcipua. Iam ſingulos videamus.

MEMBRVM PRIMVM,
De
PROCESSV SVPERIORE
EXTRANEO.

EXTRANEVM *vocant, a ſitu, vti dictum eſt, quod extra inſulam* Schütt, *ſeu* Csallóköz, *diffunditur, montibus hinc,* & Blaua *amne; illinc* Danubio, & Vago, *cohibitus. Quæ quidem regio, quod laxiore ſpatio protenditur, quam vt poſſit, vnius* Iudicis Nobilium, *cura adminiſtrari; bifariam diuiſa eſt: in* Superiorem, *quæ ab vrbe Piſonienſi, pone montes,* & *ſubſitam his planitiem, ad* Blauam *vsque exporrigitur*; & Inferiorem, *quæ hinc, per late patentem planitiem, in meridiem ſinuatur. Iam* Superiorem *illam, peragrabimus, ea quidem ratione: vt primo omnium,* Liberas Regiasque Vrbes; *poſtea* Arces; Caſtella *deinde; tandem,* Oppida, *quæ priuilegiis donata ſunt; vltimo,* Vicos *ſingulos, diligentia, atque adtentiſſimo ſtudio, expromamus.*

SECTIO I.
De
LIBERIS REGIISQVE VRBIBVS
PROCESSVS SVPERIORIS EXTRANEI.

VRbes, regionem hanc inſederunt quinque, raro, per Hungariam, exemplo. Itaque, *Pentapolin* merito dixeris, ad imitationem (*) veterum, qui paſſim per orbem, huius nominis, partim vrbes habuerunt, partim etiam tractus. Sunt autem: *Piſonium, Tyrnauia, Modra, Bazinga,* & *Szent-Györginum.* Explicabimus ſingularum

*) Vide HOLSTENIVM, in Theſauro Geographico, ad hanc vocem. & alios.

rum *hiſtoriam*, ducto, ab vrbe *Piſonienſi*, tanquam, quæ anteeat reliquis, initio.

I.
HISTORIA
VRBIS PISONIENSIS.



PISONIVM, *vulgo* Poſonium, *vrbem, cum antiquitate, ac varietate fatorum, tum prærogatiuis,* & *non vna optimorum Regum indulgentia, inter reliquas* Hungariæ, *in primis celebrem, pro eo, ac fert rei dignitas, deſcripturis, non licet, ſicuti faciemus alibi, vno omnia faſce, complecti. Proinde, id dabimus operam, vt primo quidem,* Origines *ſub* Romanis; *poſtea* Fata *ſub* Barbaris; *deinde ſub* Hungaris; *tum ſub* Auſtriacis *Regibus; hinc* Prærogatiuas, & *celebritatem; denique,* Hodiernum vrbis habitum, *quam fieri potuerit adcuratiſſime, fideque optima, explicemus.*

CAPVT I.
PERIODVS *PISONII ROMANA,*
Siue,
De Originibus Vrbis Romanis.

SYNOPSIS.

VRBIS *origines, ante Romanos, a* Iazygibus *Metanaſtis:* & Quadis *ductæ.* §. I.

Romanæ, PISONI *tribuuntur: ſed cui? diſputatur:* LAZII *conjecturæ: auctoris ſententia.* §. II.

Nomen vrbis Hungaricum, *ex latino factum:* Germanicum, *vnde ortum ſit, diſquiritur: refellitur* LAZIVS: *etymon vulgi excutitur.* §. III.

Cur ager Piſonienſis, careat monimentis ruderibusque Romanis? quid hic eruderatum ſit. §. IV.

Quis Romanis, Piſonii *vſus fuerit?* §. V.

Limites imperii Romani, qui ſub primis Cæſaribus fuerint? limes Rheni: *limes* Danubii, *& Iſtri: legiones hic excubantes: earum occupatio, bello & pace: hinc &* Piſonii *ortus.* §. VI.

Vrbis noſtræ, ſub Auguſto *Cæſare, fata: ſub* Marcomannis *&* Quadis, *Romanorum amicis.* §. VII.

Quid Piſonio, *ſub reliquis imperatoribus, eueniſſe credi poſſet? ſub* Traiano: Aelio Hadriano: M. Aureliano Antonino: L. Antonino Commodo: *ſub reliquis.* §. VIII.

Res Quadorum, *& vrbis noſtræ, ſub* Conſtantio: *ſub* Valentiniano, *&* Valente. §. IX.

Auctoris, circa ea, quæ dixit, inſtitutum. §. X.

§. I.

Vrbis origines, ante Romanos a Iazygibus Metanaſtis:



Rbis origines, ad barbaros, animo haud incogitato, referimus; ſi certum eſt, de quo nemo eruditus dubitat, *Iazyges* hac vicinia, *Metanaſtas*, priſca illa ætate, coluiſſe. Quis enim temere ſibi perſuaſerit, incultum manere potuiſſe, locum, cum traiectu, tum inſeſſu Danubii, in primis opportunum? Quidquid eius ſit, temporarias *Iazygum* hic ſtationes fuiſſe oportuit, quæ poterant omnino, eadem hac ripa, & poni, & aliquantisper defenſari; in iuſtam vero, perennemque molem *increſcere*, non poterant, ob vagas gentis ſedes, *& incerta bella. Obſtinatius Quadi* & *Marcomanni*, rem, aduerſus inualeſcentes *Romanos*, geſſere. Et colligi ſane, ex eorum pugnaci ingenio, poteſt, muniuiſſe caſtellis, *Danubii* hanc ripam, quam longe ea, ſuis ſedibus, prætendebatur. Multiplicem eius inſtituti rationem habebant; partim, vt eſſet, vnde ſe in Romanas prouincias infunderent; partim, vt hoſtes, non fluminis tantum obiectu; ſed munitionibus etiam, a ſuis finibus, arcerent. *Marobodui*, & qui hunc regno pepulit, *Catualdæ*, poſt vtrumque autem, *Vannii*, regum, hanc fuiſſe prouidentiam, res eorum geſtæ, loquuntur. De *Vannio*, Sommersbergivs: *(a.) Regno*, inquit, *amplitudinem, ſibi amorem popularium, acquirebat, caſtella condebat, exercitus probe ornabat, multoque locorum interuallo disiunctas gentes, vtili fœdere, commiſcebat.* In his, ego, quæ Vannivs condiderat, caſtellis, cum *Dévénum*, tum *Piſonium*, ſed nondum id nominis ſortitum, refero. quod illud quidem, *Carnunto* obiectum, *Morauæ* & *Danubii*, confluentem; iſtud, frontem inſulæ *Cituorum*, ſiue *Schüttæ*, præmuniebat. Eiectus regno, a ſuis, Vannivs, cum ad Atil-

& Quadis *ductæ*:

livm

a.) Regni Vanniani Cap. III. p. 19.

livm Histrvm, Pannoniæ præſidem, fugeret, noſtra hac ora, a claſſe Romanorum, quos amicos habuit, quique eum iſthic, ſi quid aduerſi accideret, opperiebantur, acceptus, inque *Pannoniæ* agris, cum fugæ comitibus, collocatus eſt. Ita, vt de Vannii, ad *Romanos* traiectu, ſentiam, a Tacito, *(b.)* grauiſſimo ſcriptore, inducor. *Digreſſus*, inquit, *caſtellis*, Vannius, *funditur prælio: quamquam rebus aduerſis laudatus, quod, & pugnam, manu capeſſit, & corpore aduerſo, vulnera accipit: ceterum, ad claſſem, in Danubio opperientem, profugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris, in Pannonia locati ſunt.* Atque prælium quidem, quod Vannivs, cum *Vangio*, at *Sidone*, ſuis, e ſorore, nepotibus, magna quidem virtute, at iniqua fortuna, conſeruit, in *Carpathi* radicibus, commiſſum fuiſſe, Fridericvs Wilhelmvs a Sommersberg *(c.)* docet; nempe, propioribus illis ad Danubium, quos iam *Albos montes* vocamus, vnde locus fugæ, ad noſtra hæc caſtella, Romanorumque claſſem, ſuppetebat. Proinde, neque *incultum*, *ſed nec* inerme *Piſonium*, Vannii, & quæ eum præceſſit, ætate, fuiſſe certum eſt: tametſi nondum, hodierno iſto nomine, cognitum. Victo Vannio, regnum *Vangio* & *Sido*, *inter ſe partiuere*, inquit Tacitvs, eodem loco. Et *Vangioni* quidem, Marcomanni; *Sidoni*, Quadi obtigere: hoc eſt, ii terrarum tractus, qui a *Maro*, ſiue *Moraua* amne, ad *Cuſium* vsque protenduntur. Anne vero ſuſpicaberis, locum noſtrum, *Danubio* imminentem, ſine ferociſſimæ gentis præſidio relictum? Poſtea, *Quadorum* fortunam, tota hæc Danubii ripa, habebat, quam nunc haud recolimus: quippe, infra excuſſam. Hæc, de barbaricis, *vrbis noſtræ*, *originibus*, ſaltem, originum, in hiſtoria veſtigiis, præmonuiſſe oportuit, antequam ad *Romanos* veniremus.

§. II.

Piſonivm, a Romanis, cum hac quoque ripa, rerum potiri inciperent, operibus auctum, firmatumque præſidiis, noſter ille Livivs *(d.)* conſtanter adſerit. *Piſonium*, inquit, *Romanæ gentis opus.* Neque dubitat, Pisonem, vrbis auctorem, nominare. *(e.) Piſonienſi* Conventui, *vetuſta ciuitas, nomen dedit, quæ a Piſone, qui Thraciam domuit, (vt Florus ait,) nomen adſumſit, quum in Myſiis & Pannoniis verſaretur.* Hoc, ſi eſſet, in idem prorſus tempus, vrbis noſtræ origines, inciderent, cum imperante *Octavio Auguſto*, *Druſus* quidem, Germaniæ quosdam populos; Dalmatas & Pannonios, *Tiberius*, ſub Romanorum poteſtatem, miſere. Sed id, dubium quodam modo reddunt, eorum temporum rationes, quibus Romani

Romanæ, Piſoni *tribuuntur: ſed cui? diſputatur:*

b.) Annalium Lib. XII. Cap. XXIX. & XXX. vbi ciuilis, aduerſus *Vannium*, belli hiſtoriam deſcribit, p. 251. edit. Lipsii. Lugd. Batau. anno 1619. oct.

c.) Loco citato, §. VII. p. 23.

d.) Bonfinivm volumus, Decade II. Lib. IV. p. 222, 42.

e.) Decade I. Lib. I. p. 25. fine.

ni imperii limites, *Danubio* coercebantur adhuc, neque in citeriorem hanc ripam prolati fuere: quippe, a gentibus barbaris infeſſam, quod ex VELLEIO PATERCVLO *(f.)* condiſcas, licet. Niſi tunc forte, frænandæ *Quadorum* ferociæ, caſtellum iſthic communiuerint Romani; cum *Marobodui*, & *Catualdæ* reliquias, *Druſus*, iſta regione, repoſuit: qua de re TACITVS: *(g.) Barbari vtrumque* (Maroboduum, & Catualdam, Marcomannorum Quadorumque reges, regno pulſos) *comitati, ne quietas prouincias, immixti turbarent, Danubium vltra, inter flumina, Marum (h.) & Cuſum, locantur, dato rege Vannio, gentis Quadorum.* LAZIVS, *(i.)* coniectationum mirus artifex, *Piſonium* delatus, quo ſe vertat, vix reperit: nunc enim, eundem illum *Piſonem*, cuius opera, *Auguſtus*, & *Druſus*, Pannonias ſubegerunt; nunc *Piſonem* alterum, adoptatum a *Galba*, acceptumque in conſortium imperii ac cædis, vrbis conditæ laude adficit; nunc iterum, ex *Bregetionis* ruderibus enatam, magna veri confidentia, opinatur; nunc denique, a lacu *Peiſone*, nomen, municipio communicatum, autumat. Non eſt opus, fluctuantem LAZIVM, vti confutemus, cum vix reperias, vbi, in tanta diſſidentium opinionum varietate, tuto pedem figas. A *Piſone* quidem, nomen vrbi adhæſiſſe, nihil ambigimus; non tam, quod primus eam condiderit; quam, quod conditam, in rem verterit Romanorum. Sed *Bregetionem*, fruſtra hic quæritat LAZIVS: quippe, multis paſſuum millibus, in orientem, reiectam. Neque illud melius ſe habet, quod a lacu *Peiſone*, vrbis vocabulum, arceſſat; cum *Piſonium* quidem in barbarico ſolo, *Peiſonis* autem lacus, in Romano, ad ſedecim paſſuum millia, interlabente Danubio, ad meridiem reſederit. Proinde, nequeamus licet, vrbis noſtræ Romanum auctorem, definire; tamen, PISONEM *aliquem* fuiſſe, ſiue illuſtri *Calpurniorum* genere ortum, *ſiue obſcuriore* loco editum, conſtanter *exiſtimamus.* *Profecto*, nugas agunt, qui a *piſis*, viliſſimo legumine, locum celebrem, denominatum volunt; quaſi, cuius prouentu luxuriarit ager *Piſonienſis*. Id enim prorſus eſt aliter; cum rus noſtrum, ſi non reformidet penitus, *ſaltem piſa* generet iniquius.

Lazii coniecturæ:

auctoris ſententia.

§. III.

Nomen vrbis Hungaricum, *ex latino factum:*

LAtinum *Piſonii* vocabulum, ciuitate donauerunt *Hungari*, dum POSONY, ex eo fecerunt. quod iam vernaculum vrbis nomen eſt. Chronicorum conditores, atque in his, OTTO FRISINGENSIS, *(k.) Pauſonum*, non tam noſtra dialecto, quam ſuo ipſorum errore,

f.) Hiſtoriæ Romanæ Lib. II. Cap. CIX. 3. p. 525. edit. BVRMANNI, Lugd. Bat. anno 1719.

g.) Annalium Lib. II. Cap. LXXXIII.

h.) *Marus*, hodie *Morava* dicitur: *Cuſus*, CELLARIO, *Vagus* eſt; SOMMERSBERGIO, *Chryſius*, ſeu *Keeres.*

i.) Commentariorum de Repub. Rom. Lib. XII. Sect. III. Cap. VI. p. 1151. ſeqq.

k.) Lib. VII. Chron. cap. 13.

errore, adpellant: quem & LAZIVS *(l.)* ſuum fecit. *Adpellant*, inquit, *Hungari ſuo idiomate has vrbes*, PAVSONVM, *& Soppron.* Equidem, in veterrimis ſcriptis Hungaricis, conſtanter POSONY reperio; ex latinorum, *Poſonium*, ſyllaba vltima repudiata, factum. Sed iſta expedita ſunt; non æque nomen Germanicum, *Presburg*. quod LAZIVS, a *Bregetione*, profecto, inuita Minerua, repetit. *Eſt*, inquit, *coniectura noſtra a lacu iſto*, (Peiſonem vult) *nomen* Flexo *accidiſſe, quod poſteritas Germanorum, ob memoriam vicini Bregetionis, & quod inde forſan renouatum erat, Presburgum pronunciare voluerunt.* In duplici errore eſt LAZIVS; quorum alterum, de *Bregetione* iam indicauimus; hic vero ideo caſtigamus, quod nullum *Bregetioni*, cum Germanico vocabulo, contagium, adfinitas nulla eſt. Errorum alter, in eo vertitur, quod *Flexum* vrbem noſtram fuiſſe credat. Plane ſui immemor. Nam paullo ante, *(m.)* idem municipium ad *Köptsényum*, locauerat; at, quam infeliciter, ad eum locum docuimus. Nunc iterum *Piſonio*, *hoc*, quidquid eſt, nominis, adfricat: reclamante ſitus natura. Cum enim *Flexum*, inter *Carnuntum*, & *Arrabona*, vlteriori Danubii margine, *Antoninus* collocat; *Lazius*, contorto itineris tramite, aduerſa id ripa, qua eſt *Piſonium*, reponit. Itaque, nihil *Flexo*, cum *Piſonio* commune eſt: quippe quod, cum CLVVERIO, ad *Ovárum*, Moſonienſis prouinciæ oppidum, veſtigandum fuerit. Sed, quod *Bregetionis*, in *Presburgi*, ſeu nomine, ſeu poſitu, veſtigia *Lazius* quærat, nemo non doctus indignatur. Ita BONBARDI: *(n.)* LAZII *ſententia*, inquit, *quam infirmo argumento nitatur, nemo non videt, vtpote, qui de more, nominis ſimilitudine confiſus, a Bregetio, Germanicum Presburg, prouenisſe auguratur, minime aduertens, quod torculari (hoc enim prima in voce Presburg ſyllaba, tum Germanis, tum Slauis ſignificat) ſeſe incautus ſubiecerit.* Recte, quæ de *Bregetione* monentur; ſed, anne reuera a *torculari*, Germanicum vrbi nomen inditum? Ita vulgo credunt; neque, vt aliter ſentias, vocis etymon ſuadet; cum *Presburg*, vti pronunciatur hodie, *Torculare caſtrum* ſignificet. Accedit, loci opportunitas: ſubſita enim vrbs eſt collibus, multa conſitis vite, vt torcularia, exprimendæ vindemiæ gratia, iſthic poſita, potuerint omnino, vrbi nomen conciliare. Nota hæc in vulgus denominatio eſt; at enim, longe a prima veraque origine vocabuli, diſſidens. *Breslaburgum*, olim, Germanico idiomate, *Piſonium* dicebatur; quomodo & AVENTINVS alicubi adpellat. Itaque, mixtum ex *Slaua* & *Germanica* lingua, nomen ſit, oportet. Nempe, *Wratislaus*, ſeu *Brazlaus* aliquis, qui iſta ora non ſolum, ſed in vrbe etiam noſtra, vel militabat, vel ſtatiua habebat, ex ſuo nomine adpellandam voluit, vt eſſet *Wratislai* caſtrum. Itaque, ex eodem fonte, *Wratislauiæ Sileſiorum*, & noſtræ vrbis nomen, deriuandum eſt. Nonne vero ab eodem auctore? Difficile eſt adfirmare;

Germanicum *vnde ortum ſit, diſputatur:*

refellitur Lazius:

etymon vulgi excutitur.

l.) Loco nunc citato.

m.) Eodem loco, Cap. V. p. 1149.

n.) In Topographia Magni Regni Hungariæ, p. 101.

coniectare autem per quam pronum. Posteaquam enim *Quadi*, cum aduentantibus *Slauis*, in eandem (*o.*) gentem coaluerunt; procliue, Slauis inualescentibus, fuit, dominos etiam *Slauos* adsciscere, & ex his, vt inde quoque principibus conciliaretur auctoritas, veteres vrbes, nouis vocabulis adpellare. Sed de isto vocis etymo, infra luculentior veri se offeret species. Est, & alii coniecturæ, locus, annon, sicuti *Wratislauiam* volunt (*p.*) aliqui, a traiectu, *Brodslaw*, denominatam; sic & nostræ vrbis nomen, eodem etymo, prognatum sit: vt dixerint Slauo-Germani illi, *Brodspurg*, hoc est, *traiectus arx*: cum palam sit, primum hunc, ex *Quadis*, ad *Pannonas*, & frequentissimum fuisse traiectum: vt taceamus, non esse insolens, vrbes a traiectibus amnium denominari; quemadmodum in *Traiecto ad Rhenum*, *Francofordia*, (*q.*) & apud Bohemos *Praga*, (*r.*) videre est. Vndecunque deriues vocabulum, siue a proprio alicuius ducis *Wratislaw* nomine, siue a *Brod*, quod Slauis *traiectum vadumue* significat; facile, vtraque deriuatio, in *Presburg* hodiernum poterat degenerare.

§. IV.

Cur ager Pisonienſis careat monimentis ruderibusque Romanis?

SEd, cum instauratæ primitus vrbis gloriam, ad *Romanos* referimus, occurritur nobis a doctis; quid caussæ sit, nulla, hac Pisonienſium ora, antiquitatum Romanarum monimenta, lapides, vrnas, numos, reperiri? ex quibus alioquin, coloniarum vestigia, notari consueuerint. Nempe, Pannoniarum limes, Danubius exstitit; quod vltra est, barbaræ gentes colebant, donec superato amne, hic quoque rerum potirentur Romani; non tam educendis molibus, quam coercendis populis, intenti. Itaque, frequentissima in Pannonia, vastarum vrbium castrorumque rudera *videas*; pauca, in *Quadis* & *Jazygibus*, neque, nisi ea, quæ post *Quados* debellatos, legiones, hic atque illic, posuere. Quod cum ita sit, facile est ad colligendum, cur solum *Pisonienſe* numorum, lapidum, & monimentorum Romanorum, haud æque dives sit. Neque tamen ita earum rerum est inops, quin eruderetur subinde quidpiam, quod canam illam, venerandamque antiquitatem, loquatur. Erutum *suo* tempore, ad *Pisonium*, lapidem, exhibet LAZIVS, (*s.*) cuius monimentum, non dubitamus huc transscribere:

quid hic eruderatum sit.

CLEOPATRAE FILIAE DVLCISS.
QVAE VIXIT AN. IIII. MEN. IIII. D.
IIII. PONTIANVS ET TEGILLA
IN PACE.

Et

o.) Vide F. W. a SOMMERSBERG, in Lemmatibus Historicis, ad Ducatum, & Vrbem Wratislauiensem, Cap. II. §. I. p. 58.

p.) Ibidem Cap. I. §. II. nota *d.* p. 56.

q.) Vtraque *Francofordia*, ad *Mœnum*, & *Oderam*, liberum traiectum significat.

r.) *Pragam*, a *Brech*, vadum, traiectus, denominari, norunt rerum periti.

s.) Loco citato sæpius, p. 1153.

Et alibi (*t.*) in *Austriæ* atque *Hungariæ* finibus, agro Pisonienſi collimitaneis, effossam, cum *Pisonis* mentione, inscriptionem, memorat.

VICTORIAE AVG. N. N.
ET LEGI. I. AD. P. I.
ANTONINIANAE
P. MARCVS D. SEXTIANVS
EPHESO PP. DD.
DEDICANTE EGNATIO
VICTORE LEG. AVG. C.
PR. PR.
ET C. L. PISONE.

PISONEM autem existimat fuisse eum, cuius opera, in subiugandis Pannonibus, & Noricis, fuisse vsum *Augustum*, *Florus*, & *Tacitus*, referunt. Quis vero putarit, plura defore Romanæ documenta antiquitatis; nisi ea *nobis*, aut casus inuideret, aut nostra ipsorum subduceret *incuria*. Non est diu, cum ingens Romanorum numismatum *numerus*, forte fortuna, in *Dévén-Ujfalu*, erueretur: qui, tametsi omnes æui fuerunt sequioris; dederunt tamen experimentum, esse in his *Pluti* (*) regionibus, plura, venerandæ illius retrusæque ætatis, monimenta: in quibus Q. POMPONII; ATTICI; IVLII CAESARIS; OCTAVII AVGVSTI, & qui secuti sunt, imperatorum numos, varie factos, retuleris. Eximium horum thesaurum, possedit dum viueret, Cl. vir, M. GEORGIVS FERDINANDVS GLEICHGROSS, iniquiore, post eius fata, casu, passim dispersos: vt iam eos (*u.*) taceamus, qui hodieque in vrbe nostra, colligendis *istiusmodi cimeliis*, & *operæ multum* impendunt, & pretii.

§. V.

Quis Romanis Pisonii vsus fuerit?

ITaque, de Romanis vrbis *nostræ*, seu originibus, seu accessionibus, nemo amplius, cum ratione, dubitauerit. Cui bono autem Romanis fuit *Pisonium?* & quod hic posuerant, siue castellum, siue oppidum. Nimirum, cum proximum esset ad limitem, coloniisque Romanis adsideret, statiuorum loco, vnde *Danubius* defensaretur, fuisse habitum, vero haud dissimile est. Danda enim erat opera, vt prouinciæ, tanto partæ sanguine, tantoque labore & industria, excultæ, tutæ essent a vicinorum iniuriis. Hæ, cum a multis gentibus, tum in primis, a *Germanis* erant metuendæ. Nam, licet domiti semel iterumque fuerunt *Romanorum* virtute; tamen non desierunt fræna mordere, excutere iugum, & acceptas clades vlcisci. Dedere, feritatis huius insigne documentum, *M. Lollio* victo, (*v.*)

cæso

t.) Rerum Viennensium Lib. II. Cap. II. p. 34.

*) Lege omnino, quæ infra, in *Maszti* historia dedimus. Parte Spec. Memb. V. Sect. IV. numero VII.

u.) Vide, laudatam a TOLLIO veterum nummorum, quam *Pisonii* vidit, congeriem. Epistola Itineraria V. p. 143.

v.) VELLEIVS PATERCVLVS, Lib. II. Cap. XCVII. & CXVII. seqq.

cæso *Varo Quinctilio*, trucidatisque tribus legionibus, totidemque alis, & cohortibus. Vtramque cladem, adsuetus vincere, AVGVSTVS, quam acerbe tulerit, ex SVETONIO (*x.*) addiscas: *Adeo*, inquit, *consternatum ferunt, vt per continuos menses, barba capilloque submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare, legiones redde: diemque cladis, quotannis mœstum habuerit ac lugubrem.* Neque mitiores ii Germanorum fuere, qui aduersam Pannoniæ ripam obtinebant, *Quadi* scilicet, atque *Marcomanni*; quorum commemorandi ferociam, infra locus recurret. Itaque, necessum fuit, vt adesset miles, qui in finibus his collocatus, perpetuo præsidio, limites tutaretur aduersus barbaras gentes: maxime, quod & *Pannones*, (*y.*) iam pridem sub iugum missi, ingenti populorum facta conspiratione, subinde rebellauerint.

§. VI.

Limites imperii Romani, qui sub primis Cæsaribus fuerint:

limes Rheni:

SEd, quia in mentionem, tutandorum imperii Romani limitum, venimus; dicendum hic ea de re, quidpiam est, vt intelligatur, quo habitu fuerint, sub primis statim Cæsaribus, *Pisonii* nostri fata. Et sub IVLIO quidem CAESARE, aduersus *Germanos*, vnicus limes *Rheni* fuit: quem eo custodiri adtentius, legionibus, perpetuo ordine dispositis, oportuit, quo pugnaciores gentes, aduersam *Rheni* ripam, obtinebant. Enatum hinc limitaneorum militum nomen. De his SVIDAE (*) locus accipiendus est: Λιμιτανεῖοι. οἱ Ρωμαίων βασιλῆς, ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις, παυλαχόσε τῶν τῆς πολιτείας ἐφεστῶν πάμπολυ κατεσήσαντο στρατιωτῶν πλῆθος, ἐπὶ φυλακῇ τῶν ὁρίων τῆς τῶν Ρωμαίων ἀρχῆς. Id est: LIMITANEI. *Romanorum Imperatores, olim, in extremis ditionis suæ partibus, ingentem militum multitudinem constituere solebant, ad tuendos Romani Imperii fines.* Postea, cum *Pannonia* omnis, in prouinciam ab AVGVSTO, atque huius priuignis, *Druso*, & *Tiberio*, fuit redacta; limitem alterum, quem hic *Danubii*, alibi *Istri*, nominabant, poni fuit necessum; ne gentes, quæ vltra amnem erant, agrum Romanum temere incursarent. Auctor, saluberrimi instituti, TIBERIVS fuisse creditur, qui adducta, e Galliis, Legione XIII. Gemina, nouum limitem confirmauit. Increuit post TIBERII ætatem, limitanearum legionum numerus: quippe quarum, septem ad *Danubium* alebantur, additis duobus ducibus limitaneis, qui exercitui præessent. Longus est, in recensendis legionum nominibus LAZIVS. In his, quæ in Pannonia Superiore, *Marcomannis*, & *Quadis* opposita, excubabant, legionem XIII., & XIV. vtramque *Geminam*, principe loco nominat, cum suis equitum alis, *Scriboniana Flauiana*, *Pannonica*, reliquis: legiones porro VII. & VIII. a *Galba*, & *Claudio*, Augustis, de nouo scriptas, & denominatas, postea a *Vespasiano* abductas. Supersunt omnino non leuia, per *Pannonicum* Danubii latus, legionum harum, indicia: *Viennæ* quidem LEGIONIS XIII. GEM. *Carnunti* autem LEGIONIS XIV. itidem GEMINAE. De *Viennensi* illa, plures lateres a LAZIO (*z.*) adducti, loquuntur, cum ἐπιγραφῇ LEG. XIII. G. IM. NERON. TIBER. atque iterum: LEG. XIII. GE. IVN. illius scilicet *Iunii*, quem PISO in consortium adscitus a *Galba*, socium administrationis adsumserat. Legionis autem, quæ *Carnunti*, & in vicinis municipiis, collocata fuerat, nos ipsi, cum aliquando, scrupulosius eius vrbis, qua *Danubio* imminebat, rudera fuissemus rimati, insignes duos lateres, inusitatæ magnitudinis alterum, alterum duplo, quam hodie fiunt, maiorem crassioremque, eruimus, hac inscriptioue, notatos: LEG. XIV. G. Et difficile est illic ambulanti, in imbricum, & id genus laterum fragmenta, pedem non impingere, quæ haud referant, eiusdem, aliarumque legionum memoriam. Ecquid vero, hi tanti exercitus, pro *Danubii* hac ripa excubantes, factitabant? *Si bellum* erat cum barbaris, habebant, quod agerent; sin aliqua, ab armis requies, limites, excitatis castellis, præmuniebant. Nimirum, in more habebant *Romani*, valida flumina, pro limitibus prouinciarum, quas suo imperio adiecerant, deligere. Horum deinde ripas, barbarico oppositas; sollicite excolebant, hic vrbibus, castellis illic, alibi stationibus, aut mansionibus limitaneis collocatis, communitisque. Atque, id quidem, in ripensi superiore, inferioreque Pannonia, fecere Romani. Militum certe limitaneorum laboribus, aut positæ sunt, aut increuerunt: *Cetium*, *Vindobona*, *Quadrata*, *Carnuntum*, *Cherolata*, *Flexum*, *Limusa*, *Arrabo*, *Bregetium*, *Crumerum*, *Salua*, *Sicambria*, *Floriana*, *Aquincum*, *Altinium*, *Lugionum*, *Pistrense*, *Sirmium*, reliqua. Neque contenti fuere, vnica admodum ripa; *alteram quoque*, si se dabat occasio, præsidiis obfirmabant: cui ego diligentiæ, *Pisonium* nostrum adtribuerim; tametsi, definire non ausim, sub quibus, siue imperatoribus, siue *Marcomannorum*, *Quadorumque* regibus, Romani isthic pedem fixerint.

limes Danubii & *Istri*:

legiones hic excubantes:

eorum occupatio, bello & pace:

hinc & Pisonii ortus.

§. VII.

SI id, ætate AVGVSTI, rem in Pannonia, nunc *Druso*, nunc *Tiberio*, gerentibus, euenisse credamus; facile erit, ex eorum temporum ingenio, ortus *Pisonii*, fataque coniectare. Nam, *Tiberio* quidem *Carnunti*, vicino oppido, expeditionem in *Maroboduum*, adparante; non possum induci, vt mihi persuadeam, potuisse inanem præsidio Romano, ripam hanc nostram, relinqui. Belli eius adparatum, causasque, VELLEIVS (*a.*) descripsit. *Erat etiam in eo timendus*, Maroboduus, *quod cum Germaniam, ad læuam, & in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium suarum, haberet Noricum, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incre-*

Vrbis nostræ, sub Augusto Cæsare, fata:

x.) In AVGVSTO, Cap. XXIII.

y.) VELLEIVS Lib. II Cap. CX.

*) In LEXICO, Tomo II. p. 448. editionis recentissimæ, LVDOLFFI KVSTERI, Cantabrigiæ, A. MDCCV. *fol.*

z.) In *Rebus Viennensibus*, Lib. I. Cap. V. & VI. | *a.*) Lib. II. Cap. CIX. 3.

menti sui patiebatur esse Italiam: quippe, cum a summis alpium iugis, quæ finem Italiæ terminant, initium eius finium, haud multo plus CC. millibus passuum, abesset. Hunc virum, & hanc regionem, proximo anno, diuersis e partibus, Tiberius Cæsar, adgredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, vt per Cattos, excisis continentibus Hercyniæ siluis, legiones, Boiohœmum, (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est) duceret; ipse a Carnunto, qui locus Norici regni, proximus, ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos, visus est. Belli euentum non memorat VELLEIVS, ne adulationis, quas sibi tulerat, leges, vituperato TIBERIO, transgredi cogeretur. Discas vero expeditionis fortunam, ex MAROBODVI *(b.)* oratione, qua suos, in *Arminium*, accendebat, iam iam signa collaturus: *Sæ*, inquit, *duodecim legionibus petitum, duce* Tiberio, *illibatam Germanorum gloriam seruauisse. Mox, conditionibus æquis discessum: neque pœnitere, quod in ipsorum manu sit, integrum aduersus Romanos bellum, an pacem incruentam malint.* Hac ergo tempestate, cum ad *Carnuntum*, hoc est, in vicinia, aut prorsus nostro hoc traiectu, duodecim legiones Danubium transmitterent, proficiscerenturque in *Boiohœmum*, quis putet, incustoditum fuisse *Pisonium?* Pace confirmata, in Romanorum mansisse potestate, opinor, vt barbarus, seu in amicitia contineretur, seu in officio. Reliquo hinc tempore, infractisque *Marcomanorum*, & *Quadorum* viribus, non est cur dubitem, insessum a Romanis fuisse *Pisonium*, ad *Vannii (c.)* vsque exitum. Qui eum excepere, *Vangio* & *Sido*, reges, quia patente TACITO, *(d.) egregia aduersus* Romanos *fide* erant, non est ambigendum, quin ripam quoque *Danubii*, quæ suis regionibus obuersa fuit, aut penitus Romanis permiserint. aut, permixtis mutuo præsidiis, tutati fuerint.

sub Marcomannis, & Quadis, Romanorum amicis.

§. VIII.

Quid Pisonio *sub reliquis imperatoribus euenisse credi possit?*

POst eam ætatem, quod imperatores plerique, libidinosius, quam fortius, rem domi forisque, administrarent, increuit denuo barbararum gentium potentia: dum VLPIVS TRAIANVS, ad clauum reipublicæ admoueretur. Nam, cum post AVGVSTVM, defensum magis, quam ampliatum fuit imperium; hic, eius fines longe lateque diffudit, reparauit limites, victoque *Decebalo*, ita barbaras gentes, vndique perterruit; vt tunc quoque, suis se lustris continerent inuitæ, cum rem Romanam turbare, valde fuisset procliue. Quam eius felicitatem, multus quidem, sed æquus profecto laudator, PLINIVS, in panegyrico, quem ei dixit, scitissime expressit. Sed, anne fortunæ tanti principis, nostra hæc ora, herbam porrexit? Ita reor. Præterquam enim, quod TRAIANVS, teste PLINIO *(e.)* per

sub Traiano:

b.) Apud TACITVM Annal. II. Cap. XLVI.
c.) Descriptum hunc vide apud TACITVM, Annal. XII. Cap. XXIX.
d.) Fine eiusdem Capitis.
e.) In Panegyrico, Cap. XIV. 3.

per vniuersum Germaniæ spatium, legiones duxit; etiam cum *Quadis*, *Pisonii* accolis, gessisse bellum, *Volaterranus* auctor est. *(f.)* Itaque, vel prorsus in Romanorum obsequio fuit, *Quadorum* hæc ripa, atque in ea *Pisonium*; vel certe, ita e Pannonia cohibebatur, vt nequiuerit, incursionibus solum Romanum infestare. AELIVS HADRIANVS, qui defuncto *Traiano*, surrogatus est, vti gloriæ antecessoris inuidens, ita, limitum iniquissimus erat custos; quin immo, trium, quas ille addiderat, prouinciarum desertor. Qua principis, seu oscitantia, seu inuidia, animus addebatur barbaris, vt non modo recuperarent amissa; sed inuaderent etiam aliena. Id autem *Quados* non minus factasse, quam reliquas Germaniæ gentes, bellum, a M. AVRELIO ANTONINO confectum, testatur. Breuiter eius historiam, EVTROPIVS *(g.)* complexus est. *Ingenti*, inquit, *labore & moderatione, cum apud Carnuntum, iugi triennio perseueraſſet, bellum Marcomannicum confecit, quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis barbaria commouerat. Multa hominum millia interfecit, ac Pannoniis seruitio liberatis, Romæ rursus, cum Commodo Antonino, quem iam Cæsarem fecerat, triumphauit.* Nempe, ad eum modum viribus inualuerant, iuncti Marcomannis *Quadi*, vt per *Pannonias* diffusi, late licentioseque imperitarent. Hoc ipsum illud bellum est, quo legionis *Melitenæ (h.)* precibus, in summis exercitus Romani periculis, larga pluuia impetrata fuit. Tunc vero, quid cum *Pisonio* gestum fuerit, coniectatu facile est. Fuit *Quadorum* belli officina, cum Pannonias, infestis armis percursarent: an vero, ANTONINO succubuerit? haud quidem aliter credamus, oportet, si rationes *belli*, *rite subduxerimus*. Primo enim, in *Danubii* traiectu deprehensos *Quados*, A. CHRISTI, CLXXIII. ingenti clade adfecit. Traiectum, nemo historicorum designat. Ego *Pisonienſem* fuisse reor, tanquam *Carnunto* proximum. Eam victoriam, quod *incautius prosequerentur* Romani, in eam se perniciem implicuerant, ex qua demum legionis illius *Christianæ* precibus, liberabantur. Sequente anno, cœptis insistens M. AVRELIVS, traiecto amne, ad *Granuam*, castra metatus est; vt inde, perpetuis præliis fatigaret hostem, vltra fluuium alterum, *Vagum* fuisse existimo, munitis castris, se continentem. Et respondit sane destinatis euentus non modo: pluribus enim victoriis hostes deuicit; sed retrocedentium etiam castella, deiecit. Fallor? an in his fuerit *Pisonium*: quippe, a castris ANTONINI, quorum hodieque exstant ad *Granuam* vestigia, bidui tantum itinere, in occidentem submotum. Hæc, vltra veri speciem, adseueraueris. Post eius anni victorias, Romam ouans ingressus, atque iterum in Pannonias redux, belli reliquias, ne ex cunctatione vires spiritusque barbari resumerent, conficiendas statuit. Proinde, anno CLXXV. traiecto iterum *Danubio*, hostes, secundis præliis, spe vincendi deturbatos, eo adegit; vt missis obsidibus

Aelio Hadriano:

M. Aurelio Antonino:

f.) Lib. VII. 4.
g.) Lib. VIII. Cap. VI, 9. 20.
h.) EVSEBIVS Hist. Eccl. L. V, 5.

dibus, pacem peterent, aliqui, etiam in tutelam victoris se traderent. Hæc dici oportuit; vt de *Pisonii* fatis possit existimari. Confecto eo bello, firmatoque, quinque *(i.)* legionibus, Danubii limite, *Marcomanniam*, *Quadorum*, *Sarmatarumque* regiones, prouincias facere voluit; sed ne posset, *A. Cassii* rebellione, in Syria commota, impeditus est. ANTONINO, *Vindobonæ? Carnunti?* an *Syrmii?* e viuis sublato, filius L. ANTONINVS COMMODVS, successor, a viuo patre nominatus, limitis nostri incuriosum egit obseruatorem; donec a tumultuantibus iterum barbaris, excusso sopore, vindicaretur penitus. Discas id ex LAMPRIDIO, in actibus COMMODI: *Victi sunt, sub eo, quum ille sic viueret, per legatos, Mauri, victi Daci, Pannoniæ quoque compositæ: in Britannia, in Germania, & in Dacia, imperium eius recusantibus prouincialibus. quæ omnia iste, per duces sedauit.* Post hæc tempora, hoc est, sub *Pertinace*, *Saluio Iuliano*, *Septimio Seuero*, eiusque filiis, & qui secuti sunt, imperatoribus, in obscuro sunt *Quadorum* res gestæ, & per id, *Pisonii* quoque fata.

L. Antonino Commodo:

sub reliquis.

§. IX.

Res Quadorum, & vrbis nostræ, sub Constantio:

SEd, imperante CONSTANTIO Augusto, graues iterum Pannoniæ, & Moesiæ, *Quadi* esse cœperunt, coegeruntque Cæsarem; vt relicta vrbe, Syrmium adcurreret. AMMIANVS MARCELLINVS, (*k.*) *Cupiens*, inquit, *augustissima omnium sede morari diutius imperator, vt otio puriore frueretur & voluptate, adsiduis nunciis terrebatur, & certis indicantibus, Suevos, Rhætias incursare, Quadosque Valeriam, & Sarmatas, latrocinandi peritissimum genus, superiorem Moesiam, & secundam populari Pannoniam.* Et biennio (*l.*) post, hoc est A. Chr. CCCLVIII. in eiusdem CONSTANTII *actibus: Augusto, quiescenti per hiemem apud Sirmium, indicabant nuncii graues & crebri, permistos Sarmatas, & Quados, vicinitate, & similitudine morum, armaturæque concordes, Pannonias, Moesiarumque alteram, cuneis incursare dispersis.* Sed tunc, reiecti cum clade, mox pacem quærere, fuerunt coacti; quam *Vitrodurus* rex, regis *Viduarii* filius, supplex obtinuit. Neque tamen diu quieuere. VALENTINIANO enim, & VALENTE Augustis, iterum queritur MARCELLINVS: (*m.*) *Hoc tempore*, (A. CCCLXIV.) *veluti per vniuersum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sæuissimæ, limites sibi proximos persultabant. Gallias, Rhætiasque, simul Alemanni populabantur; Sarmatæ Pannonias & Quadi - - ærumnis vexauere continuis.* Accensus, hoc iniuriarum genere, VALENTINIANVS, limites, muniendos in primis censuit. Ea de re AMMIANVS: (*n.*) VALENTINIANVS, inquit, *studio mu-*

sub Valentiniano & Valente.

i.) De his lege LAZIVM, de Repub. Rom. Lib. I. Cap. VIII. p. 80. A.

k.) Lib. XVI. Cap. XI. p. 104.

l.) Idem Lib. XVII. Cap. XII. p. 136.

m.) Lib. XXVI. Cap. V. 352.

n.) Lib. XXIX. Cap. VI. p. 447.

muniendorum limitum, gloriosa quidem, sed nimio, ab ipso principatus initio flagrans, trans flumen Histrum, in ipsis Quadorum terris, quasi Romanorum iuri iam vindicatis, ædificari præsidiaria castra, mandauit: quod accolæ ferentes indigne, suique cautiores, legatione tenus interim, & susurris, arcebant. In his profecto castris, *Pisonium* fuisse, eo minus dubitamus; quo maior inde Romanis, *Carnunti* excubantibus, accessit opportunitas. Interim, triste hinc conflatum bellum fuit, atque, legionibus *Pannoniæ*, & *Moesiæ*, propemodum exitiabile; mox tamen, *Theodosii* iunioris virtute, terminatum. *Gabinium* videlicet, *Quadorum* regem, *Marcellinus*, Valeriæ dux, ad conuiuium pellectum, hospitalis officii sanctitate nefarie violata, trucidauerat. *Cuius rei tam atrocis, disseminatus rumor illico per diuersa, & Quados, & gentes circumsitas, efferauit.* Pacatis quomodocunque rebus, *Valentinianus*, insolentiam *Quadorum* non ferendam ratus, bellum *Carnunti (o.)* toto trimestri comparat, traiectoque, ad *Aquincum*, *Danubio*, hostes, in suo ipsorum solo, adortus, profligat. cladem eam breui post, sua ipsius morte, pensaturus. Cum enim *Quadorum* legati, de pace acturi, populares purgant, atque violatos a Romanis fines suos, condita, intra hos, præter ius & fas, castra, acerbius, quam voluisset VALENTINIANVS, queruntur, ira percitus, ictu sanguinis exstinguitur.

§. X.

Auctoris, circa ea, quæ dixit, instituturn.

NOn potuimus ista siluisse; ne obscuras, ex se, *Pisonii* origines, non illustratas, dimitteremus. Illud iam in confesso est, vrbi, & nomen, & accessiones, dedisse *Romanos*, sæpius, inde ab *Augusti* æuo, rerum, hac ripa, potitos, atque iterum iterumque depulsos a *Quadis*. Quo circa, communia loci fata, cum *Romanorum*, & *Quadorum* gestis, fuisse oportuit: quæ ideo, per temporum hæc vestigia, iuuit excussisse; saltem, lusisse nos operam, nemo, nisi antiquitatis, aut ignarus, aut fastidiosus, adfirmauerit. Nunc, reliquas vrbis conuersiones, historiam sequuti, videamus.



o.) Idem AMMIANVS, Lib. XXX. Cap. V. 462.

CAPVT II.

PERIODVS PISONII BARBARICA,

Siue,

De Fatis Vrbis, ſub Hunnis, Francis, Maharenſibus, Auaribus, & Hungaris.

SYNOPSIS.

Hunnorum, *in Europam irruptio: ſedes, ab iis dilatatæ:* Attilæ *potentia: Jazyges, Marcomanni & Quadi, ab eo ſub poteſtatem miſſi: in eius exercitu militant.* §. I.

Piſonii, *Hunnis irrumpentibus, fortuna:* Attilæ, *iter hac factum: Quadorum, &* Piſonii, *ab Hunnis, defectio.* §. II.

Quadorum, & Piſonii *fata, poſt mortem* Attilæ. §. III.

Slauorum *iſthuc immigratio: Morauorum nomen vnde:* Piſonii, *ex Auarum aduentu, fata: vrbs inter Maharenſes, & Auares, media, cladibus non caret.* §. IV.

Auarum, poſt Phocæ ætatem, res: Piſonii *fortuna.* §. V.

Bellum, in Auares, Carolinum: Piſonium, *a Francis inſeſſum:* Carolus M. *Piſonium inuiſere potuit.* §. VI.

Slaui debellati: quid inde Piſonio *euenerit: Maharenſium iniqua fata: excuſſum e manibus eorum* Piſonium. §. VII.

Noui in Morauia, a Suentibaldo, tumultus moti, turbatum eo bello Piſonium. §. VIII.

Præcipua, ſub Arnulpho *Cæſare,* Piſonii *conuerſio:* Hungari *a Leone VI. Conſtantinopolitano imperatore: dein ab* Arnulpho, *in auxilium euocati.* §. IX.

Braczlaui, *Slauoniæ ducis, in eo bello ſuppetiæ:* Breslaburgum *an ex eius nomine adpellatum?* §. X.

Suatoplugo *mortuo, Morauia, filiis eius traditur; forte &* Piſonium: *Hungari inualeſcunt: Morauiam, & in ea* Breslaburgum, *ſeu* Piſonium, *occupant:* Lupoldum, *cum exercitu, in vrbis conſpectu, triduana pugna, delent:* Ludouicum *imperatorem, cladem Lupoldi vlturum, vincunt:* Piſonium *prorſus ſuæ ditioni ſubiiciunt.* §. XI.

§. I.

§. I.



VADORVM gente, ſiue pace mitigata, ſiue repreſſa armis, nouus Europam turbo corripuit. HVNNI, ſæuum genus, vltra paludes Mœoticas, ad glacialem vsque Oceanum, colens, magnis agminibus, irruperunt. Non eſt animus, ſed neque opus, vt *Hunnorum* actus ſigillatim recognoſcamus. Hoc certe neceſſarium; vt, qua fuerit fortuna, in tanta Europæ fluctuatione, hic *Quadorum* limes, *Piſoniumque* noſtrum, omni cura ſtudioque expromamus enitus. Primi *Hunnorum* impetus, *Alanorum* domatione, & depulſione *Gothorum*, terminabantur. quod imperante *Valente*, *Gratiano*, & *Valentiniano* iuniore, Anno CHRISTI CCCLXXV. euenit. Mox, ſerpente latius, habitandi, an graſſandi libidine, *Scythicus* Iſtri limes, ſuperabatur. Itum poſtea fuit in *Pannonias*, illinc, hinc, in *Jazygum*, & *Quadorum* vsque regiones. Iſta, nondum *Attila* rerum potito, *Hunni* occupauerant. qui[1] demum, regia auctus dignitate, temporarias *Hunnorum* ſedes, plane confirmauit, effecitque breui, vt ex his terrarum angulis, oriens, iuxta & occidens, concuteretur. Huc BONFINII *(a.)* locus pertinet. *Hunni*, inquit, *qui Europam traiecerant, Oſtrogothasque domuerunt, imperium prorogare pergunt. Quidquid intra Tanaim, ac Tauricam Cherſoneſum eſt, in ſuam ditionem redigunt. Tanaitæ, Roxolani, Alani, Cariones, Amaxobii, Budini, Sturni, Vbiones, Acibi, item Nauari, Sarmatæ, ac Venedici, ab his leges accipiebant. Etiam Chuni, Baſterni, & cum Peucinis, Carpiani, magno pacem ſtipendio, mercabantur. A Ponto, Moeoti, Tanaique, Hunni, ad Danubium vsque, & ad Germaniam, Sarmaticumque ſinum, omnia cæde & terrore compleuerant, muniuerant regnum, ſæuumque imperium, vsque quaque gerebant.* Iſto impetu, *Jazyges* quoque, *Quados*, & *Marcomannos*, ſub poteſtatem ab *Hunnis* fuiſſe miſſos, inde colligas, quod ATTILA regiam ſuam, teſte PRISCO RHETORE, in patentibus illis campis, qui inter *Danubium* & *Tibiſcum* latiſſime procurrunt, poſitam habuerit. Hinc vero, quin & vicinos *Quados*, horumque caſtella limitanea, ditioni ſuæ adiecerit, eo minus ambigi poteſt; quo magis conſtat, id dediſſe *Hunnos* operam, vt ferociſſimas quasque gentes, vel metu, in armorum ſocietatem pertraherent, vel aperta vi, ſubiugarent. Non ſinit nos dubitare hiſtoricus, *(b.)* cum bellicos, ATTILAE adparatus, deſcribit. *Non ſolum*, inquit, *per vniuerſam Scythiam, delectum habuit, verum etiam, auxiliares, quascunque potuit, copias, vndiquaque contraxit. Cui ſe ſocios pariter addiderunt, Ardericus Gepidarum rex, item Walemir, Theodemir, Windemirque, fratres, qui Oſtrogothis*

Hunnorum *in Europam irruptio:*

ſedes ab illis dilatatæ:

Attilæ *potentia:*

Jazyges, Marcomanni, & Quadi, ab eo ſub poteſtatem miſſi:

in eius exercitu militant.

a.) Decadis I. Lib. II. p. 42, 25. | *b.)* Dec. I. Lib. IV. p. 58, 6. & 22.

this imperabant. Acceſſere quoque MARCOMANNI, *Sueui*, QVADI, *Heruli, & Turingi, pari ſpe prædæ ducti.* Vides, *Quados*, in ATTILAE ſocietate! Itaque, euaſtata *Germania* vlteriore, citeriorem hanc, ne contemerauit quidem *Attila*, ſicuti ibidem meminit BONFINIVS. *Magnæ*, inquit, *Germaniæ pepercit, quia Marcomanni*, Quadi, *& Sueui, quos cum* ATTILA, *commilitare diximus, e Rhætiorum, Vindelicorum, Superiorisque Pannoniæ conſpectu, vlteriorem Danubii plagam, habitabant.* Tantum Quadis profuit, inita cum ATTILA ſocietas!

§. II.

Piſonii, Hunnis *irrumpentibus, fortuna:*

ECqua vero, tunc fortuna *Piſonium* fuiſſe credemus? Id certe, *Quadorum* cognitis rebus, non eſt difficile augurari. Intemerata manſit, tota hæc *Danubii* ripa, ad *Sueuorum* vsque ſedes. Proinde, noſtrum quoque, ſeu caſtrum, ſeu oppidum, eadem illa, hoc eſt, benigniore fortuna, vſum eſt. Suſpicamur tamen, inſediſſe id *Hunnorum* præſidia; vt ſibi traiectum præmunirent *Danubii*, ſociosque *Quados*, fluctuare adſuetos, in officio continerent. Diſerte BONFINIVS, muniuiſſe regnum *Hunnos*, ſupra memorauerat. Id vero, locis maxime idoneis, qualem noſtrum hunc eſſe, res ipſa loquitur, feciſſe putandi ſunt. Cum ab expeditione *Gallica*, quam *Catalaunica* illa clades, mirum in modum fœdauerat, victorem nihilominus exercitum, in *Pannonias* reduceret ATTILA; iſto *Danubii* latere, profectum fuiſſe, BONFINIVS (*c.*) auctor eſt. *Per magnam*, inquit, *Germaniam, Scythicas gentes, in inferiorem Pannoniam reuocauit, Sicambriæque, Marti Deo, victimas mactauit, dicauit exuuias, & ſpectacula multa edidit.* Nempe, hac iter fecit; vt feſſum, *Attilæ iter, hac factum:* longa expeditione, militem, *in ſociorum terris, & inter* proficiſcendum, refoueret. Itaque, *potuit tunc Piſonium* vidiſſe ATTILA, forte, traiectus in *Pannoniam* ſuperiorem opportunitate, huc illectus. Bello demum *Italico*, quod non minore, ſiue adparatu, ſiue crudelitate, quam *Gallicum* illud, geſtum eſt, quia adhuc ATTILAE obnoxii fuere *Quadi*, res *Piſonii*, ſecuras fuiſſe oportuit. Sed, redux ATTILA, paratum, in thoro ſponſæ, fatum, vt vulgus hiſtoricorum exiſtimat, reperit. Ergo, tyranni morte, vt fit, celeriter diuulgata, quidquid populorum, ſeu adſciuerat in fœdus, ſeu ſub iugum miſerat, nouarum rerum ſtudio, diſſipatum eſt. *Id ipſum*, inquit BONFINIVS, (*d.*) *Marcomanni, Eruli, Turingi & QVADI, factitant, neque poſt* ATTILAM, *in* Ernaci *&* Durichi, *Attilæ filiorum ſeruitutem, recidere patiuntur.* Igitur, *Piſonienſes* etiam *Quadi*, verſa in rem ſuam, opportuna adeo occaſione, iugum, quod hucusque tolerauere, excuſſiſſe cenſendi ſunt.

Quadorum, & Piſonii, ab Hunnis, defectio.

§. III.

c.) Decad. I. Lib. v. p. 84, fine.

d.) Dec. I. Lib. VII. p. 106, 22.

§. III.

Quadorum, & Piſonii fata, poſt mortem Attilæ.

HVcusque, ATTILAE fortuna, *Quadorum*, iuxta & *Piſonii* res, moderabatur. Eo exſtincto, certatim ad libertatem adſpirantibus populis, nouæ bellorum occaſiones, quaſi iacta ſemente, paſſim naſcebantur. Et *Pannoniam* quidem, *Gothi*, qui filios ATTILAE vicerant, partitis regionibus, a *Syrmio*, *Vindobonam* vsque, occupauerunt. Gentes Transdanubianæ, multis conflictatæ cædibus, nunc dabant clades, nunc accipiebant. Huc bellum referas *Odoacharis*, de quo ita WARNEFRIDI: (*e.*) *His temporibus*, inquit, *inter Odoachar Gothorum, & Feletheum, Rugorum regem, magnarum inimicitiarum fomes exarſit, qui Feletheus illis diebus, vlteriorem Danubii ripam* (hoc eſt Piſonii viciniam) *incolebat, quam a Norici finibus idem Danubius ſeparat.* Cum hoc ergo *Odoacer*, ſuperato Danubio, vt BONFINIVS addit, (*f.*) *conflixit, regem interfecit, Rugos, ad internecionem pene deleuit, eorum prouinciam* (cum Piſonio) *ne amplius habitari poſſet, totam ferro, ignique vaſtauit.* Deletis, igitur, ex collimitio hoc, *Rugiis*, ſucceſſere *Longobardi*, iam ſecundo, ditionis *Rugiorum*, occupatores. (*g.*) *Exſtincto* namque *Feletheo, Rugiorum* rege, *Longobardi*, (*h.*) *de ſuis regionibus egreſſi, venerunt in* RVGILAND, *quæ latino eloquio, Rugorum patria, dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis;* donec iterum ad campos patentes, qui *Feld* adpellantur, quos in *Marchfeld*, vltra Danubium, ponit SCHÖNLEBENIVS, adeoque, ad *Piſonii* viciniam, acceſſiſſent. *Rugiorum* reliqui, (*i.*) partim, cum *Gothis*, in Italiam conceſſerunt, partim in Gepidarum ſedes migrarunt, conſenueruntque inter Sarmatas, *inglorii.* Sed, anne, cum hac *Rugiorum* fortuna, *Quadis* aliquid fuit commune? *Placet docta* SPENERI (*k.*) coniectatio. *Eo vsque*, inquit, *donec Roma ſuis fatis fungi inciperet, proprio nomine cogniti* Quadi *fuerunt, & prope ſemper in* Marcomannico *fœdere, quod antiquitus coluerant. Quinto autem ineunte ſeculo, cum Marcomannis, rarius Quadicum audiri nomen cœpit: ad aliud gentium fœdus, tranſitionis tunc factæ, idoneo argumento. Marcomannos arbitrati ſumus, cum Gothis migraſſe, & partem fortaſſis, in Boioariorum nouum nomen, cum* Buriis, *aliisque nationibus, conſenſiſſe. Cum ſolis ſtandum ſit coniecturis, non errauerit, qui æque, ac Marcomannicam ciuitatem, ſic Quadicam, in plures dilapſam eſſe partes, & ad diuerſas confluxiſſe ſocietates, cenſuerit.* Certe, *Gepidæ, Heruli, atque Longobardi, Romano exſpirante imperio, tumultuarias ibi occuparunt, verterunt, atque communi-*

 uerunt,

e.) DIAC. VARNEFRIDI, Lib. I. Cap. 19. p. m. 21.

f.) Lib. VIII. Dec. I. p. 108, 7.

g.) Confer omnino, IOH. LVD. SCHÖNLEBEN, Annalium Carniolæ Antiquæ & Nouæ, Partem III. ad A. Chriſti CCCCLXXXIII. ſequentes, p. 284.

h.) Vtimur verbis WARNEFRIDI, l. c. p. 22. Adde laudatum SCHÖNLEBENIVM p. 285.

i.) Confer IACOBI CAROLI SPENERI Germ. Antiq. Lib. v. Cap. IV. p. 51.

k.) Loco citato, Cap. VI. §. XIX. p. 154.

uerunt, ſedes, vbi paullo ante Quadi *egerant. vt ſit prorſus ſtatuendum, vnum alterumque illorum nominum, Quadicum ſimul comprehendiſſe.* Ad hunc ergo modum, *Quadorum* nomen exoleuit, *Piſonium* autem noſtrum, nunc in *Rugiorum*, mox in *Herulorum*, denique in *Longobardorum*, poteſtatem conceſſiſſe, exiſtimandum eſt.

§. IV.

Slauorum *iſthuc immigratio:*

EMigrantibus hinc *Germanis*, *Sarmatæ* ſucceſſerunt. Cum enim illi, in *Gallias*, Hiſpanias, Italiam, in Noricum, Rhætias, inque Pannonias, atque toto diſiunctam cælo, Britanniam, & Africam, effunduntur, patriam propemodum inanem relinquunt. Tunc ergo, immenſa vis Sarmaticarum gentium, vacuefactas Germanorum ſedes, occupauit, tenuitque, vsque ad CAROLI M. ætatem. Præcipui in his *Venedi*, & *Slaui* fuere: quippe qui, totam eam Germaniam inſederunt, quæ ab ortu *Viſtula;* ab occaſu *Albi;* mari *Sueuico*, ab occidente; denique, a meridie *Danubio*, circumſcribitur. Varia, ſingulis populis, vel a regionibus, quas incolebant, vel ab amnibus, quibus adſederant, nomina ſunt enata: quæ iam non vacat *(l.)* explicare. *Slauorum* illis, qui ad *Marum*, ſedes fixerant, ab eodem amne, *Maharenſium*, & *Marauanorum* nomen, inditum: & patrio ſermone, *Morawcy*. Gens, inter Slauicas, potentiſſima, ideoque, a popularibus, magni ſemper habita. In huius certe poteſtatem venit tunc *Piſonium*; vt non immerito opinemur, hybridum illud vrbis vocabulum, quod ſupra excuſſimus, *Presburg*, ſub horum dominatione, voce ex *Slauo*, & *Germano* idiomate, concreſcente, *(m.)* enatum eſſe. Quo autem loco, res *Piſonii* fuerint, difficiliter coniectaueris; niſi bellorum, eius temporis, *hiſtoriam penitius introſpicias.* Eadem ætate, cum iſthic *Maharenſes* inualeſcerent, *Auares*, in Pannoniis, ſedes iam poſuerant: itaque, mutuis ſe, gentes ferociſſimæ, iniuriis laceſſebant. *Longobardos* certe, iam tum anno IↃCLXVIII. e Pannonia demigrare coegerant *Auares*, *Francicis* hinc, Romanorum illinc, nunc fœderibus, nunc tributis, ſuperbientes. Exſtat de *Slauinorum*, & *Auarum* diſſidiis, locus apud MENANDRVM, *(n.)* prorſus inſignis, quem exhibuiſſe, non ab re fuerit: *Baianus*, inquit, (qui frequentius *Chaganus* dicitur) *in vlteriorem fluminis Iſtri ripam transgreſſus, vicos & pagos Slauinorum, igni ferroque vaſtauit: & cum nemo barbarorum auderet, cum illo manus conſerere; etenim in ſiluas & cauernas aufugerant; omnia, quæ potuit, rapuit. Atque huic Auarorum, in Slauinos eruptioni, non ſola Cæſaris legatio cauſſam dedit, aut quod Baianus, Romanis gratiam referre vellet; quod eum Cæſar liberalitate proſecutus fuerat: ſed etiam priuatæ eum inimicitiæ monebant, quia Baianus, Slauinis*

Morauorum *nomen vnde?*

Piſonii, *ex Auarum aduentu, fata:*

l.) Excuſſit ea, laudatus SPENERVS, in Germania Media Cap. IV. §. III. p. 387. 388.

m.) Vide, idem iſtud Cap. II. §. XI.

n.) De Legat. Lib. VIII. p. 165.

uinis fuerat priuatim infenſus. Miſerat enim Auarorum dux, ad Laurentium, (in Græco Λαυρίτας, *Lauritas*, mox legitur) *Slauinorum ducem, & eos, qui apud gentem auctoritatem habebant, vt Auaris dicto audientes eſſent, & eorum numero ſe adſcribi ſinerent, qui tributa illis pendebant. At Lauritas, & gentis principes: Quis hominum, inquiunt, eſt, qui ſolis radiis tepeſcit, qui noſtram potentiam poſſit ſibi ſubigere, & domare? Aliorum enim regionis dominatum acquirere ſolemus, non alii noſtræ: qui nos certo manet, donec erunt bella & enſes.* Et paullo poſt: *Slauini, cum iræ moderari nequirent, legatos, qui ad ſe venerant, occiderunt.* En diſſidiorum cladisque cauſſas! Sed, qui, quæſo, hi *Slauini* fuerunt? OTROKOCSIVS *(o.)* Bulgaros exiſtimat: dubito, an recte. *Chaganus* enim, Pannoniis tunc potiebatur, cum a Romanorum imperatore, ad domandos *Slauinos* inſtigaretur. Hinc transmittendus fuit *Iſter*, profectionem ſuſcipienti. Sed, an in *Maharenſes*, vel *Jazyges?* non auſim definire. Quidquid eius ſit: certum eſt, *frequentibus ſe mutuo bellis*, Slauos, Auaresque, adflixiſſe. *Piſonium* ſane, inter vtrosque, *Auares*, & *Maharenſes* Slauos, medium, atque Danubii traiectu, in primis nobile, multum illinc traxiſſe calamitatis, vltra veri ſpeciem, credibile eſt. Sed, nec tunc ſine periculo fuiſſe exiſtimarim *Piſonium*, cum facta latrociniorum ſocietate, *Auares Slauique*, prædas, coadunatis exercitibus, agitarent; hinc in *Boios, Noricos, Rhætiosque;* illinc, ad macrontychon vsque, Conſtantinopolis ſepimentum, infeſtis armis diſcurſantes.

vrbs, inter Maharenſes & Auares media, cladibus non caret.

§. V.

HAec ad *Phocæ* vsque ætatem geſta ſunt. Poſt HERACLII tempora, *quem male* adflixerunt *Auares*, diutius, quam pro gentis ingenio, *quieti*, ſine hoſte, Pannonia potiebantur. Luculenter NICEPHORVS: *(p.) Abari*, inquit, *qui in Europa & Pannonia ſedes habent.* Et alibi: *(q.) Pannonia, quæ nunc ſub Abarorum poteſtate eſt.* Atque illa ego tempeſtate, *Slauos*, cis & vltra *Danubium*, late colentes, vel in obſequio *Auarum*, vel certe, rationibus eorum, pactis, ex more, fœderibus, irretitos fuiſſe, exiſtimarim. Cuius vero tunc *Piſonium* ditioni adſcribemus? *Slauis* equidem ereptum nolim: quippe, hac ora rerum dominis; neque tamen perſuaderi mihi patior, non dediſſe operam *Auares*, quin locum, traiiciendis ex Pannonia, exercitibus, vnice opportunum, ſeu vi, ſeu fœderum lege, ſub ſuam miſerint poteſtatem. *Chagani* certe, gentis bellicoſiſſimæ duces, id elaborabant; vt propagatis, quam latiſſime, finibus, limites tutos haberent, ſecurique, ab hoſtium incurſu, intra ſedes ſuas, belli pacisque temporibus, agitarent. Latus profecto *Danubii* vtrumque, tenuerunt *Auares*, inde ab vltimis Iazygum Metana-

Auarum, *poſt Phocæ ætatem, res:*

Piſonii *fortuna.*

o.) Originum Hungar. Parte I. Cap. V. p. 213.

p.) Hiſtor. Lib. VII. Cap. VII.

q.) Breuiario Hiſt. p. 23.

tanaſtarum regionibus, in mediam vsque *Boioariam.* Exſtant apud AVENTINVM, vrbium & munimentorum, quæ aquilonari hac regione poſuerant *Auares*, nomina. *Vnum*, inquit, *(r.) ſuper Cambum fluuium, haud procul ab vrbe Chremſa, ſeptentrionem ſpectabat.* Atque paullo poſt, cum bellum CAROLI M. aduerſus citeriores Auares, proſequitur: *Tudunus*, inquit, *vltra Danubium, in ea regione, quam Ptolemæus Jazygas habitare tradit, ſupra Tibiſcum amnem, occidentem verſus regnauit; eius regionis caput* Bormanon, *prætorium Tuduni: qui ibidem ſepultus eſt, haud procul ab Agria.* Fallor, an non Tudunī huius dominatio, ad *Maharenſium* vsque fines noſtrumque adeo *Piſonium*, pertingebat? Coniectatu pronum eſt; quoniam, in muniendis finibus, extra modum ſolertes fuerunt *Auares*, non vno, ripam Danubii aquilonarem, propugnaculo, fuiſſe præmunitam. Hinc, & CAROLVS M. vtraque ripa, expeditionem in *Hunnos*, æquo, vtrobique exercitus robore, ſuſcipere neceſſum habebat. Ita AVENTINVS: *Partito exercitu, Theodoricus, nothus* CAROLI, *& Magofridus cubiculi præfectus, cum Saxonibus & Friſiis, in aquilonari ripa; altera parte ipſe, cum Franconibus, & Sueuis; in medio Danubio, Pipinus, cum Boiis ac claſſiariis, qui annonam deuehebant, ſecunda aqua vectus, infeſta, intentaque acie, pulſis præſidiis hoſtium, ad fines Hunnorum, vsque ad Auarorum munimenta, procedunt: vnum ſuper Cambum fluuium - - alterum iuxta Comagenos, oppidum in monte Camenberg, ad auſtrum vergens, vallo firmiſſimo erat cinctum. Fuſis hoſtium præſidiis, huiusmodi munimentis captis, exciſis, omnia ferro, igne adteruntur.* Limitanea hæc propugnacula fuere; magni vtique roboris. Neque nuda munitionibus regionis interiora, fuiſſe arbitror. in quibus *Brodsburgum*, ſeu *Breslaburgum*, hoc eſt, *Piſonium* noſtrum. Igitur, eadem, *quæ* reliquarum vrbium, atque arcium, *Piſonii quoque fata tunc* fuiſſe, oportet. Nempe, depulſis *Auaribus*, aut æquatum ſolo fuit, aut certe, quod cum prouidentia CAROLI magis congruit, *Saxonum, Friſiorumue*, præſidio firmatum, vt claſſi, quam in *Danubio* habebat, eſſet perfugio.

§. VI.

Bellum, in Auares, Carolinum:

OCtennii ſpatio bellum hoc *Auaricum*, trahebatur. Cuius hiſtoriam ex EGINHARTO, retuliſſe iuuerit. *Maximum*, inquit, *omnium, quæ a* CAROLO *geſta ſunt, bellorum, præter Saxonicum, huic bello ſuccedit, illud videlicet, quod contra Auares, ſeu Hunnos ſuſceptum eſt. quod ille, & animoſius, quam cetera, & longe maiori adparatu, adminiſtrauit. Vnam tamen, per ſe expeditionem fecit. Ceteras, filio ſuo Pipino, ac præfectis prouinciarum, comitibus etiam atque legatis, perficiendas commiſit. Quod cum ab his ſtrenuiſſime fuiſſet adminiſtratum, octauo tandem anno, completum eſt.* Hactenus EGINHARTVS,

r.) Annal. Boiorum, Lib. IV. p. 250. Edit. Baſil.

tvs, ex quo BONFINIVS, *(s.)* mutata aliquantum, pro ſuo more, dictione, eadem repetit. Toto eo octennio, in poteſtate CAROLI fuiſſe *Brodsburgum*, ſiue *Breslaburgum*, non ſine ratione, auguror. Nempe, habitus belli ſuadebat, peruium claſſi, & liberum ab inſeſſoribus, *Danubium*, habere. Itaque, impoſitos credo *Saxones, Friſioſue*, qui locum præſidio munirent, claſſemque, hac vectam reuectamque, tutarentur. CAROLVS interim, primi anni expeditione, proſpere confecta, prolatisque *Taurunum* vsque, ſignis victricibus, per *Dacos, Jazyges, & Maharenſes*, in *Franciam*, ouans redit. Ex itinere, inſulam *Danubii*, quo Iaurienſi prælio, maxima *Auarum* pars, cum vxoribus ac liberis, confugerat, expugnandam ſtatuit. Ergo claſſe adaucta, totam, quaſi indagine, incinxit, poſteaque, qua validiſſimi conſederant *Auares*, tridui oppugnatione, deiectis præſidiis, quæ caſtellis impoſita fuerant, occupauit *Nam inſulani*, vti habet BONFINIVS, *(t.) iniqua ſuorum fortuna conſternati, obſtinatius reſiſtere verebantur, ne quid crudelius experirentur, & faciliorem ſane deditionem diſtulerant, Danubii vaſtitate, munitionibusque freti. Quum e Gallis pauci cecidiſſent, cum victis haud inclementer actum, fortunæ, cum armis, omnes ademtæ, leges, cum præſidiis, vbicunque res tulerat, rite impoſitæ.* Cituorum hæc fuit inſula, quam Hungari *Csallóköz*, Germani *Schütt* vocant; quippe Iaurienſibus, vbi acerrime depugnauerant *Auares*, ad occultandum ſe, vnice opportuna. Huc delatus CAROLVS M. non potuit non, & inuiſere *Piſonium*, ad *Danubii* diuortia, qua init ea inſula, poſitum, & niſi ante id factum eſt, idem ſuis præſidiis munire. Ex eo tempore, *Germanico* milite, *colonoque*, inſeſſum, defenſum, habitatumque fuiſſe *Piſonium*, credimus; vsque dum CAROLVS, *Auarum* domitor, in viuis eſſe deſineret. Qua tempeſtate, *Slauo-Germanicum Breslaburg*, ſeu *Brodsburg*, commutatum in *Presburg*, exiſtimaremus; *niſi & infra*, opinandi ea de re, eſſet campus.

Piſonium, a Francis inſeſſum:

Carolus M. Piſonium *inuiſere potuit.*

§. VII.

VIcerat CAROLVS, *Slauos* quoque, late, vltra *Danubium*, in ſeptentrionem, habitantes, atque in his *Bohemos* potiſſimum, forte & *Maharenſes*. Sed, optimo Cæſare, ætate non minus, quam rerum geſtarum gloria, oppido graui, A. DCCCXIV. e viuis excedente, ingens vbique rerum conuerſio, ſequuta eſt. Quo enim *Auares*, fidem CHRISTI amplexi, mitius ſe, poſt Carolinum bellum, ſub LVDOVICO *Pio*, geſſerunt; eo maiore ferocia *Slaui* cœperunt res nouas moliri; potiſſimum in *Pannonia* illi; nam, qui cis *Danubium* ſedes habebant, muneribus miſſis, LVDOVICVM, anno DCCCXLII. coluerunt. Sed hi quoque, ſub LOTHARIO, & LVDOVICO II. ad ingenium redeuntes, ſemel iterumque, non ſine Cæſariani exercitus clade, rebellarunt. Quid vero tunc, *Piſonio* euenerit, in de

Slaui debellati:

Quid inde Piſonio *euenerit:*

s.) Dec. I. Lib. IX. p. 139, 20. | t.) Ibidem, p. 142, 49.

de coniicio, quod *Maharenſes*, ſuperato ſæpius Danubio, nunc in Noricum, nunc in Pannoniam, infeſtis ſe agminibus, effuderint. Itaque, *Piſonienſem* hunc traiectum, tota, quam inſidebant, regione, facile commodiſſimum, præſidio muniuiſſe, e re *Slauorum* fuit. Sed annus demum DCCCLXIX. exitioſus *Maharenſibus* incubuit. *Raſtices* tunc, rebellanti multitudini præerat, ferox, iam antea, *Morauorum* regulus. Huic domando *Carolomannus*, Carniolæ dux, idemque Lvdovici II. filius, cum exercitu miſſus, gemino prælio, hoſtes fudit, datisque ad patrem, laureatis litteris, id apud eundem obtinuit; vt, nouo habito delectu, ipſe, in fractos *Morauos*, expeditionem adpararet. Iamque in procinctu erat, cum morbo correptus, *Carolum*, natu minimum, exercitui, auſpicato præficit. Iuit in eam expeditionem *Carolus*, animo excelſo. Sed *Raſtices*, ne congredi neceſſum haberet, per munimenta regionis diſcurrens, perſequentem *Carolum*, eludebat, cunctando vires acciſurus. *Carolus* contra, moræ impatiens, ingenti virium contentione, ipſas munitiones adgreſſus, clauſtra perrupit, muros diſiecit, pleraque *Raſticis (u.)* latibula, occupauit; cetera, populatione, ferro, flammis, peſſumdedit. Si auſim coniicere, in eandem fortunam *Piſonium* incidiſſe, dixerim: maxime, quod in Pannonia ſuperiore, *Carolomannus*, Maharenſium nuper victor, *Suentibaldum*, eiusdem *Slauicæ* gentis regulum, vaſtatis late agris, ad implorandam pacem, coegerat. Profecto, plane inducor, vt credam, excuſſum, e *Maharenſium* manibus, *Piſonium*, Lvdovici II. præſidia, vt liber eſſet *Danubii* traiectus, ſi remorderent fræna *Slaui*, recepiſſe.

Maharenſium iniqua fata:

excuſſum e manibus eorum Piſonium.

§. VIII.

AT enim, cum paucis *poſt annis*, *ob* captum, a *Carolomanno*, iniuria, *Suentibaldum*, tametſi abſolutum a Lvdovico, atque cum muneribus dimiſſum, nouos motus cierent *Maharenſes*, *Piſonium*, contemerari denuo oportuit. Alte, in animum demiſerat *Suentibaldus*, carceris, & vinculorum iniuriam; proinde, ſimul in *Morauiam* rediit, (vbi ſe, tumultuario comitio, *Sclagamarus*, per *Suentibaldi* abſentiam, regem creauerat) cives ad arma conuocat, in *Boios* mouet, atque late graſſatus, partim cædit, partim in captiuitatem agit obluctantes. Subita hæc gentis defectio, coegit Lvdovicvm, vt ad coercendos *Maharenſes* animum adiiceret. Igitur, anno DCCCLXXI. ineunte *Maio*, ingens Saxonum, & Turingorum, exercitus, in Morauos mittitur; inſigni clade mox adfectus. Succeſſit, dilapſis, *Carolomannus*, at infelici euentu. Enim vero, poſt illatas Maharenſibus clades, non vno prælio victus, poſtremo Danubiali claſſe exutus, hoſtibus victoriam, ſibi ignominiam, peperit. Valebant nauali adparatu *Boii*. Hunc ergo, ex improuiſo adortus *Morauus*,

Noui in Morauia, a Suentibaldo, *tumultus moti:*

u.) Legendus omnino hic eſt Schönlebenivs, Annal. Carn. P. III. p. 439. ſeqq.

rauus, partem militum internecione deleuit, partem in flumen egit, quos gurgites hauſerunt. Hoc bello, quin conturbatum ſit *Piſonium*, is negauerit, cui ſitus loci, ad claſſes adpellendas, ignotus eſt. His profectibus, inualeſcebat *Suentibaldi* potentia, regibus vicinis, non ſpecta modo, ſed etiam formidoloſa. Vix vlla vnquam, homini irrequieto, ab armis ceſſatio fuit. *Marchiæ* in primis *orientlis* præfectos, ferre nolens, non vni ſe bello implicuit, cauſſas facinorum ſæpe adferens, ex latrocinandi libidine profectas; raro, ab iniuriis petitas, quas armis decuiſſet propulſare. In his Arnvlphvs erat, *Carniolæ* tunc dux, qui ſibi curam eiusdem Marchiæ, ab imperatore commendatam habebat, cum quo, & multæ, & graues *Suentibaldo* intercedebant ſimultates, quaſi hoſtes ſuos in ſinu aleret, armaretque in ſui exitium. Itaque, non *Arnulphum* modo, ſed *Auſtriam* quoque, malis infinitis, ſubinde adficiebat: anno maxime DCCCLXXXIV. Tunc enim, euaſtata *Pannonia* ſuperiore, quæ *Marchia* orientalis dicebatur, iam vero *Auſtriæ nomine venit*, præfectos ſimul, Megingothum, Popponemque, occurrere auſos, profligat, inque *Arrabonem* impellit. *Sex menſes, ſupra biennium, ea ſæuities continuata eſt, cum tandem* Carolvs *imperator, exulum lamentis, velut a ſomno excitatus, arma corripuit, promotisque, ad amnem Tullinam, caſtris, accedentem Suentibaldum, in monte Comageno, ad colloquium admiſit, & inuocato ſacramento, pacem pollicentem, recepit in gratiam, ea lege, vt Pannonia abſtineret, nec clientibus imperatoris deinceps moleſtus eſſet:* verba ſunt Schönlebenii. *(v.)* Eædem pacis conditiones, & cum *Arnulpho* duce, biennio poſt, hoc eſt, anno DCCCLXXXVI. interpoſita iuris iurandi religione, præſentibus *Bauariæ*, & vicinarum prouinciarum rectoribus, confirmatæ ſunt. Quæ cum fiebant, *Piſonium*, præſidio *Suentibaldi*, vt haberet, qua in *Morauiam*, ex Pannoniis traiiceret, tenebatur; certe hoſtes recepiſſe nequiuit, perpetuis *Morauis*, impreſſionibus fractos.

turbatum eo bello, Piſonium.

§. IX.

ARnvlpho ad faſces imperii, nil penſi habita natiuitate; nothus enim *Carolomanni*, Carniolæ ducis, fuit; euocato, præcipua *Piſonii* conuerſio ſecuta eſt. Volebat Arnvlphvs, *Suentibaldum*, nouarum rerum, cædiumque & rapinarum cupidiſſimum, nuper tamen ſibi reconciliatum, quocunque poſſet modo, in officio continere. Proinde, ſuo, an aliorum errore, circumuentus, *Bohemiæ* ducatum, *(x.)* inueterato Boiici nominis hoſti, offert: ratus, fore, vt ſe a bellis, tanto beneficio, retrahi, atque ad pacem colendam, honeſtiſſimis iſtis auctoramentis, adduci patiatur. Sed res, quam putarat *Arnulphus*, longe aliter cecidit. *Suentibaldus* enim, quem & *Suatoplugum*, eius ætatis ſcriptores vocant,

Præcipua ſub Arnulpho *Piſonii conuerſio:*

v.) Loco citato, p. 456. ſeqq. Vide, citatos illic, *medii æui*, ſcriptores.

x.) Annales Fuldenſes: & Regino ad annum DCCCXC.

cant, opimæ regionis acceſſione, tumidior ferociorque factus, contra *Arnulphum* rebellat; rem tamen, dum adpararetur expeditio, occultiſſime habet. Eo intellecto, *Arnulphus*, imparatum adhuc, in Morauia adoritur, cumque *Suentibaldus* aperto Marte, congredi cum imperatore non audet, ille regionem, quam latiſſime potuit, ferro, & igni vaſtat, hoſtem *Suentibaldum*, maiorem mox ſtragem editurus, adigit, vt ſupplex, oblato in obſidem filio, pacem redimeret. Dubito, an non aliquid tunc cladis, ſi non *Piſonium*, ager ei circumfuſus, acceperit. Cum hæc apud *Maharenſes* geruntur, HVNGARI, ſuis e ſedibus, a *Peucenatis* depulſi, in trans Iſtranas regiones, aduenerant. Opportunus, ferociſſimæ gentis aduentus, LEONI VI. orientis imperatori, viſus eſt. Ad domandos ergo, Thraciæ *Bulgaros*, gentem ferocem, euocat. Vſi ea occaſione *Hungari*, Bulgaris perdomitis, in Pannoniam euadunt, atque illic ſedes figere ſuſcipiunt. Iamque alterutrum annum, his oris inerant, cum ARNVLPHVS, rebellantem iterum iterumque *Suentibaldum*, in ordinem redacturus, ſiue ſuo ipſius conſilio, ſiue *Leonis* exemplo adductus, *Hungaros*, promiſſis ſtipendiis, in auxilium arceſſit. Tunc ingenti cum exercitu, quem ex Boiis, Pannoniis, Noricis, Carantanis, Carnioliis, Sueuis, atque Hungarorum, & Slauorum, ſuppetiis, contraxerat, in Morauiam, trifariam irrumpit. Toto menſe Iulio, igne, ferro, cædibusque ſæuitum; bellum tamen, eo anno, haud confectum eſt: vt neceſſum fuerit, ſequente anno, redintegrato exercitu, iterare expeditionem. Tandem vero profligatus *Suentibaldus;* ne in victoris poteſtatem veniret, præcipiti fuga, in montem *(y.) Sembor*, aliis *Zobor*, *Nitriæ* proximum, ſeceſſit, atque illic, trium eremitarum contubernio acceptus, reliquum vitæ, ignotus ſodalibus, in exercitiis pietatis, tranſegit.

Hungari, *a Leone VI. Conſtantinopolitano imperatore:*

dein ab Arnulpho *in auxilium euocati.*

§. X.

DUm belli, in *Maharenſes* adparatum, deſcribit SCHÖNLEBENIVS, *(z.) Brazlaui* quoque, Slauorum, intra *Drauum*, & *Sauum*, ducis meminit, qui ſuppetias adduxerat ARNVLPHO. Quod ſi eſt, ſicuti non ambigimus, vtramque, cum auxiliaribus copiis, *Pannoniam*, tranſire neceſſum habuit. Eo itinere ſuperato, ad *Piſonium*, amnem, traieciſſe *Braczlauum* exiſtimarim. Id, ſi vltra coniecturæ modum, certum eſſet, haberes, Germanici nominis, quo vrbem adpellamus, indubitatam originem. Nimirum, ARNVLPHVS, e Boiis; Hungari e cis Danubiana regione, *Morauiam* adoriuntur; profectus, e Pannonia inferiore, *Braczlauus*, transmiſſo iſthic Danubio, *Piſonium* occupaſſe potuit, ſtationemque habere, dum coadunato, hinc, atque illinc, exercitu, in hoſtem iretur. Quid vero procliuius, quam vt

Braczlaui, *Slauoniæ ducis, in eo bello, ſuppetiæ:*

Breslaburg, *an non ex eius nomine adpellatum.*

y.) AENEAS SYLVIVS, in Hiſt. Boh. & PESSINA, in Marte Morau. Lib. II. Cap. 17. fin.

z.) Eodem loco, p. 461.

vt Germanicæ nationes, ARNVLPHI ſequutæ ſigna, *Brazlaui* hanc ſtationem, *Brazlaburgum*, vocitarint? vnde, temporis curſu, *Presburgum* factum eſt. Et profecto, fugæ *Suentibaldi* ratio, ſuadet; vt exiſtimemus, non procul ab vrbe noſtra, decretoriam cum eo, pugnam, fuiſſe initam: vt potuerit omnino *Burgi* nomen indipiſci locus, ſiue ob *Brazlaui*, quæ diximus, ſtatiua, ſiue ob claſſem amnicam, huc loci adpulſam, defenſamque e caſtello, iam tum Romanorum ætate, eidem fini, & inſeſſo diutius, & forte reſtaurato etiam frequentius. Scilicet, ludere coniecturis, facile, immo neceſſe eſt, vbi nos deſtituit hiſtoria. hæc interim, obtrudimus nemini.

§. XI.

SVentibaldo, tantorum bellorum auctore, e viuis ſublato, &, ex quorundam ſcriptorum ſententia, *Nitriæ (a.)* ſepulto, ARNVLPHVS, quam armis, rebelli toties regi, extorſerat, prouinciam, filiis eius, *Suetibogo*, & *Moemaro*, tradit, ſicuti, ob iter, REGINO, ad annum DCCCXCIV. meminit. Par itaque eſt, vt exiſtimemus, *Piſonium* quoque, in eorundem poteſtatem conceſſiſſe; niſi quis credere maluerit, duces *Brazlauonis*, diutius hic, cum auxiliaribus copiis, ſubſtitiſſe. Nam *Hungaris*, in dies magis magisque, inualeſcentibus, & hinc *Morauiam*, illinc *Pannonias*, *Carnos*, *Carniolos*, *Boiosque* percurſantibus, ARNVLPHVS imperator, nuper ex Italia reuerſus, Pannoniæ tutandæ curam *Brazlauoni*, ſpectatæ fidei duci, *(b.)* iamque ad familiaritatem admiſſo, etiam atque etiam commendauerat. At enim, fruſtra fuit, ſiue ARNVLPHI prouidentia, ſiue *Brazlauonis* conatus. *Hungari enim*, deuictis primo *Bulgaris*, arma, quam latiſſime circumferunt; *Italiam inuadunt;* occupant *Pannonias;* *Boiariam* peruolant; editisque cladibus, ipſius *Attilæ* ſæuitiam, multis modis exſuperant. Neque ſegnius, altero *Danubii* latere, rem gerebant, *Morauiæ*, totis viribus, non vna expeditione, imminentes. Iuuerunt eorum deſtinationes, domeſtica, *Suatibogi*, & *Moemari*, ſeu *Moymari*, fratrum diſſidia. ARNVLPHO demum rebus humanis exemto, iamque LVDOVICO IV. ad clauum reipublicæ ſedente, vti nihil intentatum *Hungari* reliquere, ita *Morauiæ* partem illam, quæ *Marum* inter & *Granuam*, laxis terrarum ſpatiis procurrit, ſuam vt facerent, omni ope adniſi ſunt. Cum tanta regionis portione, *Breslaburgum* quoque, ditioni Hungarorum adiectum eſt; ſed dominatione adhuc dubia: quippe, quum non vna clade, a *Boiis*, atque *Morauis* potiſſimum, adfectos, hac ora fuiſſe *Hungaros*, certum ſit. Tandem, anno DCCCCVII. cum nouam in Germaniam expeditionem, comparant noſtri, occurrit eis, cum exercitu, ad *Breslaburgum*, quod eſt *Piſonium*, *Lupoldus*, (*) acer-

Suatoplugo mortuo, Morauia filiis eius traditur; forte & Piſonium:

Hungari inualeſcunt:

Morauiam, & in ea, Breslaburgum, ſeu Piſonium *occupant:*

a.) Additum epitaphium aiunt: REX MORAVIAE SVATOPLVCVS, IN MEDIO REGNI SEPVLTVS, HIC IACET.

b.) Annales Fuldenſes ad A. DCCCXCVI.

**)* LVITPOLDVS hic, pater eſt, auguſtæ gentis *Boicæ*, quæ iam rerum potitur: id quod, ſcripto eruditiſſimo, euicit contra *Wilhelmum*, PALIGNESIVS.

Lupoldum, *cum exercitu, in vrbis conſpectu, triduana pugna, delent:*

Ludouicum *imperatorem, cladem Lupoldi vlturum, vincunt: Piſonium prorſus ſuæ ditioni ſubiiciunt.*

acerrimus Boiariæ, contra *Hungaros*, propugnator. Tridui ſpatio, pugnatum eſt, victoria tamen penes *Hungaros* ſtetit, *Lupoldo*, cum eximia, optimatum vtriusque ordinis, corona, interemto. In his AVENTINVS, *Theodemarum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, *Ottonem* Friſingenſem, chronici conditorem, *Zachariam* Brixienſem, *Sighardum*, Marcæ orientalis præſidem, connumerat. Acceptam cladem vlturus LVDOVICVS, vel certe, ſi poſſet, vniuerſam *Hungarorum* gentem, ſtirpitus deleturus, quemadmodum ſuſpicatur *Hundius*, cum in eundem hunc campum martium, deſcendiſſet, cruento prælio, & ipſe vincitur, vixque præcipiti fuga, ſaluatur. Hac ergo tempeſtate, his præliis, atque tanto vtriusque gentis ſanguine, *Piſonium*, qnod recte *Broslaburgum (c.)* adpellat AVENTINVS, in poſſeſſione Hungarorum, confirmatum eſt. Atque hæc quidem, prima vrbis noſtræ, apud medii æui ſcriptores, mentio eſt, oppido cruenta, & ſummorum virorum clade, ad poſteros memorabilis. Hactenus, de *Barbarica* vbis periodo; res eius reliquas proſequamur.

c.) Correptus ideo a SCHÖNLEBENIO, quaſi errorem admiſerit, loco citato, p. 479, 13.



CA-

CAPVT III.

PERIODVS PISONII HVNGARICA,

Siue,

Fata Vrbis ſub Hungaris Regibus.

SYNOPSIS.

Adſertum, ab Hungaris *ſuæ poteſtati,* Piſonium: *in Germanorum manus recidit: rei occaſio: datur* S. Stephano *in dotem.* §. I.

S. STEPHANI *nuptiæ: recuperati* Piſonii *occaſio: eius incrementa: a* S. Stephano *procurata.* §. II.

Quid cum Piſonio, *poſt fata* S. STEPHANI *actum: primus, ſub* PETRO *rege, in vrbem, Germanorum impetus: arcis eius obſidio: claſſis obſidentium,* Zotmundi *facinore, interitus: vrbis liberatio: regis* ANDREAE I. *fundatæ Abbatiæ Tyhanenſis, votum.* §. III.

Noua Piſonii, *ſub* SALOMONE, *calamitas: obſidetur a* S. Ladislao: *prodigium ſub obſidione obſeruatum, enata inde pacis occaſio.* §. IV.

Poſt GEYSAE *mortem, quid euenerit* Piſonio: *ſub* COLOMANNO: *ſub* STEPHANO, *&* BELA *cæco,* Henrici *Auſtriaci, in Hungariam moliones:* Piſonium, *aſtu interceptum:* GEYSA, *in poteſtatem ſuam vindicat.* §. V.

STEPHANI III. *in Piſonienſes benignitas: eius diploma.* §. VI.

Vrbis fortuna, BELAE III. *&* LADISLAI III. *tempore, ignoratur:* EMERICI *tabulæ.* §. VII.

LADISLAI IV. *&* ANDREAE II. *ætas: Vrbis, ſub* BELA IV. *conuerſiones: Tartarorum, &* Friderici *Auſtriaci, immanitas.* §. VIII.

Friderici occubitus: noui belli occaſio: BELAE *clades: pax inde ad* Piſonium *conflata: anno ſequente, in tabulas refertur: nuptiisque firmatur.* §. IX.

Inſignis, rerum Hungaricarum lacuna, expletur pacis hiſtoria, inter Belam *patrem, &* Stephanum *filium, e diplomatibus depromta: diploma prius: diploma poſterius.* §. X.

Auctoris commentatio in diplomata ea. §. XI.

Noui belli occaſio, ſub STEPHANO IV. *pax ſubita: a* Stephano *rumpitur; conflatum inde* Piſonio *exitium: & captiuitas Bohemica.* §. XII.

Vrbis

Vrbis fortuna ſub Ladislao *Cumano; & eius occaſio: deditur ab* Aegydio, *Hungaris: recipitur ab* Ottocaro: *redditur ex pacis legibus: an detinetur diutius: Cæſaris, cum* Ladislao *fœdus aduerſus* Ottocarum: *pax conſequuta, adſerit Hungaris* Piſonium: *nouum conflatum bellum, exitiale* Ottocaro. §. XIII.

Cæſo Ottocaro, *ægrius reſpirat* Piſonium, *& arx:* Ladislai *in vrbem liberalitas: nouum, ex Auſtria, bellum: eius occaſio: pace interrumpitur: recrudeſcit iterum, cum* Piſonii *iactura.* §. XIV.

Ladislao, *a Cumanis interemto,* Piſonium *in* Alberti *poteſtate manet: quid* Piſonio, *ſub* Andrea III. *euenerit?* Andreae, *in Auſtriacos, bellum: pax ſubita: ex eius conditionibus, recipitur* Piſonium. §. XV.

Reducis Andreae *occupatio: nuptiæ, cum* Agnete *Auſtriaca: in vrbem noſtram beneuolentia: mercatuum libertas eximia: adfirmata a* Ladislao *poſtumo.* §. XVI.

Moritur Andreas III. *varia factione exercitus: natæ hinc molitiones: pars* Wenceslavm *Bohemum eligit: is, filium cognominem, regno inducit: quæ inde* Piſonium *fortuna manſerit? expugnatur ab Auſtriacis: manet in eorum poteſtate.* §. XVII.

Res Wenceslai: *inualeſcens* Caroli *factio: reducitur a patre Wenceslaus:* Otto *Bauarus, in Regem eligitur:* Piſonium, *adhuc in Auſtriacorum poteſtate manet.* §. XVIII.

Carolvs, *in regem inauguratur: bellum eius in* Matthæum Trentsinenſem: *Friderici ſuppetiæ:* Piſonii, *ad Hungaros, reditus: eorum infelices,* Friderico *miſſæ, aduerſus* Ludouicum *Bauarum, ſuppetiæ.* §. XIX.

Caroli *in receptam vrbem, indulgentia: eius rei monimenta: quid porro, a* Carolo, *in vrbem profectum ſit.* §. XX.

Noua belli materies: Piſonii, *ex eo acceſſiones: fœderum conuerſiones variæ.* §. XXI.

Piſonium, *nouo pacis tractatu, illuſtratum.* §. XXII.

Carolvm *patrem,* Ludovicvs, *ſua in vrbem beneuolentia, æmulatur: fœdera, cum ducibus Auſtriæ, redintegrat: inutile hominum genus, mutua cura, a regno auerruncat.* §. XXIII.

Conſulitur iis vrbi noſtræ: Carolvs *Cæſar,* Piſonium *adit.* §. XXIV.

Ludovici *res, cum Rudolpho Auſtriaco,* Piſonii *geſtæ: de iis* Rudolphi *tabulæ.* §. XXV.

Illuſtratur Piſonium, *nouo inter*

ter Ludovicvm, & Carolvm VI. *fœdere.* §. XXVI.

Inde, Ludovicvs, *pacis ſit arbiter: frequens eius apud* Piſonienſes, *hoſpitium:* Ludovici *mors, vrbi noxia: pignori a* Sigismvndo *opponitur: tempeſtas vrbi, ob negatas* Wilhelmo *Auſtriaco,* Heduigis *nuptias, metuenda: motuum occaſio: noua pace ſopiuntur* Piſonii. §. XXVII.

Sigismvndi, *in* Piſonienſes, *benignitas: diplomatibus confirmata: iura emporii, vrbi adtribuit: confirmat eadem* Ladislaus *poſtumus.* §. XXVIII.

Sigismvndvs, *frequenter* Piſonii *diuerſatur: conciliata inde vrbi frequentia.* §. XXIX.

Bohemos, Piſonium *euocat* Sigismvndvs: *plenior, eius rei, ex* Balbino, *hiſtoria.* §. XXX.

S. e Bohemia *reliquiæ,* Piſonii *aliquantiſper ſubſtitiſſe creduntur:* Sigismvndi *in* Piſonio *muniendo, ſollicitudo: inſignia vrbi confert.* §. XXXI.

Noua, benignitatis Sigismvndi, *documenta: ius cudendæ monetæ* vrbi adtribuit: *inſignia confert:* quæ Matthias *adprobat:* a tributis *immunes facit* Piſonienſes: *regum in eam* rem diplomata: *eximuntur a* Triceſimis: *magna ciuitatis prærogatiua.* §. XXXII.

Nundinarum iura, a quibus regibus ſint indulta? §. XXXIII.

Sigismvndi *mors: Hungariam iure hæreditario, Auſtriæ ducibus, adſcribit:* Alberto IV. *primum:* Alberto V. *alterum: diploma,* Piſonii *ſignatum.* §. XXXIV.

Breue Alberti *regnum, in vrbem benignum exſtitit: eius mors, in diuerſa traxit* Piſonienſes: *vrbs,* Eliſabethæ, *arx,* Wladislao, *fit obnoxia: reginæ, apud* Piſonienſes, *modeſta diuerſatio: calamitas vrbi, & regioni conflata: regina, arcem, irrito conatu, obſidet: quæ a* Wladislao, *commeatu, & belli adparatibus, iuuatur: Piſonienſium, & reginæ, obſidionales, in arcem, molitiones: eadem, ex* Haſelbachio, *hiſtoria.* §. XXXV.

Ladislavm *poſtumum, vrbs noſtra, hoſpitio accipit: comitia iſthic habentem: decreti, tunc editi, ſententia: vrbs, & arx,* Coruini *curæ traditur: redditur, ob conflatam ei inuidiam,* Ladislao. §. XXXVI.

Matthias *rex, in vrbem propenſus, accipiendæ eam ſponſæ deſtinat: eo tamen honore poſtea excidit.* §. XXXVII.

Eiusdem, in vrbes, amor: Piſonium *in primis: beneficiorum eius ſyllabus.* §. XXXVIII.

Hoſpitio Piſonienſi, *delectatur* MATTHIAS: *eius rei exemplum: diplomate firmatum:* Piſonio, *nomen* Hiſtropolis, *indit: eiusdem nominis* Academia *huias.* §. XXXIX.

Vrbs, a Swehla *Bohemo, ſubito inſeſſa: fratrum exercitus eam ſubit: prolicitur inde* Blaſii Podmaniczkii *interceſſione:* Coſtolanum *prædabundus abit* Swehla. §. XL.

Belli Bohemici cauſſæ, & incrementa: Piſonium *fit campus Martius: belli fortuna: ab expeditione, in Hungariam redux* MATTHIAS, Piſonium *venit, neruum belli corrogaturus.* §. XLI.

Anno ſequente, idem bellum continuat: in regem Bohemiæ inauguratur: Victorinum *capit: tanti facinoris auctores: reuerſus ex Bohemia, an viderit* Piſonium? *tertius belli Bohemici annus:* Piſonium *iterum inuiſit* MATTHIAS. §. XLII.

Bellum Polonicum, auocat aliquamdiu MATTHIAM, *ab vrbe noſtra: fit ei perfugio, cum inſidiis, a* Friderico *peteretur:* MATTHIAE, *in fide* Piſonienſium, *fiducia.* §. XLIII.

Auſtriacum bellum init: eo durante, BEATRIX, Piſonii *ſedem habet: laudabile, in ea, pacis ſtudium: pace firmata,* Piſonium *venit* MATTHIAS. §. XLIV.

Nouum, in Auſtriacos bellum: Piſonium, *Martis officina: & regis, atque exercitus, perfugium:* BEATRICIS *hoſpitium: frequentatur, toto eo bello, a* MATTHIA, *vrbs noſtra: in eius funus, feminarum* Piſonienſium *pietas.* §. XLV.

Bohemiæ rex, WLADISLAVS *Polonus,* MATTHIAE *ſucceſſor: pax inter eum, &* Maximilianum, Piſonii *inita: eius conditiones.* §. XLVI.

Turbæ, quas Hungari, ea pace irritati, poſtea dedere: ad bellum Maximilianum *prouocant:* Piſonium, *ab eo occupatum: atque deſertum.* §. XLVII.

WLADISLAI *regis, ob peſtilentiam, peregrinatio: Piſonienſe perfugium: & habitum hic Bohemorum & Morauorum, comitium: digreditur* Piſonio, *in Moraviam, & Sileſiam.* §. XLVIII.

Tres reges, Piſonium *hoſpitio accipit: eius rei occaſio, a* Maximiliano *petita: comitii ephemerides:* WLADISLAVS, *cum liberis* Piſonium *primus venit: adeſt Rex quoque* SIGISMVNDVS: *pompæ, qua acceptus eſt, ratio: abit Gurcenſis* Piſonio, *vt de geſtis, ad Cæſarem referat:* Piſonii *pars altera, ferali incendio conflagrat,* WLADISLAI, *ſimul, hoſpitio exuſto.* §. XLIX.

Redeun-

Redeunte Gurcenſi, *redintegrantur, ſummo ſtudio, conſultationes: quæ, in tabulas referuntur: abit ad Cæſarem* Gurcenſis: Piſonii *tædioſa Regibus, Cæſaris exſpectatio: legati ad eum miſſi: aduenit Viennam Cæſar: eius, ad Reges, legati: Cæſar Vienna obuiam Regibus progreditur:* Trautmansdorffi *pernoctat: adpropinquant Reges quoque: meta congreſſus, depacta procera arbore, præfinitur.* §. L.

Cæſar, *ad præſtitutum locum ſummo mane, mouet: profectionis & pompæ ratio: Cæſar metam congreſſus adtingit: Regum adpropinquatio, & comitatus:* LVDOVICVS *eques:* Anna *curru vecta:* SIGISMVNDVS, *purpuratus:* WLADISLAVS *vltimo, lectica inuehebatur: reſiduus comitatus.* §. LI.

Congreſſus ratio: Cæſaris *Lætitia: Regum reſponſio:* LVDOVICI *ſalutatio:* ANNAE, *in Cæſarem, comitas: ſesqui hora finito colloquio: venationeque inſtituta: in nocturna hoſpitia, diſceditur.* §. LII.

Cæſaris, & Regum, Viennam *ingreſſus: conſultationes illic habitæ:* ANNAE *deſponſatio:* LVDOVICI, & MARIAE, *copulatio: Vienna,* Neapolim *itur: mutuæ hic valedictiones.* §. LIII.

Mortuo WLADISLAO, *decennis puer* LVDOVICVS *ſuccedit: eius indoles, a* Georgio *deprauatur: ſuaſu* SIGISMVNDI *patrui, nuptias admaturat: quæ abſente* LVDOVICO, *Lincii celebrantur:* MARIA, *ſecundo Danubio,* Piſonium, vbi *eam* LVDOVICVS *opperiebatur, aduehitur: nihil a* LVDOVICO *in vrbem noſtram profectum: eo caſo, regina* Piſonium *confugit: vrbs, ea tempeſtate, duobus* templis parochialibus: *duobus item* Xenodochiis, *diminuitur: deraſæ ciuium quoque ædes: quæ ſingula hodie reſurgunt magnificentius.* §. LIV.

§. I.



DSeruerant ſibi *Hungari* PISONIVM, ſeu BRESLABVRGVM, quemadmodum diximus, gemina, de *Germanis*, parta victoria. quod hiſtoricorum fide ducti, ad annum DCCCCVII. ſupra, retulimus. Inde, facti inſolentiores, quantum, per vniuerſam interiorem *Europam*, cladium, ſeu dederint, ſeu ipſi acceperint, ſuo loco, *(a.)* docuimus. Nunc inquirendum eſt, quam diu, eodem illo ſeculo, *Piſonium* inſederint *Hungari*. Nam, eliſum e manibus eorum, ante fuiſſe,

Adſertum, ab Hungaris, ſuæ poteſtati, Piſonium.

a.) Hungariæ Antiquæ Lib. IV. qui HVNGARICVS inſcribitur Cap. IV.

in Germanorum manus recidit:

fuiſſe, quam annus, poſt CHRISTVM natum, *milleſimus* iniit, ex eo colligas, quod dotis nomine datum fuiſſe S. STEPHANO, memoret BONFINIVS. Ac præterea, certum eſt, non vna Germanorum victoria, adtritos Hungaros, ſub HENRICO primum, atque ſub OTTONE poſtea, arctius reducere cœpiſſe, *Hungariæ* ſuæ limites. Qua quidem tempeſtate, facile fuit, vrbis, & circumpoſiti agri, poſſeſſione excidiſſe. Miteſcentibus enim, ferociſſimæ gentis, animis, iamque inclinantibus ad fidem CHRISTI amplectendam, reſedit ſimul feruor bellicus, & ſeu rapiendi aliena, ſeu vindicandi, quæ amiſerant, propoſitum. Honeſtiſſimi inſtituti, ſub TOXI, dein ſub GEYSA, iacta fundamenta, breui tantopere inualuerunt; vt certatim CHRISTO nomina dare, inciperent Hungari; non iam orco, ſed cælo ipſi, ea animorum conuerſione, militaturi. Neque tamen inficiamur, tunc quoque, cum ſaluberrimæ deſtinationis rationes, hinc GEYSA dux, illinc *Pilgrinus*, Patauienſis Eccleſiæ Præſul, omni cura ſtudioque, proſequerentur, fuiſſe in *Hungaris*, qui dolentius ferrent, populares ſuos, a *Scythica* impietate alienatos, peregrino, hoc eſt, *Chriſtiano* ritui, initiari. Atque hi illi ſunt, in quos hiſtoricorum, quin ipſius *Pilgrini*, editæ, anno DCCCCLXXXV. querelæ *(b.)* cadunt. Enim vero, iidem illi, cum finibus *Auſtriæ*, factis impreſſionibus, graues fuere; tum in primis, GEYSAE (*) moleſti: quaſi qui ſpreto militiæ ſtudio, totum ſe nouis ritibus, cerimoniisque, dederet; quam ille tamen cauillationem, vti erat perſpicaci ingenio, icto cum vicinis principibus fœdere, redintegrataque, quam ſanctiſſime inſtituerat colere, pace, facile retudit, & ne in neruum erumperet, anteuertit. Interea, occupatum ſemel a Germanis *Piſonium*, manſit in eorum ditione. Certe, finibus Hungarorum, ante, non lego *acceſſiſſe*, quam id, per S. STEPHANI nuptias, fieret.

datur S. Stephano *in dotem.*

§. II.

S. Stephani *nuptiæ:*

REgno deinde conſtituto, cum STEPHANVS, ab Hungaris *in* Regem lectus, & pacem, cum vicinis principibus, a patre, per manus quaſi acceptam, intemeratam haberet, & pietatis, atque conuertendorum, ad CHRISTVM, popularium ſtudio, vnus omnium maxime arderet; facile obtinuit, vt *Geyſelæ*, ſororis HENRICI II, nuptiis potiretur. Magna, ex eo matrimonio, rebus Hungaricis facta eſt acceſſio. Præterquam enim, quod gentes, mutuis hactenus bellis ſibi infeſtæ, penitus credebantur coalituræ; PISONIVM, dotis loco, cum GYSELA, in poteſtatem STEPHANI, conceſſit. Nolim repugnare iis, qui id, non tam dotem interpretantur, quam ius poſtliminii, quo STEPHANVS, ex nuptiarum occaſione, vrbem ſibi aſſeruerit.

recuperati Piſonii *occaſio:*

b.) Has vide, apud SCHÖNLEBENIVM, ad eundem hunc annum DCCCCLXXXV.

*) GEYSA vel rectius, *Geyza*, nomen eſt Hungaricum, quod tantundem ſignificat, ac, *Vincens*, ſeu *Victor*, ſi recte ſcribatur: *Győző*.

eius incrementa.

ruerit. Creuit, ſub ſancto Rege, vrbs, non ſitu magis opportuna, quam, nouæ illius, auguſtæque adfinitatis vinculo, celebris; ideoque ab *Hungaris*, iuxta & *Germanis*, in fortunarum ſedem, certatim delecta. Nam, ea fuit S. STEPHANI, cura atque prouidentia, vt nihil, poſt admiſſam CHRISTI fidem, efficacius exiſtimaret, ad populum trucem, atque indomitæ feritatis, ſenſim emolliendum, quam ſi, gentes peregrinas, Hungarica ciuitate donatas, ſuis hominibus, intermiſceret. Recitabimus alibi, pientiſſimi regis ſanctionem, qua S. EMERICVM, filium, regni, vti ſperabat, hæredem futurum, ad tutandam, cum dignitate, maieſtatem regiam, inſtruebat, ſuadebatque, vti omni, qua poſſet, ope, exterorum hominum coloniis, regnum percoleret. Tanta certe, in accipiendis, alendisque liberaliter, hoſpitibus, optimi regis, fuit ſollicitudo, vt nihil dubitarit, non maieſtatem modo, ſed robur etiam regni, ex eorum frequentia, exiſtimare. Atque hoc quidem inſtitutum, *Piſonii* vigere cum primis *decuit: quippe* quod, olim, a *Romanis*, mox a *Quadis*, inde ab *Hunnis*, a *Slauis* poſtea, tunc ab *Auaribus* & *Hungaris*, iam a *Germanis*, colebatur.

§. III.

Quid cum Piſonio, *poſt fata* S. Stephani, *actum?*

ET profecto, felix, immo beatum futurum erat *Piſonium;* ſi benigniſſimi regis cura, & indulgentia, ſaltem vnius ætatem hominis, ciuibus non minus, quam ædificiis, potuiſſet inualeſcere. Tametſi enim, dediſſe operam, S. STEPHANVM, *vt iuſtis* incrementis augeretur oppidum, fieretque limitaneum, aduerſus Auſtriacos, *propugnaculum*, prorſus credimus; tamen, non potuit, ſua hac *prouidentia cauere, quin*, rebus humanis exemtus, varianti fortunæ obnoxium *poſt ſe relinqueret. Enim vero*, perturbata, ob PETRI, qui ſucceſſerat, tyrannidem, republica, primus ab Auſtria, vrbi noſtræ, turbo incubuit. Profligato nimirum, & *Aba*, & *Petro*, HENRICVS II. qui biennio ante, PETRVM, regno exactum, *in ſolio* repoſuerat, iniuriam, eidem illatam, & *Hungarorum* inconſtantiam, ac perfidiam, verba ſunt BONFINII *(c.)* vlturus, coactis vndique copiis, eo animo ſuſcipit expeditionem, vt, aut Hungariam, imperio Germanico, vectigalem faciat, aut certe, gentis vires, extrema clade, accidat. Ergo, adita Pannonia, *Piſonium* obſidet, tormenta diuerſa, mœnibus admouet, turres erigit, commeatus inhibet. Claſſem etiam, quæ ſecundo amne defluxerat, a *Danubii* parte diſponit, vt ciuitas vndique oppugnari queat. Caſtella, in turrium ſpeciem, nauibus impoſita, vt & hinc, oppidani, a mœnibus arcerentur. In duos menſes extracta oppugnatione, nec quidquam, aduerſus ciues, & qui in præſidio fuerunt, profecerant Germani. Iniecta enim valida ſuorum manu, ANDREAS, ita prouiderat vrbi, vt obſidioni, etiam

primus, ſub Petro *Rege, in vrbem, Germanorum impetus:*

arcis eius obſidio:

c.) Decadis II. Lib. II. p. 199, 37.

diuturniori, ferendæ, par esset. Illud exitiale præsidiariis futurum erat, quod nihil in vrbem, ob classicas excubias, commeatus inferri potuerit. Quo circa, nouo commento vtendum ratus, vrbis, atque præsidiarii militis, præfectus, *Zotmundum*, ex vniuersa multitudine, delegit, artem vrinandi edoctum, qui intempesta nocte, nando, clam, hostium classem, subiret, atque sensim naues perterebraret. *Dum naufraga, vniuersæ classi, vitia subigit*, inquit BONFINIVS, *(d.) vix, renandi ad suos, spatium datur, ne illucescente die, in facinore deprehenderetur. Hæ, non modo proprio onere, sed machinis etiam onustæ, secunda, ac tertia hora diei, imo desidere occeperunt, ac principio pleræque, incautis adhuc nautis, demersæ sunt. Hac igitur arte, elusæ Alamannorum vires, obsidio quoque soluta, quando ex oppidanis & centurionibus plerique, quotidie facta eruptione, in hostium castra sæuiebant. Ex his potissimi nominantur, Maiothecus, Andreas, Vilumgardus, Brosa, & Martinus, qui magna sæpe strage, ex improuiso hostes adfecerant: quare in Alemanniam, spe sua delusi, rediere.* Hæc anni ML. fortuna vrbis fuit: vnde disci potest, iam tum, ab iis ciuibus fuisse habitatam, qui defensandis mœnibus, & animo valuerunt, & viribus. Certe, idoneis munitionibus incinctam fuisse vrbem, oportuit: quippe quæ, bimestrem hanc oppugnationem, non tolerare modo, sed reiicere quoque potuerit. Eius occasione victoriæ, *Tyhonensem Abbatiam*, fundatam ab ANDREA fuisse, SZENTIVANIVS *(e.)* meminit: ANDREAS, inquit, *rex, ad opem diuinam confugit, Deo votum nuncupando, de templo, ac cœnobio, sub patrocinio divi* Anniani, *Aurelianensis quondam Antistitis sanctissimi, si hostem repelleret. Nec vana eius fuere vota; obsessorum enim repentina eruptione, mox castra hostium perturbantur, acies dissipantur, exercitus fere totus, in fugam agitur, sicque obsidio vrbis feliciter soluitur. Ita hoste pulso, rex* ANDREAS, *eodem anno statim votum exsoluit, Abbatiamque Tyhanensem, medio propemodum Balatonis lacu, saluberrimo cælo, soloque, & prospectu amœnissimo, fundat, ac e fundamentis, templum cœnobiumque, erigit.* Miror, nullam facinoris *Zotmundi* mentionem facere chronologum; sicuti, neque concepti a rege, voti, historicos *(f.)* meminisse; tametsi, positæ, iisdem temporibus *Abbatiæ*, cum cura, recordentur.

classis obsidentium, Zotmundi facinore, intæritus:

vrbis liberatio:

regis Andreæ I. *fundandæ Abbatiæ Tyhonensis, votum.*

§. IV.

Noua Pisonii, *sub Salomone, calamitas:*

TVrbinem, de quo iam diximus, sæuior tempestas alia excepit. Cum enim, glisscentibus, inter SALOMONEM, & *Belam* patruum, odiis, inimicitiæ, ad *Geysam*, & *Ladislaum*, Belæ

d.) Eandem hanc obsidionem, THÚROCZIVS quoque describit, Parte II. Cap. XLIII. p. 49. vbi tamen fortium militum nomina, paullo aliter leguntur: *Multi*, iniquit, *milites erant in Poson; sed præcipui erant*: Maiotech, Endre, Vilungard, Vrosa & Martinus.

e.) Synopsi Chronol. ad annum ML. p. 87. TIMON, Synopseos Nouæ Chronologiæ, Parte I. p. 15.

f.) BONFINIVS loco cit. & THÚROCZIVS, inibi, p. 48, 50.

læ filios, propagatæ, in fraternum bellum erumperent, *Pisonium*, Regi fugitiuo, hospitium præbuit. Victus a patruelibus, in campis *Rákos*, SALOMO, præcipiti fuga, *Mosonium*, atque hinc *Pisonium* euaserat. Ita THÚROCZIVS, *(g.)* cum pugnam, SALOMONI infaustam, describsisset: *Cognouerat Rex* SALOMON, *quod non auxiliaretur ei Dominus in bello; & in eadem nocte collegit se festinanter in Moson, &* Poson, *quæ castra iam pridem muniuerat: matrem quoque & vxorem suam, cum in prælium iuit, illic reliquerat.* Nempe, cum animi caussa, tum, ob Germanorum vicinitatem, frequenter *Pisonii* diuersabatur SALOMON: quam ob rem, non vrbem modo, habitatu commodam effecit; sed arcem quoque, idoneis operibus, communiuit; vt perfugium haberet, si res, vti erant, dubiæ, pergerent imminere. Quod etiam, prout animo præceperat, ita euenit; sed maligniore vrbis fato. Rem, ex BONFINIO, *(h.)* quemadmodum gesta est, narrabimus. Post infelicem eam pugnam, de qua diximus, ab omnibus destitutus SALOMON, desperationeque circumuentus, *Pisonium* venit, Romanæ gentis opus. quod cum munitissimum esset, ibi se tuto futurum rebatur. Prætorianam vero hic tantum legionem habebat, qua, & se tutaretur, & vrbem defensaret. At, LADISLAVS, cum *Salomonem* huc se recepisse, idoneis auctoribus, didicisset, haud inscius, quam irrequieto, victus etiam, animo esse consueuisset, nequaquam respirandi tempus ei dandum ratus, ea maxime tempestate, qua *Germanorum* auxiliis destitueretur, *Pisonium*, continuo obsidendum, atque militaribus claudendum operibus, constituit: non tam, vt SALOMONI noceret, quam vt, ancipiti circumuentum periculo, ad saniorem mentem, pacisque, cum patruelibus, colendæ, studium, reuocaret. Quod vbi factum est, indignatione partim, partim desperatione melioris fortunæ, percitus SALOMO, rem strenue gerere: neque segnius in opus incumbere LADISLAVS. *Vtrinque*, summa virium contentione procursatur; his erumpentibus ex vrbe; illis, in mœnium vsque portas, imminentibus. Quin patrueles ipsi, commutato habitu armisque, ne suo se indicio, pugnantibus intermixti, proderent, *Salomo* puta, & *Ladislaus*, sæpe, in arenam descendere, & qua ducum, qua militum munere, egregie defungi, visi sunt. Iam in plures dies oppugnatio extracta fuit, verendumque erat SALOMONI, ne in potestatem LADISLAI veniret, cum insigni prodigio, tanto suscepta conatu, obsidio, non tam soluta est, quam deferbuit. BONFINII, ea de re, hæc est narratio: LADISLAVM, inquit, *memorant, meridie, solum, mœnibus adpropinquasse, veluti aliquid exploraturum. Contra, spectantibus cunctis, tamquam ad singulare certamen, prodiisse* SALOMONEM: *quippe qui, non hominem agnoscebat, sed* LADISLAI *militem esse arbitrabatur: quum ad eum venisset, diuino quodam ostento deterritum, e vestigio pedem retulisse. Interrogantibus dein militibus, cur hostem, præter institutum, & audaciam, auffugisset, continuo respondisse: se non hominem, sed deos infestos,*

obsidetur a S. Ladislao:

prodigium sub obsidio. ne observatum:

g.) Parte II. Cap. L. II. fine, p. 61.

h.) Decade II. Lib. IV. p. 222.

feſtos, perhorruiſſe: ſpectaſſe duos angelos, hoſtis humero deſidentes, qui candentibus & infeſtis enſibus, hominem propugnarent. Tali miraculo, eo magis poſthac militem reformidaſſe, & obſeruaſſe Ladislaum, *ferunt.* Milites certe, qui aut factis eruptionibus, intercepti ſunt, aut annonæ, quæ in vrbe iam inualeſcere cœperat, penuria, ad Ladislai caſtra transfugere cogebantur, non blandiſſime tantum accipiebantur; ſed egregie quoque donati, redibant ad Salomonem. Qua quidem benignitate, id meruit Ladislavs, vt, a *Salomonis* militibus, non iam hoſtis, ſed dux exoptatiſſimus, haberetur. Dum hæc ad *Piſonium* geruntur, Desiderivs, Strigonienſis præſul, Geysam, ad pacem cum Salomone pangendam, *Szegſzárdi* tunc natales dominicos agentem, facile induxit. Quæ res poſtea, vrbem quidem noſtram, commeantibus vltro citroque, oratoribus, obſidione ſoluit, non item *Salomonis* dominatione.

exata inde pacis occaſio.

§. V.

Poſt Geyſæ *mortem, quid euenerit Piſonio?*

Nondum de pace, inter vtrumque regem, conuenerat, cum Geysa, anno MLXXVII. VII. Calendas Maii, naturæ debitum perſoluit. *Piſonii* tunc, tamquam in ſpecula, Salomon, rerum euentum, præſtolabatur; ac, ne ſe ipſum deſerere videretur, pollicitationibus apud hos, largitionibus apud alios, gradum ſibi, ad regale faſtigium, quo nuper depulſus fuerat, conabatur præmunire. Sed, potior Hungaris Ladislai pietas, quam Salomonis, in gerendis rebus, *immitis ille*, atque infelix feruor, videbatur. Ergo, a ſpe, recuperandæ dignitatis regiæ, deiectus iterum Salomon, *Piſonio (i.)* aſſiduis regnum incurſionibus fatigabat; dum in agro *Moſonienſi*, quorſum ad colloquium Ladislavm *euocarat, vt incautum* e medio tolleret, a Rege, caperetur, *mox cuſtodiæ Viſſegradenſi*, tradendus. Numquam poſtea, *Piſonium* Salomonem reuidit: quippe, dimiſſum quidem e carcere, ſed bello Cumano, quod concitauerat, profligatum, atque ad reſipiſcentiam, eximio diuinæ bonitatis munere, perductum. Quidquid eius ſit, *Piſonium* certe, ex *Salomonis* variante fortuna, non vna locupletatum eſt, ciuium, iuxta, & munitionum, acceſſione. Colomanni ætate, qui poſt S. Ladislavm diadema capeſſiuit, nihil de *Piſonio* reperio: quam quod pronum ſit coniectatu, ſacros illos *(k.)* milites, qui regi, ex ſe aſpero, plurimum faceſſebant negotii, vix vrbi peperciſſe; ſaltem, agrum oppidi, latrociniis, quibus dediti fuerant, contemerauiſſe. Fuit poſtea, ſub Stephano II. & Bela cæco, quædam vrbi requies, quod conuerſis aliorſum armis, pax, in iſto collimitio, habebatur. At, ſimul Geysa II. faſces regni ſuſcepit, ab *Henrico* Auſtrio, Hungaria bello perturbata, *Piſonium* vero, aſtu interceptum eſt. Mutuum illi, & inueteratum, cum *Hungaris*,

ſub Colomanno:

ſub Stephano; & Bela *cæco*:

Henrici *Auſtriaci, in Hungariam, molitiones:*

i.) Bonfinivs, loco citato, p. 226, 2.

k.) Dedimus eorum hiſtoriam, in Comitatu *Moſonienſi*, ad eius oppidi mentionem.

garis, odium, interceſſit. Cuius exſerendi occaſionem, cum ex iuuenili Geysae ætate, offerri ſibi credit, exercitum comparat, Conradvm III. Romanorum Imperatorem, in belli ſocietatem pertrahit, totumque Noricum, Saxoniam & Vindeliciam, ad delendum Hungaricum nomen, in arma concitat. Tanti moliminis exordia, ab occupato *Piſonio*, ducenda ratus, vrbem, ante omnia, quoquo modo liceat, intercipiendam ſtatuit; quod ſciret, hinc, & Danubium intercludi, & regionem vniuerſam, infeſtari poſſe. Itaque, ante rem adoritur, quam belli fama percrebreſceret. Rei adminiſter, *Iulianus* comes deligitur, qui collocatis opportune inſidiis, *Henrici* deſtinationem exſequeretur. Is, *Rapolto* dat negotium, vt feſtinati obtentu itineris, cum delecta equitum ala, diluculo ad vrbem accedat, intra mœnia, tamquam qui porro proficiſci vellet, acceptus, portam occupet, atque, tam diu, ſuis infeſſam militibus, teneat, dum ipſe, ex inſidiis proruat. Fecit *Rapoltus* iuſſa. Quod enim adhuc belli aberat *ſuſpicio, ab vrbis* cuſtodibus, facile immittitur. Ille vero, portam, & *quæ huic imminebat*, turrim, ex compoſito occupat, ſocios, dato ſigno, ex inſidiis prolicit. Tunc *Iulianus*, facto cuneo, ad portam adcurrit, promotoque in forum agmine, oppidanos, arma ponere, nec quidquam hoſtile timere, iubet. Data publice fide, ſenatum cogit, cur veniſſet, quidque ſibi vellet ſubita irruptio, palam exponit, amicitiam, fœderaque intemerata, ſancte pollicetur. Ciues, plerique omnes, *Germani*, facile, iis vocibus pacati ſunt, neque illubentes, externæ dominationi ſe permiſerunt. Iam in hoſtium poteſtate vrbs fuerat, cum inopinati belli fama, per regnum *late* vagata, ad nouum regem pertingit. Indoluit gens vniuerſa, *Piſonium*, Hungariæ *ocellum*, Germanorum ſubita irruptione, ſi non eliſum, contemeratum *tamen eſſe. Proinde*, factis delectibus, bellum, quam late regio patet, *ingenti boni ſucceſſus* fiducia, conclamatur. Nullus, in exercitu, nomen profitetur, quin recuperandum *Piſonium*, ſanguinis, vitæque impendio, conteſtetur. Regis potiſſimum ardor, iuuenili ætate inflammatus, huc vnice ferebatur, vt, & vrbs regno adſereretur, neque hoſtis bellum impune feciſſe, putaretur. Et fauit profecto conatibus fortuna. Præterquam enim, quod intra ſuos fines, victus *Henricus*, temeritatis pœnas dedit, *Piſonium*, capto in pugna, vrbis raptore, *Rapolto*, in ditionem *Hungaricam*, vindicatum eſt. Longus eſt, in deſcribendo eo bello, an prælio, Bonfinivs: *(l.) Henricus*, inquit, *cum ceteris, magna ex parte vulneratis, caſtris exutus, turpiter aufugit, & in Auſtriam, pertæſus audaciæ ſuæ, ſe recepit. Cæſorum numerum, ad ſeptem millia memorant; ex Hungaris tria millia deſiderata. In eo bello*, Rapoltus, *Alamannus, quem per nocturnas inſidias, Piſonium occupaſſe diximus, ab Vro equite, &* Otho, *a Gabriele, captus eſt. Rex victoria potitus, ſpoliatis caſtris hoſtium, cum vniuerſo exercitu, in Hungariam rediit, horum exuuiis, templa ditauit.* Tanti

Piſonium, *aſtu interceptum:*

Geyſa, *in ſuam poteſtatem, vindicat.*

P tunc

l.) Decad. II. Lib. VI. p. 259. ſeqq. Thúróczivs, Parte II. Cap. LXV. p. 75.

tunc erat, *Pisonium, (m.)* ex Austriacorum manibus, excussisse. Post eam cladem, abstinuit se ab iniuriis *Henricus*, fuitque ideo, *Pisonium*, & quod vicinum ei est, collimitium, ab hoste tutum intemeratumque.

§. VI.

Stephani III. *in Pisonienses, benignitas:*

STEPHANVS III., patri *Geysæ*, communibus omnium votis surrogatus, impensa, cum vniuersum regnum *(n.)* ciuesque, tum *Pisonium* in primis, beneuolentia, prosequutus est. Iuuat eius diploma, cuius αὐθεντικὴν membranam, nos ipsi aliquando legimus, & exscripsimus, hic interserere. Habet vero, id, quod huc adtinet, hoc modo: *Istos homines, inter suburbanos Posonienſis castri existentes, quorum nomina sunt:* Ombud, Colou, Cuzen, Petu, Vokut, Nichw, Numsa, Endre, Scerecunpentiki, Iuna, Kelud, Gaca, Ceka, Gurdar, Scaragunka, Petu, Iuna, Fonsol, Nichw, Arichdi, *a castrensi seruitio subtraxi, eo tamen tenore, vt inter proceres eiusdem castri, proceres filii, scilicet Stephani Regis, existant, ea videlicet caussa, quod relictis suis omnibus, mecum vbique steterunt intrepidi.* Postea, vt sua tabulis auctoritas, constaret, *Barones* Regni, adscribuntur. *Quæ caussa, vt firma sit, præsentia meorum Nobilium,* Lucæ *Archiepiscopi,* Ombud *Palatini Comitis*, Laurentii *Curialis Comitis*, Ruben *Comitis*, Vanlegen, *eiusdem castri Comitis*, Soecu *Comitis*, Lucæ *Comitis*, Csabu *Comitis*, *per* Vicennium, *notarium meum adscribi, & sigillo regali affirmare præcepi.* In primis, memorabilis est, pœnarum, in præuaricatores, designatio. *Si quis vero imposterum hanc libertatem, Regia Gratia, concessam, a prædictis hominibus retrahere voluerit, sub anathematis gladio feriatur, & in Cameram Regis centum libras auri persoluat.* Denique, diplomatis epilogus, in hæc verba exit: *Factum est autem hoc instrumentum, anno Dominicæ Carnationis MCLXV. Huius rei testes sunt* EGIDI & LECHAV. Quis non miretur, Scythica hæc *Pisonienſium* nomina? Virtutis certe laudem tulerunt eximiam, quod digni habebantur, quibus ob singularem, in bello, fortitudinem, nobilitatis prærogatiua, conferretur. Et sunt omnino hodieque, inter *Csallóközienſes* insulanos, qui horum propagati genere, acceptam, a maioribus, immunitatem, nuper, CAROLI VI. auctam benignitate, adhuc cum cura tueantur.

eius diploma.

§. VII.

Vrbis fortuna, Belæ III. & Ladislai III. *tempore, ignoratur:*

REgum, qui STEPHANVM excepere, puta BELAE III. EMERICI item, & huius filii, LADISLAI III. res gestæ, in obscuro sunt positæ: quo circa, *Pisonienſium* quoque fata, ignoremus oportet. Fre-

m.) Rem gestam, *Annales Hungarici*, ad annum MCXLII. exteri, ad annum sequentem, referunt. Vide PEZIVM, Scriptor. Rer. Austriac. Tomo I. col. 782. TIMON, loco cit. p. 51. oblato ære, *Pisonium*, a præsidiariis *Germanis*, redemtum fuisse, auctor est.

n.) Dec. II. Lib. VI. p. 266, 36.

Frequentatum vero, ab optimis regibus, & nouis subinde ditatum fuisse accessionibus, non est, cur dubitemus. Est in manibus nostris, insigne EMERICI diploma, quo is, *Zerzowojum*, filium *Sbima*, castri *Pisonienſis* subditum, inter nobiles adseruit, dignum, quod isthic carptim legatur: HEMERICVS, *Dei Gratia, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Rex, in perpetuum. Quanto rarior hominum, crescente nequitia, fides inuenitur in terris; tanto fidelitatis merita, cariora sunt habenda, & maioribus compensanda stipendiis. Hinc est, quod quemdam Iobagyonem de castro* Posony, *nomine* Zerzowoy, *filium* Sbima, *qui in aduersitatibus & bellis, inter nos, & fratrem nostrum habitis, a fidelitate nostra non declinauit: ob meritum suæ deuotionis, ad eximiam extulimus libertatem, statuentes; quod nullus Comitum, aut aliorum, in eo sibi ius aliquod vendicare præsumat; verum in Aula Regia, tam ipse, quam sui hæredes, perpetua libertate gaudeant.* Additur, huic quoque, inconcussum robur, in hunc modum: *Vt igitur nostra donatio, inconcussæ firmitatis robur obtineat, scripto commendari, & imaginis nostræ sigillo fecimus insigniri. Datum per manus Magistri* Katapatu, *Albensis Præpositi, Aulæ Regiæ Cancellarii. Anno Incarnationis Dominicæ MCXCVII.* Prælatorum, & Baronum, qui rerum tunc potiebantur, hæc nomina, in diplomatis calce, leguntur: *Venerabili* Iob, *Strigoniensi Archiepiscopo existente.* Saul, *Coloczensi Archiepiscopo.* Vngno, *Iaurienſi Episcopo.* Esau *Palatino Comite, & eodem Bácsiensi*, Esau *Curiali Comite, & eodem Seradiensi.* Dionysio *Comite de Suprun.* Petro *Comite de Bichor.* Hermone *Comite de Zounuk.* Ergo, & tunc, fide in regem, *Pisonienſes*, & circumsita regio, emicuerunt, cum nobilior propemodum Hungaria, ANDREA, *(o.)* qui postea *Hierosolymitanus* dictus est, instigante, a suo rege defeciſſet: id quod ad laudem vrbis, & regionis facere, nemo inficiabitur.

Emerici *tabulæ.*

§. VIII.

Ladislai IV. & Andreæ II. *ætas:*

SVb LADISLAO, *Emerici* filio, semestri admodum rege, *nihil* vrbi nostræ, dignum memoratu, accidit. Sed nec sedente ad reipublicæ clauum ANDREA II. quidquam reperio, quod res *Pisonienſium* magnopere illustraret. At, vbi BELA IV. patri, in regno succeſſit, non vna conuersione, fortuna *Pisonii* fuit contemerata. Nam rege, a *Tartaris*, ad amnem *Sajó*, anno MCCXLI. cum vniuerso, propemodum exercitu, profligato, immanis hostium feritas, qua nihil dirius relatum vspiam in litteras reperias, *Pisonium* vsque pertigit. Et fuerunt sane, eo arctiore loco res *Pisonienſium;* quod a gemino hoste, infestarentur. Præter *Tartaros* enim, *Fridericus*, Austriæ dux, mirum dictu, quanta crudelitate in Hungariam sæuierit. Si CROMERO scripto-

vrbis, sub Bela IV. *conuersiones:*

Tartarorum, & Friderici Austriaci, *immanitas:*

P 2

p.) Historiam, conflati belli, cuius procellam sua facundia discussit EMERICVS, apud BONFINIVM legas, Decade II. Lib. VII. p. 275. seqq. quam longe aliter, *Historia Ducum Styriæ*, in rebus LEOPOLDI II. refert, Parte I. p. 38. 39.

ſcriptori Polonico, fides, tantam immanitatem in ædes, homines, ſacra, & profana, quacunque ferebatur, exercuit, vt, qua parte nunc *Fridericus*, qua nuper *Tartari* ſæuierint, e locorum quidem ſitu, non item e veſtigiis immanitatis, dignoſceres; vt non mirum, a *Batto*, Tartarorum rege, ad armorum ſocietatem inuitatum ea lege fuiſſe, (qua non recepta, nullius legationem barbarus admiſerat,) vt eiurato DEO, nulli facturum ſe vitæ veniam, voueret. Hæc, auctor *Hiſtoriæ*, *(p.)* quæ res *Ducum Styriæ*, complectitur. Neſcio, an, ſiue Tartari, ſiue Auſtrii, noſtra mœnia perruperint, fecerintque ſibi vrbem obnoxiam. Agrum, circumquaque vrbi offuſum, non vna euaſtatum fuiſſe ſtrage, certum eſt.

§. IX.

Friderici *occubitus*:

PRæludia hæc fuere, maiorum calamitatum. Enim vero, decedentibus Hungaria Tartaris, illatam regioni iniuriam, BELA IV, ad eum modum vltus eſt, vt *Fridericum*, commiſſa ad *Laytham*, pugna, e viuis tolleret. Verum, ea tunc fuit Hungariæ fortuna, vt proſperis etiam præliis, noua ſibi bella, calamitates nouas, arceſſeret. *Auſtriam* nimirum, & innexas iuribus eius, prouincias, cum inde *Hermannus* Badenſis, illinc *Ottocarus*, Bohemiæ rex; iſthinc BELA IV. prætextis, ſinguli, rationibus, adpeterent, bellum conflatum eſt, vti auctoribus, ſic Hungariæ, & *Piſonio* in primis, exitiale. Succeſſerant primum, BELAE conſilia, qui reiectis partim, partim delinitis, tanti patrimonii candidatis, STEPHANVM filium, in *Styriæ* poſſeſſionem, immiſerat: cuius rei memoriam, hodieque loquuntur membranæ, in quibus legas: STEPHANVS, *primogenitus* BELAE *IV. illuſtris Hungariæ Regis, Dux Styrenſis. Inuſitata omnium ordinum* lætitia acceptus STEPHANVS, *fauſtis initiis*, *diſparem* exitum, ſortitus eſt. Quia enim, non legati modo, quos ex patris voluntate, *Styriæ* adminiſtrandæ, præfecerat; ſed ipſe etiam, ſordidius, quam pro nouo principe, res moderabatur, magna, in proceribus, & populo, animorum, ab *Hungaris*, conſequuta eſt alienatio. Mox, eiectis Hungaricis præſidiis, *Ottocarus*, tunc Viennæ moratus, ad capeſſendam *Styriæ* dominationem, aduocatur. Eam vocationem, prudentius, an auidius ſequutus, *Ottocarus*, materiam dedit belli, Hungaris, *Piſonioque* funeſti, ſibi, ad vltimum, mortiferi. BELA enim, *factæ*, nuper, magno ſumtu, prouinciæ, ſubitam iacturam iniquius ferens, *Ottocaro* iam tunc Auſtria potito, imminebat; dum res, in apertum bellum erumperet. Igitur, ne cauſſæ ſuæ, quam iuſtiſſimam rebatur, deeſſet *Ottocarus*, validum exercitum cogit; occurrit infeſtis ſignis BELA, ſolo *Moraux* amne, ab hoſte diſiunctus. Aliquot dies, vterque exercitus, caſtris ſe continuit; dum *Ottocarus*, moræ impatiens, *Belam*, trans amnem, pactis quatuor dierum induciis, prolicit. Committitur improuiſo pugna; cæduntur *Hungari*; rex ægre *Haynburgum (q.)* profugit. Proinde, victor, ſuperato amne, Hungariam inuadit. OTTOCARVS, inquit Styriæ ducum *(r.)* hiſtoria, *direptis, quæ omni annona, & armorum adparatu referta, hoſtis reliquerat, caſtris, victore exercitu, ne colligendi Hungaris ſpatium eſſet*, PISONIVM *vsque, regionem omnem, exurit. Progredi parantem, pro pace, ſupplices, a* BELA, *legati interpellant.* Itaque, in pacis tunc conditiones, *Piſonii*, *(s.)* itum eſt, quibus BELA, *Styriæ* ſe dominatione abdicabat, OTTONIS, Marchionis Brandenburgici filia, *Ottocari*, ex ſorore nepte, *Belæ* iuniori, regis filio, in vxorem promiſſa. Eius pacis tabulis, ſequenti demum anno MCCLXI. *Viennæ*, vterque regum, ſubſcripſere: quorſum BELA, comitatu longe ſplendidiſſimo, ſtipatus venerat: BELA, vti habet *Styriacæ* hiſtoriæ auctor, *comitatu longe ſplendidiſſimo, & ſuperbo veſtium luxu, opes regni oſtentabat. In vrbem inuectum, præter duos filios*, (Stephanum, & Belam,) *Ruſſiæ, Seruiæque Reges, ab his, quinquaginta duces, ſequebantur. Ad pompæ augmentum*, OTTOCARVS, *clientelares, in Auſtria, dominos, ad dicendum Sacramentum, euocarat.* BELA, *ſiue eo procerum conuentu, territus, ſiue illi aliunde iniecta ſuſpicio, Ottocarum, fraudis aliquid, aduerſum ſe machinari, nondum tradita nuru, cum filiis, occulta fuga ſe ſubduxit, ſcriptisque* Poſonio *litteris, ſponſam filio poſtulans transmitti, ab offenſo licet rege, obtinuit. Nuptiarum feſtum, regiis impendiis, ab* OTTOCARO, *ſponſæ auunculo, anno LXV. in campo, prope* Fiſcham *adornatum.* Nihil harum rerum, apud BONFINIVM *(t.)* legas, quas tamen interſerendas exiſtimauimus, vt vrbem noſtram, eo redderemus illuſtriorem.

nouæ belli occaſio:

p.) Parte I. in FRIDERICO I. p. 78.

Belæ *cladis*:

pax inde ad Piſonium *conflata*:

anno ſequente, in tabulas refertur:

nuptiisque firmatur.

§. X.

Inſignis rerum Hungaricarum lacuna:

POſt *hæc tempora, ingentem* lacunam *(u.)* fecerunt rerum Hungaricarum ſcriptores, *quaſi, tribus amplius luſtris*, haud quidquam geſſiſſet BELA IV. aut filius ſuus STEPHANVS, dignum memoratu. Inſignia ſunt monimenta in manu noſtra, quæ, & belli, inter patrem filiumque, eadem hac tempeſtate exardeſcentis, mentionem, & pacis habent conditiones. Debemus ea, inuſitatæ bonitati, qua proſequitur ſtudia hæc noſtra, EMERICI ESZTERHAZY, S. R. I. P. & Strigonienſis Metropolitæ, qui benigne depromta ex tabulis, curauit nobiſcum communicari. Ergo, fas æquumque eſt, vt heic illa interſeramus, lucis quidpiam, ſicuti monebimus infra, cum rebus Hungaricis, tum Piſonienſibus etiam fœneratura. Ita vero habet:

expletur, hiſtoria pacis, inter Belam *patrem, &* Stephanum *filium: e diplomatibus depromta.*

q.) Itaque, *Haynburgum*, in Hungarorum tunc poteſtate fuit; in hoſticum certe, non fugiſſet BELA.

r.) Eodem *loco*, p. 94. Vt vero celebris victoriæ, perpetuum monumentum exſtaret, octo poſt annis, vrbem *Marcheggum*, in ipſo pugnæ loco, OTTOCARVS condidit. *Inibi*, p. 95.

s.) Conf. *Chron. Zwetlenſe* apud PEZIVM, Tom. I. col. 982.

t.) Decade II. Lib. VIII. p. 302. vbi, præter pacis mentionem, nil quidquam, de *Viennenſi* conuentu, ſed nec de nuptiis *Belæ* ducis, reperias,

u.) Primus eam, facto rei indicio, ſicuti paſſim, explere cœpit, SAMVEL TIMON e S. I. Synops. Nouæ Chronol. p. 96.

DIPLOMA PRIVS.

NOS STEPHANVS, DEI Gratia, Iunior Rex Ungariæ, Dux Transylvanus, Dominus Cumanorum, significamus omnibus præsentium per tenorem; quod ad habendam, redintegrandam, & conseruandam nuper in *Posonio* habitam, Anno Domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo secundo Kalen . . . , inter Dnum Regem Charissimum Patrem Nostrum, & Nos, Pacis, & concordiæ vnionem, mediantibus Venerabilibus Patribus, Philippo Dei gratia Strigoniensi, Aulæ Charissimi Patris Nostri Cancellario, & Smaragdo Colocensi, Aulæ Nostræ Cancellario, Archi-Eppis; Philippo Episcopo Vaczensi, Aulæ Charissimæ Consortis Nostræ Cancellario, Ioanne Præposito Orodiensi, Electo Sirmiensi, Magistro Præposito Scybinien. Aulæ Nostræ Vice-Cancellario, cum consensu, Beneplacito, Voluntate, & approbatione Uniuersorum Baronum, & Nobilium Nostrorum, nec non requisito Principum Cumanorum consilio, & habito assensu, saluo iuramento, & in suo robore perdurante, quod tunc apud *Posonium* super obseruatione Pacis, Conuentionis, & concordiæ inter Dnum Charissimum Patrem Nostrum, & Nos habitæ præstitimus, & modo, vt omnia, & singula capitula, quæ in Literis super præfata conuentione, Concordia & unione confectis, & Nostro duplici Sigillo roboratis inseruntur, & continentur, per Nos obseruentur, Sacro-Sanctis DEI Evangeliis viuifico Dominicæ Crucis Ligno, & multorum Sanctorum DEI reliquiis coram positis & tactis, corporaliter iuramus, sine omni coactione, necessitate, & Cohortatione, sed spontanea, & libera voluntate, confitentes, protestantes, vocantes, & clamantes, Nos contentos, quietos, & bene pacatos, iis, quæ Charissimus Pater *Noster, Illustris Rex Ungariæ*, nuper in compositione *inter ipsum, & Nos in Posonio* habita, in Ducatu, Terris, Castris, Villis, Reditibus Nobis dedit, concessit, & assignauit, quoadusque vixerit ipse Charissimus Pater Noster, promittentes nihil amplius ab ipso petere, requirere, vel exigere, sub Iureiurando, quod præstitimus, & præstamus, tactis corporaliter Sacro-Sanctis Euangeliis, & viuifico Crucis Dominicæ Ligno, & promittimus contra ipsius Coronam, vel Regni sui, vel Charissimi Fratris Nostri Belæ Ducis, Ducatus, & Iurium vtriusque imminutionem, læsionem, præiudicium, seu grauamen, nihil cogitare, attemptare, agere, vel aggredi, palam vel occulte, fraude vel ingenio, vel aliqua machinatione, per Nos, vel Nostros Barones, Nobiles Regnicolas, vel Cumanos, nec non Extraneos Reges, Duces, Ruthenos, vel Polonos, vel cuiuscunque exteræ nationis homines, sed potius promittimus eidem Charissimo Patri Nostro assistere, auxiliari, & esse præsidio, contra omnes, qui in eum insurgerent & eiusdem Maiestatem offendere molirentur, ipsius Regnum, vel Regni Terminos turbare & molestare volentes, pro viribus expugnando. Vniuersis etiam

etiam innotescimus per præsentes, quod Nos Castrum Fylek, cum pertinentiis suis bona voluntate & gratanti animo receperimus a Charissimo Patre Nostro, pro Castro, quod idem Nobis promiserat, & ad dandum se obligauerat per suas Literas in Compositione, seu concordia *Posonii* habita, vnde traditione, & assignatione Castri prædicti Nobis iam facta, ipsum ab obligatione tradendi Castri profitemur, & dicimus expeditum, & Litteras, quibus ad dandum Castrum Nobis se obligauerat restituere promittimus, & resignare, quæ si restitutæ non essent, vel restitui non possent, cassæ & irritæ, & omni robore vacuæ habeantur, & vbicunque, & quandocunque exhibitæ, & ostensæ fuerint, nullius sint momenti. Item promisimus, & promittimus, quod omnibus Baronibus seruientibus Charissimi Patris Nostri occasione Guerræ casualiter habitæ, & exortæ, post pacem inter ipsum Charissimum Patrem Nostrum, & Nos, apud *Posonium* initam, & firmatam, Vniuersis spoliatis restituemus, & restitui faciemus, omnia Bona *mobilia, & immobilia*, vel se mouentia, quæ ab eisdem per nos, *vel Nostros*, prætextu præfatæ discordiæ sunt ablata, Prencellino, & Francone duntaxat exceptis, quos in compositione apud *Posonium* habita, per Herrandum, Magistrum Agazonum Charissimi Patris Nostri, Comitem Threncsinienſem, & Magistrum Ladislaum, Archi-Diaconum Hunthensem, Strigonienſem Canonicum, Familiarem Clericum præfati Genitoris Nostri ab huiusmodi restitutione seclusos, sicut possumus recordamur; de quibus nihilominus taliter duximus statuendum, vt si prædicti Herrandus Comes, & Magister Ladislaus, Tractatores tunc pacis, iurauerint, se non excluſiſſe *prædictos Prencellinum*, & Franconem, vel non admisisse exclusionem eorum a communi spoliatorum *restitutione*, extunc ipsi, sicut & cæteri, restitutionis beneficio potientur. *Si autem iurare noluerint*, ex tunc ab huiusmodi beneficio excludentur. Pousam *autem, generum eiusdem* Franconis, sine difficultate qualibet restituendum iudicamus, fiet autem Restitutio eorum, qui in Restitutionis causa erunt, per Venerabiles Patres Philippum DEI gratia Strigonienſem, Aulæ similiter Patris Nostri *Cancellarium*, & Smaragdum Colocensem, Aulæ Nostræ Cancellarium, Archi-Episcopos. Ità, quod si prædicti Venerabiles Patres ambo his exequendis, non possent pariter conuenire, extunc Archi-Episcopus Strigonienſis in sua Prouincia, adiuncto sibi vno Barone Nostro, & alio Barone Domini Charissimi Patris Nostri, & Archi-Episcopus Colocensis in eius Prouincia, adiuncto sibi similiter vno Barone Nostro, & alio Barone Charissimi Patris Nostri, prædictæ Restitutionis Articulum exequantur. Pro eo etiam, quod Charissimus Pater Noster promisit non sollicitare Cumanos Nostros, allicere, rogare, & rogari facere, ad se venire, nec vltro venientes recipere, vel tenere: Repromittimus sibi Teuthonicos, Sclauos, ad Ducatum Sclauoniæ pertinentes, & Bohemos, quos in præsentiarum habet, vel habuerit, in futurum non sollicitare, allicere, rogare, vel rogari facere, vt ad Nos veniant,

niant; quin imo ſi vltro venient, non recipiemus eos, nec admittemus, vel tenebimus aliqua ratione. Promittimus etiam ſub præſtiti iuris iurandi religione, Nos medietate Salium Tereſtrium, & aquaticorum eſſe contentos, alia medietate tam Terreſtrium, quam aquaticorum Salium, Patri Noſtro Chariſſimo ſecundum conuentionis apud *Poſonium* inter ipſum, & Nos habitæ tenorem, iure integro remanente. In qua medietate vtrorumque Salium officialis ſuus, cum officiali Noſtro in medietate Noſtra, quantum ad officium Salium pertinet, vtetur, & fruetur per omnia, quo iure, & populi, qui Salis-Foſſores vocantur, pro medietate ſpectabunt ad ſuum officialem, & pro medietate alia ad Noſtrum, vtrique tamen ſuis ſumptibus conducent Salium Inciſores, & per omnia paris erunt Iurisdictionis, curribus, ſeu Emptoribus Salium inter eos æqualiter diuidendis, & ſi aliqua eſſent, quæ ad prædictorum officialium ſuper ſalibus Terreſtribus, & aquaticis officium ſpectarent, licet præſentibus inſerta non habeantur, nihil alterutrius Noſtrum officialis, alterius officiali plus vel minus habere debebit, ſed per omnia æquabuntur, & Nos officialem, vel officiales, quem vel quos Chariſſimus Pater Noſter, in Salibus aquaticis, & terreſtribus, pro ſua medietate ſtatuerit, non inquietabimus, moleſtabimus, vel turbabimus, nec inquietari, moleſtari, vel turbari ab aliquo alio, vel aliis permittemus, ſed potius ei, vel eis fauorem Patris Noſtri intuitu, impendemus. Item promittimus, quod ſi Comes Palatinus Noſter, ſiue Iudex Curiæ Noſtræ, vel alii Iudices Noſtri Baronibus, ſeu ſeruientibus Chariſſimi Patris Noſtri in Cauſis Poſſeſſionum, & aliis conquererentur ex cauſa probabili ſe grauari, Nos ad inſinuationem & requiſitionem Venerabilis Patris Smaragdi Archi-Epiſcopi Colocenſis perſonaliter prædictorum Iudicum Sententias, & Proceſſus audire, & *emendare* tenebimur, iuxta modum *præſtiti ſuper hoc ſpecialiter* Sacramenti. Præſtito etiam *promittimus iuramento*, *quod* omnes Principes, Barones, ſeu quilibet ſeruientes Chariſſimi Patris Noſtri in Portione Regni Nobis aſſignata, Domicilia, & Poſſeſſiones obtinentes, in eundo ad ea, & morando in eis, ac redeundo ad memoratum Chariſſimum Patrem Noſtrum, in pace tranquilla, quiete pacifica, & ſecuritate gaudeant inconcuſſa, eo prætextu, vel occaſione, quod Chariſſimo Patri Noſtro adhæſerunt, vel qui in futurum adhæſerint, cum adhærendi ei, & ſequendi eum Vniuerſi Regnicolæ iuxta ordinationem factam, largam licentiam, & liberam habeant facultatem, nullum metum, nullam omnino formidinem habituri, ſed in Perſonis, poſſeſſionibus, familiis, terris, & Territoriis, ac bonis omnibus indiſtincte plena pace gaudeant, ſecuritate pacifica iocundentur. Promittimus etiam tactis Euangeliis, & Sanctorum Reliquiis; quod Eccleſiarum, Baronum ſeruientium, ſeu Nobilium in portione Regni Nobis aſſignata, Iura, Libertates, Emunitates, Status & Priuilegia, conſeruabimus, & quantum in Nobis eſt, faciemus, & conſeruare curabimus, cum effectu, ſecundum continentiam & tenorem Litterarum Noſtrarum, ſuper huiusmodi

iusmodi *ordinationibus confectarum*, quarum mentionem fecimus in *præmiſſis*. Item, tactis Sacroſanctis & coram poſitis Reliquiis promittimus, quod ſuper attendendis, & obſeruandis omnibus & ſingulis, quæ præmiſimus, & quæ inferius inſerentur, & ſpecialiter ſuper reformandis, reſtaurandis, defendendis & conſeruandis deperditis, depreſſis, & ſuppreſſis per iniuriam Eccleſiarum ſeruientium, ſeu Nobilium in portione Regni Nobis aſſignata, Venerabiles Patres Strigonienſis, & Colocenſis Archi-Epiſcopi, quorum Iurisdictionem in hac parte in Nos voluntarii, & idonei prorogamus, per cenſuram Eccleſiaſticam Nos valeant, & debeant cœrcere, non obſtante Priuilegio, ſi quod Nobis a ſede Apoſtolica eſſet indultum, cui in his renunciamus, ne absque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali excommunicari, vel interdici poſſimus, per ordinarium, vel ordinarios Noſtros, ſeu litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam de indulto huiusmodi mentionem. Accedentibus etiam omnium Baronum Noſtrorum *Conſilio & conſenſu*, conſentimus, & ſub iuris iurandi Religione com*promittimus*, vt ſi contra compoſitionem, & ordinationem præſentibus interſertam, Nos, vel prædictus Pater Noſter Chariſſimus, guerram vel Exercitium mouere voluerimus, Nos, vel Ipſum, qui temerator & transgreſſor præſentis compoſitionis, & pacificæ ordinationis fuerit, dicti Venerabiles Patres Strigonienſis & Colocenſis Archi-Epiſcopi, quorum Iurisdictionem in Nos, & Chariſſimus Pater Noſter in hoc negotio, præſentium teſtimonio prorogamus, ſubiiciendi Nos, & terram Noſtram interdicto, & excommunicandi Nos, & Noſtros, ſi neceſſe fuerit, habeant facultatem. Sed ne *alterutri Noſtrum* per malitioſam confictionem, vel calumnioſam adinuentionem, præter culpam *falſo & inique* aliquid impingatur, dicti Venerabiles Patres de *emergentibus ab alterutro Noſtrum iniuriis*, primum de plano, & ſine ſtrepitu Iudiciorum *cognoſcent*, & *tunc demum*, ſi paternaliter admonendo iniuriantem, & *iniurioſum* guerræ *incitatorem*, Nos, vel ipſum Chariſſimum Patrem Noſtrum, compeſcere nequiuerint, in eum, quem huiuscemodi temerationis, vel transgreſſionis ſciuerint *eſſe reum*, præſcriptam Cenſuræ Eccleſiaſticæ proferant vltionem. Interpoſito etiam conſimili promittimus Sacramento, quod ſi in ſubſidium *Michaelis* Ducis, Chariſſimi Fratris Noſtri, exercitum aliquem mittere Nos contingat, non mittemus, nec ipſum Exercitum procedere patiemur per terram Chariſſimi Patris Noſtri, nec in Poſſeſſionibus Baronum ſiue ſeruientium eiusdem Chariſſimi Patris Noſtri, quas iidem in portione Nobis aſſignata habent & poſſident, Exercitum, quem miſimus deſcenſum aliquem facere, vel aliquod aliud ſpoliſum, vel grauamen inferre aliquatenus patiemur. Item promittimus bona fide quod Caſtra quæ Barones ſeruientes ter - - les Chariſſimi Patris Noſtri in portione Regni Nobis aſſignata, vel vbicunque obtinent, obſideri, vel capi per Nos, vel Noſtros, vel quoslibet alios non procurabimus, Machinatione aliqua publica, vel occulta, nec etiam huiusmodi inſidias,

vel captiones fieri patiemur ab illis, quibus reſtituere *(reſiſtere)* potuerit poſſe noſtrum. Volumus etiam, & promittimus non inuiti, nec vti Litteris Chariſſimi Patris Noſtri, quibus & quocunque tempore, & ſuper quibuscunque Articulis impetratis vel confirmationibus, ſi quæ ſuper eisdem Litteris a ſede Apoſtolica per quemcunque quocunque ingenio ſunt obtentæ, quæ de facto, vel de Iure Patri noſtro Chariſſimo præiudicarent, vel præiudicare poſſent, renunciantes omnibus Exceptionibus Iuris, & Facti, quæ Nobis ex illis Litteris competerent, vel competere vnquam poſſent, ſed eas rumpere, & caſſare promittimus bona fide, & ſi alibi præter conſcientiam noſtram latenter eſſent repoſitæ, nullius penitus ſint momenti, ſed hæ ſolæ litteræ Noſtræ, & aliæ priores apud *Poſonium* confectæ, de quibus iam pluries in præmiſſis mentionem fecimus, quas etiam in præſentibus Litteris confirmamus, perpetui roboris obtineant firmitatem. Vltimo autem filiali recognitione compuncti, & ammoniti, promittimus Chariſſimo Patri Noſtro filialem reuerentiam & honorem, cum omni deuotione & ſinceritate, cupientes ipſius Benedictione & Dilectione, deſideratiſſimis, omni tempore perpotiri. Et hæc omnia ſingula præmiſſa conſeruabimus, ſic Nos DEVS adiuuet, & hæc ſancta DEI Euangelia, & hoc coram poſitum, & corporaliter per Nos tactum viuificum Dominicæ Crucis Lignum. Datum Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo Secundo. Nono Idus Decembris. Fuit hoc STEPHANI, iunioris Regis diploma, prolixum ſane, & pietatis in BELAM patrem plenum. Nempe, confirmabat eo diplomate, STEPHANVS, pacem *Piſonienſem:* de cuius conditionibus, tamquam per nebulam, ex argumento tabularum, poſſis hariolari. Locus, quo eæ ſunt perſcriptæ, expreſſus non eſt. *Boroſzlonem* autem fuiſſe, ſequens, quod ſubnectimus, STEPHANI diploma, condocet. Suſpicamur, *videlicet*, repullulaſſe fortaſſis diſcordiæ ſemina, ſaltem, male confocillatam pacem, cœpiſſe contemerari denuo: vt proinde, nouis perſcriptis tabulis, obſequium, BELAE patri, STEPHANVS adfirmarit. Sic vero eæ habent.

DIPLOMA POSTERIVS.

NOS STEPHANVS DEI GRATIA IVNIOR REX HVNGARORVM, DVX *Transyluanus*, DOMINVS CVMANORVM, *ſignificamus Vniuerſis præſentium per tenorem, quod habitis & ordinatis nuper in* Puruzlo *inter Nos & Chariſſimum Patrem Noſtrum Regem Hungariæ, ſuper Pacis & Concordiæ Vnione, habita Deliberatione, hos Articulos ſupperaddendos, & declarandos decreuimus, vt habita & ordinata inter Nos habere valeant perpetui roboris firmitatem. Volumus enim, quod litera habita & ordinata per venerabiles Patres, Philippum DEI Gratia Strigonienſem Aulæ Chariſſimi Patris Noſtri Cancellarium, & Smaragdum Colocenſem Aulæ Noſtræ Cancellarium, Archi-Epiſcopos, vsque Feſtum S. Iacobi Apoſtoli, nobis & Cariſſimo Patre Noſtro pariter procurantibus per Sedem Apoſtolicam confirmetur. Ita ſcilicet, quod per dictos Venerabiles*

Patres, Pars, quæ pacem præſumpſerit violare, quod abſit, ad obſeruationem Pacis per Cenſuram Eccleſiaſticam compellatur, & ſub iuris iurandi Religione compromittimus, vt ſi contra Compoſitionem, vel ordinationem habitam, apud Poſonium, *& in* Puruszlo, *ſicut in prioribus litteris hinc inde confectis continetur, aliquid attentauerimus, & ſi Temeratores & Transgreſſores Compoſitionis, & pacificæ Ordinationis inter Nos factæ reperti fuerimus cum Baronibus Noſtris, ſcilicet cum Venerabili Patre Smaragdo Dei Gratia Colocenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo Aulæ Noſtræ Cancellario, Magiſtro Benedicto Præpoſito Orodienſi Aulæ Noſtræ Vice-Cancellario, Dioniſio Palatino Comite Bakachienſi, Laurentio Magiſtro Tauernicorum Noſtrorum; Bano de Zeurino, Ladislao Vayvoda Tranſyluano, Comite de Zounuh, Magiſtro Baas, Iudice Curiæ Noſtræ, Comite Gumurienſi, Stephano Magiſtro Dapiferorum Noſtrorum, Dominico Magiſtro Pincernarum Noſtrorum; vel cum his, qui in locum Eorundem impoſitum, ſucceſſerint onere & honore. Et e conuerſo ſi Chariſſimus Pater Noſter Compoſitionem & Ordinationem habitam inter Nos infregerit, ſeu violauerit, cum Baronibus ſuis maioribus, & præſentibus, vel qui in locum ſucceſſerint Eorundem, per dictos Venerabiles Patres Strigonienſem & Colocenſem Archi-Epiſcopos excommunicationis Sententia innodentur. Et ſuper hoc iidem Venerabiles Patres Archi-Epiſcopi, tenentur dare Litteras ſuas: quod quilibet Ipſorum a Violatore Pacis habitæ & Ordinatæ ſe transferre debeat ad Pacis & Ordinationis habitæ Seruatorem, in eundem Pacis violatorem interdicti Sententiam proferendo. Et hoc idem Noſtri Barones, & Chariſſimi Patris Noſtri ſupradicti Regis Barones facere teneantur, obligantes ſe Litteris ſuis ſub forma emiſſi, & præſtiti Sacramenti. Item ſpoliatis de conſenſu & voluntate chariſſimi Patris Noſtri Regis tempore guerræ, vel poſt guerram, debeat Reſtitutionis beneficium impertiri, & ad hoc e conuerſo Nos præſentibus obligamus. Qui autem ſine Conſenſu & voluntate Chariſſimi Patris Noſtri & Noſtræ, ſpolia commiſerunt, de bonis eorundem, Poſſeſſionibus, & Perſonis condigna Satisfactio debeat procurari. Præterea Oblocutorum & Delatorum Verba non audiemus, nec ipſis fidem volumus adhibere, ſed obloquentes & oblocutorum Verba Patri Noſtro Regi curabimus nunciare. Volentes, vt Chariſſimus Pater Noſter ſicut promiſit, nobis illud idem facere teneatur. Volumus etiam quod neuter Noſtrum ad* Barones, *vel ad Liberas Villas exiſtentes ſub alterius poteſtate, aſſaturas, vel ſcutellas, aut aliquas Munificentias, ratione quæſtus mittere teneatur. Item* volumus, *quod Litteræ Comminatoriæ omnino ceſſent, nec Deſtructiones, & Spolia Baronum, vel Seruientium alterutrius Noſtrum vlterius fieri debeant, nec etiam deſcenſus ſuper Prædiis Nobilium violenti. Item ſi aliqui furta, & Latrocinia ſeu nocumenta committendo & Deſtructiones in Regno faciendo, de Territoriis Chariſſimi Patris noſtri Regis, ad Nos ſe transferrent, & hoc liquido pateret ipſi Patri Noſtro, & in fide ſua Nobis per ſuas Litteras diceret & oſtenderet, eſſe reos, iuxta meritum culpæ tenemur ſatisfacere de eisdem. Et e conuerſo Chariſſimus Pater Noſter ſatisfaciet de Nociuis modo & Ordine prætaxato. De manifeſtis au-*

tem furibus & Latronibus Satisfactio fieri debeat, prout dictauerit Ordo Iuris. Et hæc omnia & Singula præmissorum conseruabimus. Sic Nos Deus adiuuet, & hæc Sancta DEI Euangelia, & hoc coram positum, & corporaliter per Nos tactum viuificum Dominicæ Crucis lignum. Adiicimus insuper, vt omnes illos, qui Charissimo Patri Nostro Regi adhæserunt, amicitia, consilio, auxilio, obsequiis & fauore, non persequemur, nec contra eos, vel terras ipsorum Nostrum Exercitum transmittemus. Volentes vt Pater Noster Charissimus illos, qui Nobis consanguinitate, affinitate, vel familiaritate coniuncti, siue sint Reges siue Duces, seu etiam Marchiones adstiterunt, vel assistere voluerunt, non persequatur, nec Exercitum mittat contra eos; & hoc Capitulum, seu Articulum hunc, sicut Nos sub Iurisiurandi Religione promittimus, similiter volumus, & super ipso Capitulo Charissimus Pater Noster corporaliter præbeat Sacramentum, quod nec per se, nec per suum Exercitum eos attentet offendere, vel in aliquo molestare. Barones & qui sibi adhæserunt Nos diligemus, vt ipse illos, qui ex Regni Nostri Baronibus Nobis adhæserunt, non persequi, sed diligere teneatur, iuxta formam præstiti Sacramenti. Datum prope Monasterium Zokol *in Inuentione Sanctæ Crucis Anno Domini* 1263. Hactenus STEPHANI tabulæ, fidelissime, *(v.)* & communicatæ nobiscum, & isthic adscriptæ: plura hinc addiscas, de quibus silent historici, quæ iam adnotauisse iuuerit diligentia eo adtentiore, quo magis cupimus, ex his istiusmodi monumentis, res Hungariæ dubias, non illustrare modo, sed etiam adfirmare.

§. XI.

Auctoris commentatio in diploma illud:

ET de titulo quidem, quem præferunt diplomata, nihil laboramus. Notus is est in vulgus. Ita legas in *Decretis (x.) Regum Hungariæ:* STEPHANVS *Quintus, filius Belæ quarti &c. Huius priuilegia, tempore Ducatus sui, qui se minorem Regem Hungariæ, & ducem Transiluaniæ, iam anno Millesimo Ducentesimo Septuagesimo, scribebat, confecta & emanata, non seruantur, nisi forsitan postea, ipso regni gubernacula rite suscipiente, & possidente, fuissent per eum confirmata.* Decennio altius reponendus fuit, regius iste titulus. Nam cum ad *Kreftenbrun*, cum *Ottocaro* conflixit, & vulneratus, prælio excessit, iam se Regem Hungariæ iuniorem adpellabat. At enim, quo iure? profecto, non eo quidem furtiuo. Adsentior TIMONI, qui eum coronatum fuisse iam tum, opinatur. Vt proinde, fallantur, qui putant, numquam Hungariam ante WLADISLAVM *Polonum II.*, reges nouos inaugurauisse, nisi patre mortuo: id quod FERDINANDVM I. cum

v.) Vadem fidei nostræ damus, *Subscriptorem*, adprobatoremque, nobilem virum *Franciscum Török*, qui ad calcem tabularum hæc adiecit: *Præsentem copiam cum suo originali collatam & comportatam, eidem in omnibus correspondere, testor. Posonii, 10. Febr. 1733. Franciscus Török m. pr. Celsissimi & Reuerendissimi S. R. I. Principis & Archi Epp. Strigonien. Cancellariæ Expeditor & Archiui Conseruator. L. S.*

x.) Videsis, *Corpus Iuris Hungarici*, p. 44. & corrige errorem, quo STEPHANO, regius titulus, ab anno demum 1270. adtribuitur. quod longe se habet aliter.

cum *Thoma Nadasdio*, vehementer colliserat, cum ille *Maxilianum* filium, corona, viuus adhuc redimitum cupiebat, negabat iste *(y.)* dum superstes fuerit *Ferdinandus*, id se permissurum. Vnde vero *Belæ*, cum filio *Stephano*, rege iuniore, belli hic fomes, cuius in diplomate, mentionem legas? *Timon:* STEPHANVS, inquit *(z.)*, *iam probabiliter coronatus, rebellis patri, totius Hungariæ imperium, adfectat.* Vtinam rebellandi caussas retexisset. Ego sic reor: exturbatum *Styriæ* possessione, STEPHANVM, sortem doluisse suam, voluisseque iacturam reparare. Opportuna se dabat occasio, si regium, quod gerebat nomen, adserta sibi, qualicunque Hungariæ parte, locupletaret. Non deerant inter tribules, qui *Absolonis* hoc institutum, & adprobarent, & sustentarent, pro sua virili. Sic, vt opiner, belli Styriaci fortuna *(a.)* quam aduersam expertus est STEPHANVS; vices item patris, prorsus infelices, facile me inducunt. Ergo, ventum ad arma est. Hungariam supra *Budam*, vtroque Danubii latere, procurrentem, cum vallibus metallicis, BELA, obtinebat; quod infra, in Transiluanos vsque, diffundebatur facta secessione, STEPHANVS insidebat. *Dispositæ iam stabant acies* vtrinque, inquit, eodem loco, TIMON; *sed Maria Regina, inuocauit* B. Iohannem Teutonicum, *pacem exorauit. Hoc miraculum regina, per epistolam significauit Ordini Prædicatorum, cum titulo Ducissæ Syriæ, an Styriæ, filium regem profitens, quod Bela pater, omisit in sua.* Dolendum est, non exstare, seu loci, seu temporis, quo hæc gesta sint, mentionem. Epistolam reginæ non ab re fuerit recitauisse, quam cum plures alii, tum F. SIGISMVNDVS FERRARIVS *(b.)* luce donauerunt; habet autem in hunc modum: *Reuerendis in Christo Fratribus, Generali Ordinis Prædicatorum, & Definitoribus Capituli Generalis,* MARIA, *Dei gratia, Hungariæ Regina, Syriæ Ducissa, & Christi famula, amoris vinculum, & deuotam Reuerentiam. Etsi plurima miracula, atque prodigia, quæ per F. M. Fratris* Iohannis *Episcopi Bossinensis, Generalis Ordinis vestri, merita, ab hominibus, vulgo facta, commemorantur, ego sigillatim describere non valeo: vnum tamen, quod eiusdem meritis in me factum est, nolo, cum reliquis, silentio præterire. Sciatis igitur, quod, cum perfidorum subditorum suasione, inter dilectissimum mihi* BELAM *Regem Hungariæ, Dominumque meum, ex vna parte, & Charissimum Filium nostrum, Regem* STEPHANVM *ex alia, magna esset coorta discordia, ita vt ad manus conserendas dispositi ex vtraque parte exercitus, iam essent e regione constituti: ego, vtpote Mater, vtrinque adflicta, & maximo metu perculsa, dicti Fratris* Ioannis *opem implorauí. Qui eadem ipsa nocte, cum alio bonæ memoriæ Fratre Gerardo Priore eiusdem Ordinis, mihi apparuit: cumque in tanta angustia, vt mihi prænominatum filium*

y.) Vide ISTVANFFYVM, Lib. xx. p. 407. 26.

z.) Loco citato p. 95.

a.) Legenda omnino est, præter alios, nupera Styriæ Ducum Historia, in *Ottocaro, II.* p. 87. seq.

b.) *De Rebus Hungariæ Prouinciæ Ordinis Prædicatorum*, Parte II. Lib. I. Cap. VII. p. 105. vbi sex antegressis Capitibus, vitam *S. Iohannis Teutonici*, legas descriptam.

lium meum redderent, vehementer orarem, ipse F. Iohannes, *impresso super me signo Crucis, dixit: en tibi filium tuum, vt optas, restituimus. Itaque tunc e somno excitata, quantum mea fragilitas tulit,* Iesv Christo, *Domino nostro, & glorioſæ Virgini, vt par erat, gratias egi. Die vero illucescente, peruenit ad me cursor, cum litteris Regis Hungariæ, Domini mei, quibus significabat, Regem* Stephanvm, *filium meum, se omnino patri dedidisse, paratum efficere quidquid illi collibuisset. Placuit ergo meis hisce litteris, huius viri sanctissimi merita, vestræ deuotioni significare: vicissim Vestram sanctitatem rogans, vt aliorum miraculorum, quæ scitis illum patrasse, me etiam certiorem reddatis.* Hactenus regina. Positis vtrinque armis, *Pisonium* delectum est, vbi de pace, inter regem vtrumque, iis arbitris, quos diploma nominat, ageretur. Eccur vero *Pisonium*, neque vel *Vissegradum*, vel *Buda?* Nempe, oblectabatur Pisonienſi seceſſu, immo & diuersatione diuturniore, Bela; quod, & de fide ciuium, in ea Hungarorum fluctuatione, securus erat, & suspecta *Ottocari* vicinitas, non patiebatur longe abesse regem. Vtinam vero, pacis heic conciliatæ, tabulæ, vbi vbi latent, si tamen superant adhuc, protrahantur in lucem, ab his, qui earum potestatem habent, atque non ignorant, quantum diplomatum fide, in historia proficiamus. Colligas autem, ex hoc, quod produximus, gemino documento, omnino, & regium nomen, & Hungariæ partem eximiam, permissam Stephano, ea pace, fuisse. Illud peculiare est prorsus, Stephanvm, non *Cancellarium* modo, sed suos etiam *Barones* regni habuisse. quod argumento est, regia dignitate, & post pacem fruitum, illa Hungariæ parte, fuisse, quæ ei, ex eius conditionibus obtigerat. Dedit postea Vrbanvs IV. summus Pontifex, operam, vti bene patri, cum filio conueniret: Clemens *autem IV.* qui eum excepit, tabulas prorsus *confirmauit. Hæc non* erant silenda, vt exemplo sint, *quemadmodum hiulcam* passim rerum Hungaricarum seriem, redintegrare possemus, ex diplomatibus; si essent, qui ea vellent eruderare. Sub idem istud tempus, Bela, filio minori natu cognomini, *Pisonium*, & *Nitriam*, dono dedit (*) ipso Vrbano IV. eam donationem, missis litteris, confirmante.

§. XII.

Noui belli occasio, sub Stephano III.

Mortuo tandem Belae patri, successit Stephanvs III. vir, eo fastigio, si quis alius, dignissimus. Vix ille rebus cœpit præesse, cum *Ottocari* socrus, *Constantia (d.)* regem vtrumque,

*) Id nos Timon, ex Bzovio, ad annum mcccxiv. loco cit. p. 96. condocuit.

c.) Lazivs, Genealogiæ Austriacæ Comment. Lib. II. p. 204. *Annam* adpellat, dum *Wenceslai* regis pueri mentionem facit; quomodo & Bonfinivs eam vocat Dec. II. Lib. IX. p. 314, 25. & *Genealogia Regum Hungariæ*, Thvroczio subnexa, p. 554. vbi simul *Rosilai*, Regis Bulgariæ vxor fuisse dicitur, ex qua nata sit *Kunigunda*, Ottocari vxor. Iuuat id monuisse; quia, & Balbinvs, *Rosislai*, seu *Hostislai*, Russiæ Regis, vel secundum Weleslavivm, Bulgariæ ducis filiam, neptem Belae IV. adpellet Epit. Rer. Boh. Lib. III. Cap. XV. p. 275. Adde, *Histor. Ducum Styr.* P. I. p. 95.

que, ad arma concitauit, leui quidem offensa; sed, quæ obductam, nuperæ cladis, cicatricem, facile refricuit. Belae, defuncti patris, thesauros monstrari sibi flagitarat, *Constantia.* Non negauit officium sorori, Stephanvs. At ea, præpostero generi amore permota, ternas, e gemmis, maximi pretii, curollas, clam subducit, atque Ottocaro, transmittit. Furto sororis, ad regem delato, Stephanvs, iniuriam acrius Ottocaro, exprobrat, munus, rege indignum, reposcit. Pudore simul, & ira concitatus Bohemus, antequam responderet, cum exercitu, pugnæ prædæque auido, ad Hungariæ fines metatur. Contrahit & Stephanvs copias, seque Ottocaro, haud procul *Pisonio*, obiicit. Iam ad dimicandum parata fuerunt agmina, causſam repetundarum, ferro actura, cum eadem, quæ reges armauerat, *Constantia*, gladios, vtriusque manibus extorquet. Itum ergo est ex acie, ad redintegrandam pacem, in insulam, quæ se infra *Pisonium*, late, intra Danubii alueos, diffundit. Reparata mox amicitia, exercitus *vtrinque* dimittitur. Verum, quod Stephanvs, feruore potius, vlciscendarum iniuriarum, quam consilio ductus, pacem eam, sequenti anno abrupit, *Pisonium* nostrum, diripiendum delendumque, hosti obiecit. Occupabatur, in domanda *Carinthia*, & *Carniolia*, Ottocarvs. Qua opportunitate vsurus *Hungarus*; forte, vt *Carinthiam*, in *Austria* defenderet; cum quinquaginta popularium, & Cumanorum millibus, *Morauiam*, atque *Austriam*, inuadit, oppida incendit, ferro passim grassatur, regionem omnem, viginti millibus, in seruitutem abreptis, euerrit. Declinandum bellum *Bohemus*, initio rebatur, missisque ad Stephanvm legatis, amice, de vi, conquestus, nuperæ leges amicitiæ, quas mutuo in insula tulerant, in *memoriam* reuocat. Sed placidi nihil quidquam obtineri potuit, a Rege, *vindictæ cupiditate* inflammato. Proinde, pacata *Styria*, vbi tunc, redux ex *Carnis*, agebat Ottocarvs, delectus passim instituit, socios euocat, vereque ingruente, profectionem suscipit. Præstolabatur Stephanvs hostem, ad *Semeringii* montis pedem, vt ante confligeret, quam corrogatas passim suppetias, in castra, Ottocarvs acciperet: cum ille, deluso *Hungaro*, in Austriam, cum exercitu, alio itinere, emergit, &, vt incertus consilii Stephanvs hæreret, rumorem late spargit, copias Ottocarvm in *Morauiam* ducturum. Interim, ignaro Stephano, vbi hosti occurrendum esset, *Bohemus*, agrum *Pisonienſem* inuadit. Nam ei potissimum vrbi inhiabat, quod magnum in arce thesaurum reposuisse Belam, ex *Constantia*, cognorat. Nec mora. Vrbem, intercepto commeatu, deditione occupat, arcem, delectis per adsultum, præsidiariis, intercipit, thesauros auidissime egerit. Mox, & *Fanum S. Georgii*, *Basinium*, *Bibersburgum*, *Tyrnauiam*, & trans amnem, *Altenburgum*, sub suam potestatem mittit: ad *Laurinum* demum, siue socrus precibus, siue fame,

pax subita:

a Stephano *rumpitur:*

conflatum inde Pisonio exitium:

fame, ſiue, quod BONFINIVS *(d.)* meminit, STEPHANI virtute, anno MCCLXXI. ſecunda *Idus Iulii*, repreſſus. Quanta vero immanitate, in tecta, iuxta & homines, ſæuierit OTTOCARVS, ex *Chronico Leobienſi*, *(e.)* iuuat adſcripſiſſe. *Cum*, inquit, *Viennenſes, pugna & machinis Poſonium verberaſſent, homines* OTTOCARI, *nocturno tempore, anno MCCLXXI. Poſonium caſtrum, violenter obtinuerunt, ciuitatem flammis ſuccenderunt; ita, quod ciues, & vxores, ac filiæ eorum, & aliæ mulieres, vix acceptis palliis, quædam camiſiis, aliæ vero peplis, vel quidquid præ manibus inuenire poterant; quædam vero nihil, omnes ſic ad domum Fratrum Minorum, confugerunt, & quam nudæ ſuper ſtramine, tota die ibi ſederunt.* Nihil priuatarum, nihil publicarum ædium, ſupererat, quod non atrox incendium deuorauiſſet. Periit, eadem hac ſtrage, vrbis tabularium, quod *archiuum* dicunt, nulla poſt hac ætate, reparandum. Hinc eſt, cur nequeamus, antegreſſorum temporum, res *Piſonii* geſtas, diplomatibus, comprobare. Captum, ad eum modum, *Piſonium*, detinuit poſtea OTTOCARVS, ſuo inſeſſum præſidio. Quæ res, quibus iterum bellis dederit occaſionem, iam iam dicendum eſt.

& captiuitas Bohemica.

§. XIII.

Vrbis fortuna, ſub Ladislao Cumano; *& eius occaſio:*

DVm hæc geruntur, STEPHANVS, triennalis, ſed profecto digniſſimus rex, quem annales commemorent, e viuis exceſſit. Admoto, ad moderandam rem publicam, LADISLAO impubere, nouis iterum procellis, vrbs noſtra perturbata eſt. Rei cauſſæ, quia neglectæ ſunt a ſcriptoribus Hungaricis, curate ſunt excutiendæ. *Zwetlenſis* Chronologus *(f.)* belli origines, ita prodidit: *Anno MCCLXXII. Stephanus Rex Hungariæ, obiit, relinquens duos filios, & ſenior, nomine Cluu (g.) ei ſucceſſit. Poſt, quidam Comes Aegydius, quem rex ſupra modum diligebat, timens reginam & Hungaros, profugus venit ad regem Bohemiæ, vna cum fratre ſuo. Hic, de caſtro Presburg, & aliis quibusdam, fraudulenter & cauſſaliter tunc temporis ſe intromiſit, regique Bohemiæ ſpopondit in omnibus ſeruiturum. Quem rex Bohemiæ, benigne ſuſcipiens, ei donat plurima: nam tradidit ciuitates & caſtra ſibi, In (h.) & Presburck.* Obſcuriora hæc ſunt, quam quæ peni-

d.) Dec. II. Lib. VIII. p. 303, 18. vbi damnanda iterum eſt BONFINII, ſeu breuitas, ſeu negligentia, vix quidquam de STEPHANO III. præter vnicam hanc, eamque dubiam victoriam, memorantis. Nos hæc decerpſimus, ex laudata toties *Ducum Styriæ Hiſtoriæ*, Part. I. p. 98. Conf. STERO, ætatis illius ſcriptor, apud BOHVSLAVM BALBINVM, Epitome Rerum Bohemicar. Lib. III. Cap. XV. p. 279. quo bello IOHANNIS BAPTISTAE, *index digitus*, ab OTTOCARO raptus, & in Bohemiam delatus, ibidem legitur.

e.) Apud PEZIVM, Tomo I. col. 851, atque ibidem, in *Chronico Zwetlenſi*, col. 985. item *Chronico Arenbeckii*, col. 1223.

f.) Apud PEZIVM, ſcriptor. Auſtriac. Tom. I. col. 985.

g.) LADISLAO nomen fuit, quem poſtea ob nimiam *Cunorum* obſeruantiam, *Cunum* dixere: id quod dicere voluit Chronographus. Itaque, *Chun* legiſſe iuuerit.

h.) Forte legendum *Idn*, aut melius, *Oden*, cum adpoſito, *Burg*. Tunc enim, *Sempronium*, ita cœpit adpellari, ob acceptam nuper *vaſtitatem*, quam Germani, *Oden*, vocant.

penitus queant intelligi: vt autem intelligantur, hiſtoriæ vrbis noſtræ, multum intereſt. Nouas, ſcilicet, res molitus *Aegydius*, tametſi gente Hungarus, cum *Georgio* fratre, in Auſtriam, quam tunc OTTOCARVS tenuit, profugerat. Acceptus illic benigne, atque oppidis *Laha*, *Neoburgo*, *Stockerauia*, *Steina*, aliisque, & mille libris, annuorum redituum donatus, *Piſonio* ſimul, quod præſidio munitum in poteſtate habuit OTTOCARVS, cum imperio præfectus eſt. Eam regis munificentiam, iniuriam ſuam ratus, *Henricus Gynſienſis*, vir, multarum opum & clientelarum, qui viuente adhuc STEPHANO, Bohemum, magno Hungarorum damno, ſequutus fuerat, in patriam, iuxta, cum Rege, in gratiam rediit. Orta deinde, in inſula prope *Budam*, rixa, ducem *Belam*, fratrem vxoris OTTOCARI, interemit. Ingentis loco offenſæ, ſicuti meruit, acceptum ab OTTOCARO, facinus, in vindictam, bello ſumendam, regem armarat, fruſtra indignationem deprecantibus *Hungaris*. Cum ergo, hinc OTTOCARVS, illinc *Hungari*, ad bellum ſe comparant, *Aegydius*, quem diximus, vrbis præfectus, *Piſonium*, nulla a Bohemo iniuria prouocatus, LADISLAO dedit: credo, vt elueret, nuperum defectionis crimen. Eo facinore, exacerbatus OTTOCARVS, quidquid habuit virium, in Hungaros cogit. At illi, hoſtem præueniendum rati, populatorum agmina, in *Auſtriam*, *Styriam*, *Carinthiam*, & *Morauiam*, immittunt, regiones eas probe euerrunt. Quin & *Henricus Gynſienſis* Comes, vt fidem regi patriæque, nuper ad obſequium redux, adprobaret, cum triginta ſuorum millibus, in hoſticum ſolum inuectus, immane, quantum ſtragis ediderit. Iam ergo bellum inierat, cum OTTOCARVS, *ſexaginta millium* exercitum ductitans, in citeriorem ſe Hungariam, copiis vacuam, infundit, cumque nemo occurſaret, *Tyrnauiam*, *Nitriam*, *Szent-Györginum*, PISONIVM, atque *vltra Danubium*, munitiones lacui adpoſitas, *Sempronium*, item & *Iaurinum*, partim deditione, partim vi ſubigit. Itaque in Bohemi poteſtatem recidit denuo *Piſonium*, non vna, vti par eſt credere, calamitate adfectum. Certe, pluribus hinc annis in ditione OTTOCARI, vrbem manſiſſe, eius ætatis ſcriptores, meminerunt. *Auſtrale Chronicon*, anno demum MCCLXXVI. concordiam, inter *Hungaros*, *Bohemosque*, ſancitam, & pactis ſimul inſertum, memoriæ prodidit; vt OTTOCARVS, *geminam, ex auro coronam, ſceptra regia, aqualem item aureum, gemmis diſtinctum pretioſiſſimis, ceteraque, quæ nuper, ſeu ſocrus eius ſubduxerat, ſeu ipſe*, Piſonio *expugnato, rapuerat, ſine cunctatione, redderet.* Neque tamen deſunt, qui iſta *Piſonii*, & circumſitarum vrbium captiuitate, permotum LADISLAVM, exiſtiment, vt fœdus, cum RVDOLPHO Cæſare pangeret, exitiale futurum OTTOCARO. *Cæſar*, inquit LAZIVS, *(i.)* LADISLAVM, *Hungariæ regem, iuuenem principem, in belli ſocietatem adſciſcendum exiſtimauit, vt qui & ipſe, exulcerato eſſet in Bohemum animo, ob præcepta aliquot in agro vlteriori, loca, Bibersburgo, Tyrnauia, S. Georgio, Pöſinga, Altenburgo*,

deditur ab Aegydio, *Hungaris:*

recipitur ab Ottocaro:

redditur ex pacis legibus:

an detinetur diutius?

Cæſaris, cum Ladislao *fœdus, aduerſus Ottocarum:*

i.) Genealogiæ Auſtriacæ Commentar. Lib. I. p. 177, 9.

go, Cherlburgo, aliisque, circum Piſonium, *locis. Qui ita occaſione oblata, vindicandi ſeſe de Ottocaro, Rudolpho, viginti millia leuium equitum, ad tantum bellum promiſit.* Hæc ille. Et ſtetit omnino promiſſis Ladislavs. Nihil quidquam enim moratus, coacto exercitu, *Danubium* traiecit, & ad *Morauam* amnem, vbi Caesarem occurſantem habuit, caſtra metatus eſt. Sed tunc irrita expeditio fuit, quod, iurata Imperatori fide, Ottocarvs officium fecerat. Pacis leges iſtæ fuerunt: Ottocarvs, *Auſtria, Styria & Carinthia, cederet; Cæſaris electionem adprobaret; obſides, quæque Hungaris, bello ſuperiore abſtulerat, nil cunctatus, redderet.* Quibus, in tabulas relatis, ſecreto, ius iurandum, Caesari ſe præſtiturum, promiſit; ſed, quod aliter, quam putarat, euenit. Penſile enim Rvdolphi tentorium ita inſtructum fuit *(k.)* vt funiculo tractum, momento caſum faceret. Proinde, cum Cæſaris pedibus adlapſus Ottocarvs, ſacramentum, conceptis verbis, diceret, ruente ſubito papilione, prolapſum in genua, Bohemum, tres, ſub dio, exercitus, magna eius ſuorumque indignatione, ſpectauere. Feſtiuum hoc facinus, ad retundendam regis ſuperbiam, excogitatum, iniquiſſime tulit Ottocarvs, frigidam, ſtrenue ſuffundentibus, hinc *Cunigunda a Matsau, Hungara (l.)* muliere, vltra ſexum, truculenta, & ſæuiſſimo ſemper in *Germanos* animo; illinc aulæ primoribus, qui fortunæ Rvdolphi, ſui nuper æqualis, inuidentes, bello vindicandam iniuriam, exiſtimabant. Primus, Auſtriam citeriorem, Ottocarvs inuaſit, iamque late fumabat regio, cum *Cæſar*, propemodum ab omnibus deſertus; ſaltem adiutus ſegnius, Ladislavm, denuo in auxilium euocat. Opportune is adfuit, cum eodem, quem anno ſuperiore, adduxerat, exercitu. Rvdolphvs, vt arctiori quodam vinculo, ſibi adoleſcentem regem coniungeret, in filium adoptauit. Ac profecto eximia *Hungarorum*, in profligando Ottocaro, *virtus atque opera exſtitit.* Vbi tamen ferenda *non* eſt, annalium noſtrorum iactantia. Ladislavs, inquiunt *(m.) auitæ cladis memor, nihil aliud, quam toto campo, Ottocarum, auidius diſquiſiuiſſe viſus eſt. Regem tandem Bohemorum inuenit, inuentumque, ad ſingulare certamen prouocauit: accepta conditione, eo prælio, ſi quid Hungarorum annalibus tribuendum eſt, eum* Ladislavs, *interfeciſſe fertur.* Nugas omnino agunt, tantum facinus puero, vix dum annum ingreſſo duodecimum, adtribuentes. Meliori fide Gerhardvs *de* Roo *(n.) Hungari*, inquit, *in ordines diſtributi*, Ladislavm, *in edito colle, vnde prælium, ipſe adhuc adoleſcens, ſpectare ex tuto poſſet, collocarunt.*

§. XIV.

pax conſequuta, adſerit Hungaris Piſonium:

nouum conflatur bellum, exitiale Ottocaro.

k.) Conf. Gerhardvs *de* Roo, Hiſtoriæ Auſtriacæ, Lib. I. p. 27. editionis *Oenipontanæ* fol. A. mdxcii. Iohannes Dvbravivs Hiſtoriæ Bohemicæ, Lib. xvii. p. 141, 27.

l.) Vide notas, ad §. ſuperiorem. Genealogos certe hic conciliare nequimus, cum illic reguli filiam dicant auctores, eamque, vel *Ruſſam*, vel *Bulgaram*.

m.) Bonfinivs Dec. II. Lib. VIII. p. 304, 28. & Thvróczivs, Part. II. Cap. lxxviii. p. 79. Reprehendit eam gloriationem Balbinvs quoque, Epitome Rer. Bohem. Lib. III. Cap. xv. p. 281. fine.

n.) Loco citato, p. 29. 31.

§. XIV.

Ottocaro, eo prælio, fœde occiſo, reſpirare, ab iterata clade, *Piſonium* cœpit; ſed ægrius tamen, quam ſperaſſes: quod Ladislavs, libidinibus abreptus, incurioſius rempublicam adminiſtrabat. Habet nihilominus *Piſonium*, quod eius munificentiæ, in acceptis ferat. Ladislavs enim *Cumanus* fuit, qui vrbem vicis *Weidritz, Schellendorff*, & *Plumenau*, locupletauit, *ob præclara* (vti verba diplomatis, quod anno MCCLXXX. Piſonienſibus impertiuit, habent) *villici, in legationibus regiis, extra regnum, merita.* Villici nomine, vrbis *iudicem*, aut *conſulem* indicari crediderim. Præclarum, ad poſteritatem, exemplum! dum hominis vnius, egregiis, de rege & patria, meritis, tantus vrbi fauor conciliatus eſt. Quisquis villicus iſte fuerit, virum eſſe oportuit, reipublicæ, quam ſui, ſtudioſiorem. Heu, virtutem, pridem deſiderari cœptam! Lætam hanc *Piſonio* acceſſionem, triſtes belli euentus denuo contemerauerunt. Rem, Hungaricis ſcriptoribus, haud memoratam, aliunde arceſſamus, oportet. Et Zwetlensis *(o.)* quidem Chronologus, iſta, in litteras retulit. *Anno MCCLXXVII.* Albertvs, *dux Auſtriæ, exercitum colligens cum Styrienſibus, & Auſtralibus, Hungariam intrauit, & obſedit* Piſonium. *Cues autem, cum communi conſenſu, ciuitatem tradiderunt ei; caſtrum vero expugnat, & homines ſuos impoſuit.* Ruditer hæc dicta ſunt, atque, ſi dicendum, quod res eſt, ſine capite. Proinde, fas eſt, vt rem omnem ex *ſuo fonte*, deriuemus. Late, per *Styriæ, Auſtriæque* fines, hac tempeſtate dominabantur, *Gynsii Comites*, Hungari quidem illi, ſed qui fidem ſuam, rapinarum *prouentu metiebantur.* Quo circa, nunc patriam, nunc vicinos, *immiſſis exercitibus, nequiter* euaſtabant. Nunc *Ibanus*, Hungari, *Iuánum*, ſeu *Iohannem* dicebant, rerum potiebatur. Non vna is clade, *Styrios* adfecerat, cœperatque, duci Alberto, ſuſceptis in *Auſtriam* impreſſionibus, grauis exiſtere. Dux, vti erat, compoſiti animi, apud Ladislavm regem, iniurias ab *Ibano* illatas, queſtus, id reſponſi accepit; vlciſceretur, ſi qua poſſet via, latronem, ſe ſuas partes, non modo non interſerturum, ſed laturum quoque in acceptis, ſi hominem compeſcuiſſet. Iam ſe in vltionem comparauerat dux, cum domeſticis curis, a propoſito dimotus, biennio fere integro, ceſſare, ſpectareque debuit, efferatam *Ibani* licentiam. Iuuit tamen, quantacunque ea cunctatio Alberti, deſtinationem: Opem, ſcilicet, ducis, implorabat Ladislavs, qui e communione fidelium, ob pertinacem libidinem, a *Philippo*, legato Pontificio, exturbatus, ab *Hungaris* vero in carcerem coniectus, aliquantiſper fuit. Itaque rex, iniuriarum, quas ab *Ibano*, in vinculis detentus, acceperat, memor, pronum ad vindictam, Albertvm, facile inflammauit. Antequam vero in bellum iretur, ad redintegrandam pacem, *Ibanum*, dux, inuitat:

Cæſo Ottocaro, *ægrius reſpirat* Piſonium, *& cur?*

Ladislai *in vrbem liberalitas:*

Nouum, ex Auſtria, bellum:

eius occaſio:

o.) Apud Pezivm, Tomo I. col. 988.

tat: qui, cum æquiſſimas, regis & ducis, conditiones aſpernatur, res in bellum erupit. Male ab Auſtriis pugnatum, ALBERTVS, vix *Neoſtadium*, vbi ſe conderet, effugit. Creuerat, ex felici prælio, *Ibano* animus, quem tamen *Hugo Taufferius*, a duce, in fecialem miſſus, facta ad perſuadendum oratione, ita euicit, vt coacto *Haynburgi* comitiolo, nihil dubitarit, cum duce, nuperus victor, compaciſci. Leges illic latæ: IBANVS, *captiuos dimitteret; poſtea, vi omni abſtineret; duci, ſi res poſceret, auxiliis adeſſet;* ALBERTVS, *Ibanum, aduerſus hoſtes, quin ipſum regem, ſi quid mouere occiperet, tueretur.* Depactis, ad eum modum, conditionibus, perbreuis fuit perennitas. *Ibanus* enim, ad ingenium relapſus, *Styriam, Auſtriamque*, fœdum in modum, euaſtat. Hominis perfidia, tandem commotus ALBERTVS, latronum manipulos, toties, non alio fructu repreſſos, quam, vt propediem reuolarent ferociores, intra luſtra, quibus ſe condebant, adgredi ſtatuit. Neque ea expeditio vnius anni fuit. Bis enim, qualicunque ſucceſſu, Hungariam ingreſſus ALBERTVS, deſtinata, anno demum MCCLXXXV. perfecit. Conflato nimirum, e Styriis, & Auſtriacis, exercitu, *Piſonium*, operoſius circumſidet, mox, vrbem deditione, arcem vi capit, ſeque victorem, neque immanem eum, ſed nec mitem, gerit; *Ibani*, adſeclas, quos in vrbe forte reperit, ſeuere habet. Haud quidquam, ad vrbis iacturam LADISLAVM commotum fuiſſe, legas. Quin, dum iteraret expeditionem, anno MCCLXXXIX. ALBERTVS, fide interpoſita promiſit, *Ibanum*, neque ære, neque milite, a ſe adiutum iri. Quam quidem ſocordiam, non tam odio, aduerſus *Ibanum* concepto, quam *Cumanis* meretriculis, regem diu noctuque obſidentibus, adtribuerim. Iſta tunc, *(p.)* *Piſonii* calamitas fuit.

pace interrumpitur:

recrudeſcit iterum, cum Piſonii *iactura.*

§. XV.

Poſtea, cum turpitudinis, qua ſe totum contaminauerat LADISLAVS, Cumani libidinum adminiſtri, pœnas, vrgente numine, a rege exegiſſent, ANDREAS III. rerum in Hungaria, potitus eſt. Dum hæc fiunt, *Piſonium*, nuper ab ALBERTO occupatum, in ditione Auſtriaci remanſiſſe lego, nouo iterum bello, an fœdere, repetendum. Simul enim diadema ſumſit ANDREAS; ad laceſſendam bello Auſtriam, animum adiecit. Memorant bellum, Annales Hungarici, cauſſas non expromunt. Nos, vtrumque faciemus, fide, extraneorum ſcriptorum, freti. Auus ANDREAE *(q.)* de quo loquimur, ANDREAS Hieroſolymitanus fuit; auia, *Beatrix*, Azonis, Marchionis Eſtenſis, filia, quam is, ab expeditione *Saracenica*, redux, matrimonio ſibi coniunxerat. Filium hæc poſtumum, reuerſa in Italiam, enixa eſt, *Stephanum*, in ſacro fonte adpellatum. Qui, vbi adole-

Ladislao, a Cumanis interemto, Piſonium, in Alberti *poteſtate manet:*

p.) Lege rem omnem, *in Hiſtoria Ducum Styriæ*, Parte I. p. 124. ſeqq.

q.) GERHARDVS de Roo, Lib. II. p. 61.

adoleuit, varieque iactatus eſt, *Tomaſinam Maurocenam*, nobili Venetorum gente natam, vxorem duxit, ex qua ei ANDREAS hic, natus eſt. Non erat ignotus *Hungaris*, regius nepos. Proinde, LADISLAVM, Cumana ſpurcitie fœdum, populus iuxta & primores, pertæſi, in Hungariam vti veniret, multis ANDREAM precibus inducunt. Is, cum ſe in iter dat, ab *Arnoldo Sileſio*, Comite Tigrauienſi, captus, ad ALBERTVM, lytrum, quo redimeretur, negantibus Venetis, perductus eſt. quem ille, diu liberaliter habuit. Re, LADISLAO Cumano, relata, in Auſtria, æmulum, regia propemodum dignitate haberi, dedit operam, vti adduceret ALBERTVM, quo ſibi hominem traderet. Neque deerant, qui inter aulæ proceres, idem Duci perſuadere conarentur. Renuit ALBERTVS, indignum Auſtriaca pietate facinus admittere, vt ſacroſancta hoſpitii iura violaret. Tandem, vbi matureſcentibus conſiliis, tempus adeſſe vidit, hoſpitis *(r.)* in Hungariam dimittendi, hanc a diſcedente, gratiam poſtulauit: *vt iura vicinitatis ſancta haberet intemerataque;* AGNETEM, *Alberti filiam, ſponſam ſibi dari, regio ſolio admotus, optaret; vtrumque, ſacro ſancta iuris iurandi formula, ſanciret.* Hæc, ſi credamus, non ſine offenſa tantum, ad capeſſendum regnum, ANDREAS abiit; ſed innexus etiam nuptiarum fœderi. Vnde vero, belli Auſtriaco inferendi, enata ei occaſio eſt? Roo, Comitum *Gynſienſium* factione, quos nuper debellauerat ALBERTVS, impreſſionem eam conflatam, memorat: HAGENIVS, alii cuidam offenſæ inimicitias tribuit. *(s.)* Quid quid eius ſit, ſuas, & regi, ad bellum cauſſas, & *Ibano*, egregio incentori, auctoramenta fuiſſe oportuit, quibus ad capeſſendum bellum incitarentur. Ergo, antequam expeditionem ſuſciperet, pacta, nuper *Viennæ, iurata fide ſancita*, reſcindit, ſponſæ renunciat, oppida, quæ ALBERTVS, *bello ſuperiore, occuparat*, acerbius repetit. Surdis auribus poſtulata accepit Auſtriacus. *Proinde*, ANDREAS, cum octoginta millium exercitu, quem ex Hungaris, Cumanis, Tranſiluanis, & Valachis, contraxerat, Auſtriam inuadit. Iam late graſſabantur infeſta agmina, atque hinc quidem *Neoſtadienſem, Viennenſem* illinc agrum, penitus euaſtauerant, cum trepidi adferunt nuncii, res nouas moliri Hungarorum aliquos. Itaque, arbitri epiſcopi, regem atque ducem, ad pacem inclinant, inque inſulam *Schütt*, eius conciliandæ cauſſa, ſeducunt. Ita LAZIVS, *(t.)* *Huic bello, quod atrociſſimum futurum*

Andreæ, in Auſtriacos, bellum:

pax ſubita:

r.) Ita rem narrant *Ducum Styriæ Hiſtoria*, P. I. p. 132.

s.) Eadem hiſtoria, loco citato: Cultum initio, regio more ANDREAM, cum duci ALBERTO, reduci e venatione, occurrere, honoris cauſſa, nollet, dictans, id genus officii, infra dignitatem natalium ſuorum eſſe, qui ducis conditionem exceſſiſſet; *Albertum*, hanc in principe inope, ſuperbiam deteſtatum, viuendi ſubſidia parce miniſtraſſe, vt vitam ægre toleraret. *Hungaros* ſubinde veritos, ne pacta, regno pernicioſa, cum *Auſtriaco* iniret, duobus monachis, ordinis *S. Guilielmi*, in mandatis dediſſe, quauis demum via, in Hungariam, deſignatum regem, deducerent. ANDREAM, ſimili veſte indutum, ſecundo Danubio, *Budam*, clam ALBERTO, euaſiſſe.

t.) Genealogiæ Auſtriacæ Commentar. Lib. II. p. 202, 9.

turum erat, vtrique genti, ſtatim inter initia, antequam odiis exulceratis flagraret, eorum procerum interpoſita auctoritate, fomenta ſublata ſunt, qui pacem magis, quam bellum cupiebant. His, quippe, ad vtrumque interpellantibus, poſt multas vltro citroque tractationes habitas, vterque regum, in inſula Vize *(u.) quæ modo Germanis* Schütt *nuncupatur, Auſtriæ vicina, conueniunt.* Pacis, tam ſubitæ, conditiones, iſtiusmodi fuere: *Auſtriacus, Moſonienſi Comitatu, prorſus decederet; reſtitueret loca* Ibano, *nuper ademta; nil quidquam poſtea hoſtilis moueret;* contra, Hungarus, *exercitum, extemplo retraheret;* Wutteburgam, Charleburgum & Muſenburgum *(v.) munitionibus nudaret;* Agnetem, *nuper ſibi deſponſatam, vxorem duceret;* Pisonivm, *aliaque, quæ circum* Albertvs *inſidebat, dotis nomine, acciperet;* denique, *alter alterum, aduerſus quemuis hoſtem,* Papa, & Cæſare, *exceptis, auxiliaribus copiis, iuuaret.* Ad hunc modum, vrbs noſtra, Hungariæ poſtliminio acceſſit, breui iterum ab *Auſtriacis* expugnanda.

ex eius conditionibus, recipitur Piſonium.

§. XVI.

Reducis Andreæ *occupatio:*

REdux, ab eo bello Andreas, ad ſedandos motus, omnem operam ſtudiumque adhibet, a ſæuitia tamen cautus ſe abſtinet; *(x.)* ne regni exordia, ſuorum cædibus, contaminaret. Tandem, rebus quomodocunque pacatis, ad Agnetis nuptias, animum adplicat, quas Auſtriaci ſcriptores, anno MCCXCVI. rite fuiſſe celebratas, memorant. Id poſtea, operam dedit, vt recuperatum *Piſonium*, pro eo, ac ferebat, cum temporis ingenium, tum vrbis rationes, quam diligentiſſime, refoueret. Plura eius exſtant diplomata, quibus vrbem ornauit. Præterquam enim, quod priuilegia Ladislai Cumani, rata habuit firmaque; anno certe, *MCCXCI.* quo in regem inauguratus eſt, *vrbis iura, quorum priſcas tabulas,* Ottocari illud *incendium abſumſerat, nouo* diplomate recoluit. Neque ſilendum eſt quod, anno MCCXCVII. die *Omnium Sanctorum* prope Piſonium, idem Andreas, prohibitis peregrinis, mercium, aduerſo ſecundoque Danubio deuehendarum facultatem, ſolis Piſonienſibus adtribuerit. Verba diplomatis, a Ladislao poſtumo, anno MCCCCLIII. Piſonii, feria quarta proxima poſt feſtum natiuitatis B. V. Mariae, confirmata, ſic habent: *Quicunque nauigio verſus Viennam, vel Hungariam, cum rebus ſuis mercimonialibus, ſe transferre intenderent per nautas, qui de Teutonia in Piſonium, cum nauibus ſuis, ad deferendum mercatores venerint, de cætero transferri non valeant vllo modo, niſi per nautas ciuium noſtrorum, prædictorum, vel commorantium, in eadem.* Procliue hinc eſt coniicere, claſſem tunc nauium onerariarum, Piſonii fuiſſe inſtructam in Danubio, quam ideo, fructuoſam ciuibus, rex, eſſe voluit.

nuptiæ, cum Agnete *Auſtriaca:*

in vrbem noſtram beneuolentia:

mercatuum libertas eximia:

adfirmatur a Ladislao *poſtumo.*

§. XVII.

u.) Inſula *Vizköz*, hodieque dicitur. Locum autem conuentui illi præbuit, ſeceſſus quidam regius, quos hic frequentes habebant: forte *Királyſalua.*

v.) Legendum putarim: *Altenburgum, Carlburgum, Wiſelburgum*, citato loco, apud Lazivm.

x.) Bonfinivs Dec. II. Lib. IX. p. 307, 25.

§. XVII.

Moritur Andreas III, *variæ factione exercitus:*

HAc regis benignitate, magnopere profecit *Piſonium.* Sed ita comparatæ fuerunt res vrbis, vt nequiuerint, perpetuis incrementis effloreſcere. Nam Andreae quidem, continua cum æmulis contentio fuit. quos, retudit aliquantiſper, ſuis atque ſoceri *(y.)* viribus fretus. Quibus rebus fiebat, vt, cum respublica vniuerſa, tum Pisonivm noſtrum, labaſceret iterum. Interea, Andreas, *Budæ*, anno MCCCI. vita decedit. quod, diſcordiarum, quæ haud paruæ, rege adhuc viuo, fuerant, ſcintillas, in apertum incendium ſufflauit. Certabant inuicem proceres, de rege eligendo. Erant, qui Carolvm Robertvm, *(z.)* Caroli Apuliæ regis filium, ex ſorore Alberti *Clementina*, natum; Andrea adhuc rerum potiente, Pontificis Romani auctoritate, in Hungariam adductum, regem agnoſcerent. Alii, legem adeo ſeueram, a Pontifice præſcribi, qua ſibi ius eligendi regis adimi interpretabantur, ægre ferentes, ad Wenceslavm Bohemiæ regem, reſpiciebant. Eius tunc res maxime florebant. Nam, & *Poloni*, pulſo *Wladislao Loctico*, ab inſigni ſtaturæ breuitate, (quaſi *cubitalem* dicas; *Loktik* enim, *Sarmatica* dialecto, minutam *vlnam*, ſeu *cubitum*, notat,) ita adpellato, regnum ad eum detulerant. Ille, miſſis ad ſe, *Buda*, legatis, qui regem eum ab Hungaris eſſe electum, nunciarent, gratias agit; duorum ſe regnorum adminiſtratione, diſtentum, nihil vltra ambire; filium illis, ſi velint, ſibi cognominem, regem daturum, reſpondet. Iunior ergo Wenceslavs, in Hungariam deductus, regno inauguratur, annum agens, decimum tertium. Offenſus ea re, Pontifex, omnibus, qui Carolo Roberto, obſequium recuſabant, ſacrorum communione interdicit. Sed Albertvs quoque *Cæſar*, Carolo, prælatum Wenceslavm, ægre ferebat. Iſta, diuerſiſſimorum ſtudiorum, vehemens atque pertinax colliſio, in peſſimam denuo fortunam, Pisonivm, induit. Hungari nimirum, vti in tanta voluntatum diuerſitate fieri neceſſe fuit, Albertvm, Carolinæ factionis reum, accuſantes, cum nequirent aliter, in Agnete, *Andreæ* vidua, & cognomine teneraque adhuc filia, præceptam animo iniuriam vlciſcuntur, ad carceres vtramque trahunt, habentque, quam pro tanti faſtigii ratione, durius. Illa, frequentibus, patrem Albertvm, litteris, de calamitate, cum qua conflictaretur, condocet, opemque paternam enixe implorat. Non potuit non, in vindictam, optimi alioquin principis animus, accendi, cum videret, pignora ſua, inique adeo, ab *Hungaris* haberi. Itaque, nondum vere, anni MCCCII. adulto, exercitum comparat, quem *Hermanno Lambergico*, limitis eius præfecto, tradit, ſimulque ſeuera dat mandata, vt, qua poſſet moleſtia, *Hungaros* adficeret; neque ceſſaret prius hoſtiliter

natæ hinc molitiones:

pars Wenceslaum *Bohemum eligit:*

is, filium cognominem, regno inducit:

quæ inde Piſonium *fortuna manſerit?*

y.) Ita habet auctor *Hiſtor. Duc. Styriæ*, Parte I. p. 144. in Alberti actibus: *Felicior in Hungaria, pro genero pugnanti, fortuna adſpirauit; tribus caſtris,* Ibano *extorris, victorem militem, in hiberna reduxit.*

z.) Gerhardvs *de* Roo, Lib. II. p. 69. Adde Bonfinivm Dec. II. Lib. IX.

ſtiliter agere, quam captiuas, cum ea, qua par eſt, temerati honoris redintegratione, eliberaret. Ille, vt acceptas iniurias, ſui etiam cauſſa vlciſceretur, cum exercitu in *Hungariam* ſe infundit. Pisonivm, intranti hoſti, primo loco ſe obiiciebat. cui expugnando, pars exercitus deſtinata. Quod militis reſiduum fuit, per *Danubii* ripam, nuper munitionibus, *Carlburgi*, *Ovári*, & *Moſoni*, nudatam, relicto ad ſiniſtram *Iaurino*, vsque ad *S. Pannoniæ Montem*, proceſſit. Suſcepta & hic obſidio, eodem, quo *Piſonienſis*, euentu, terminata eſt. Vtrobique, vi res gerebatur, neque minus *Piſonium*, quam *S. Mons Pannoniæ*, expugnatum eſt. His belli initiis, nondum confirmato rege puero, exterriti Hungari, herbam Alberto porrigunt, reddunt *Hermanno* captiuas, quidquid erat facinoris, prolixe excuſantes. Iis receptis *Lambergicus*, nihil amplius hoſtile molitus, in Auſtriam rediit. Agnes poſtea, cum filia, in *Künigsfeldenſi* monaſterio, ætatem, pietatis ſtudiis extraxiſſe memoratur. *Piſonium* tamen, in Alberti non ſolum; ſed Friderici etiam, qui patri iniquiſſime obtruncato ſucceſſerat, poteſtate remanſit.

expugnatur ab Auſtriacis; manet in eorum poteſtate.

§. XVIII.

Res Wenceslai:

Breue Wenceslai regnum, diuerſis iterum ſtudiis, Hungariam perturbauit; ſi non hoſpitium dicendum eſt potius, quam regnum: quippe qui, vnius anni interuallo, ob ætatem, & ſciſſas procerum voluntates, vino item, & libidinibus *(a.)* delibatus, haud quidquam rege dignum, gerere potuerit. *Coronato* Wenceslao, *quem Hungari* Ladislaum *adpellarunt, neque ius regium, nec poteſtas, a proceribus oppidorum, neque vllum ab illis obſequium, redditur:* inquit *(b.)* Bonfinivs. Carolvs certe *Robertus*, cuius factio inualeſcebat in dies, eo iam tum erat robore, vt, *viginti millium* exercitum, ad *Morauiam* euaſtandam, *illo ipſo tempore*, educere potuerit, cum anno MCCCIII. Wenceslavs ſenior, *Budæ* morabatur, filium inde, cum corona, in Bohemiam relaturus. Diſcedente ex Hungaria Wenceslao, denuo competitorum ambitus, inſigniter diuiſit optimatum ſtudia. Nondum ad eum modum conualuerat Carolvs, vt Pontificis patrocinium, ſumma comitatuum ſeueritate, in ſuam rem potuiſſet vertere. Hungari enim, ne eligendi regis poteſtatem, e manibus ſibi elidi paterentur, Ottonem, Bauariæ ducem, qui & ipſe Belae IV. filia natus fuerat, ea lege in regem adſciſcunt; ſi coronam, quam detinebat Wenceslavs ſenior, pretio preceue, recuperaret, & ſecum, in *Hungariam*, ad inaugurationis ſolemnia, referret. Quod ille, apud ægrum regem, multo conatu, ægre ſatis obtinuit. Inaugurato Ottone Bauaro, nihil, quod de vrbe noſtra commemoremus, ſuppetit, quam quod, nondum reddita Hungaris, cum eximia *Inſulæ Cituorum* parte, Auſtriacis paruerit.

inualeſcens Caroli factio:

reducitur a patre Wenceslaus:

Otto Bauarus, in regem eligitur:

Piſonium, in Auſtriacorum poteſtate manet.

a.) Sic de eo, optimo patri ſuccedente, Gerhardvs *de* Roo, Hiſtoriæ Auſtriacæ, Lib. II. p. 73. Wenceslavs, inquit, *Bohemiæ rex, a patre laudatiſſimo degenerans, prius in Hungaria, vino, & voluptatibus delibutus, in ſocordiam delabitur.*

b.) Decade II. Lib. IX. p. 314, 40.

§. XIX.

Feſſis, longa reluctatione, *Hungaris*, tandem, Carolvm *Robertum*, publicis comitii, quod in campo *Rákos*, coiuerat, ſuffragiis, regem eligunt, & ex more, *Albæ Regali*, diademate, nuper ex Tranſiluania reducto, inaugurant. Vix ille regem ſe cœpit gerere, cum Matthaevs *Trentſinienſis*, vir non opum modo, ſed clientelarum quoque diues, regia adſpernatus mandata, bellum Carolo extorquet. Cui, ſeu inferendo, ſeu propulſando, cum viribus ſe imparem rex futurum, ſentiret, ad Fridericvm Auſtrium, *Alberti* patris ſucceſſorem, petendi cauſſa auxilii, legatos mittit. Adſenſit ille, tanto facilius, quanto exoptatior viſa ei fuit Caroli amicitia. Ita habet *Ducum Styriæ (c.)* hiſtoria: Friderico, *ſe opportuna occaſio obtulit, qua Hungari amicitiam, penitus ſibi adſirmaret. Regem* Carolvm, *iam inde, quo* Otto *Bauarus, ſolio exciderat, Matthæus, comes Trenchinenſis, regni Palatinus, infeſtabat, iamque Vagi ripam vtramque, occuparat; quem, niſi Germanorum auxilio, redigendum in ordinem, rex deſperabat. Sine tergiuerſatione, in eam expeditionem, qua nempe Ludouico,* (imperii æmulo,) *nouum hoſtem pararet, ſe dedit, copiis, quod* Carolvs *poſtulabat, ad validiſſimum caſtrum, Comaromium, admotis, breui expugnat. Qua victoria rex, ſupra modum lætatus, inuicem auxilia ſpondet. At ſubinde a* Friderico, *de liberanda fide, adpellatus, venturum ſe negabat, niſi inſula* Schütta, *cum* Piſonio *redderetur, quæ* Agneti *reginæ Hungariæ, quondam in dotem adſignata fuere. Et huic, quamuis illiberali (d.) poſtulato, adſentiri, ſtatus rerum coegit, ne properanti ad imperium, tantillæ terræ portio, moram iniiceret.* Silent, has Friderici ſuppetias, rerum Hungaricarum ſcriptores; nos autem eo commemoramus ſollicitius, quod, occaſionem inde natam Carolo, videmus, Pisonivm, pluribus retro *(e.)* annis, poſt *Hermanni Landbergici* impreſſionem illam, ab Auſtriacis *inſeſſum*, in poteſtatem ſuam vindicandi. At Hungari, Friderico, aduerſus æmulum Ludovicvm Bauarum, pugnaturo, ſubſidio miſſi, operam nauauerunt, non vndiquaque vtilem. Quatuor ſagittariorum millia fuiſſe, Gerhardvs de Roo *(f.)* tradit; quem numerum, ad viginti ſex mille, Lazivs *(g.)* adauget. De male ab iis inita pugna, vtrique conuenit. Fridericvs certe, a Bauaro captus, vixque triennio poſt, in libertatem vindicatus eſt: partes *(h.)* hic quoque ſuas, Carolo noſtro, interſerente,

Piſonii, ad Hungaros reditus:

eorum infelices Friderico, miſſæ, aduerſus Ludouicum Bauarum ſuppetiæ:

c.) Parte I. p. 166.

d.) Nolim id dictum ita, quum optimo poſtliminii iure, Carolvs, repetierit *Piſonium.*

e.) Duodecim interceſſiſſe annos, certum eſt.

f.) Lib. II. p. 90.

g.) Genealogiæ Auſtriacæ Commentar. Lib. II. pag. 211, 28.

h.) Hiſtoriæ Ducum Styriæ, Parte I. p. 179. in actibus Friderici.

te. quod poſtea officii genus, FRIDERICVS, quantopere gratum ſibi acciderit, miſſa ad eum barba *(i.)* quam triennio, in carcere intonſam, nunc poſuerat, teſtatus eſt.

§. XX.

Caroli, *in receptam vrbem, indulgentia:*

CAROLVS, receptam, ea pactione, ab *Auſtriaco*, vrbem, mira proſequutus eſt indulgentia. Nam, & priorum regum, LADISLAI Cumani, atque ANDREAE III. tabulas, nouis benignitatis acceſſionibus auctas, confirmauit, & quod ad vrbis incrementa, putabat pertinere, ipſe quoque, ſollicite procurauit. Cuius munificentiæ, & propenſæ, in vrbem, voluntatis, documenta, exſtant hodieque in vrbis tabulario. Auro, contra, cariora hæc ſunt omnia; quæ tamen ab aliis potius, quam a CAROLO, profecta videri poſſent. Itaque, ſua ipſius, bene de vrbe merita, fas eſt, vt memoremus. Multa ea fuere, & exſtantia, ſed quorum memoriam, vetuſtas obliterauit. Supereſt adhuc diploma, quo *terram Szőlős*, alias *Vdvarnicorum Regiorum*, adpellatam, atque inter *Cseklés*, *Bozin*, *Prátsam*, & *Juan*, poſitam, *Piſonienſium* iuribus, A. MCCCXXIII. adſcripſit: cuius poſtea metas, *Nicolaus Konth*, Regni Hungariæ Palatinus, ſcripto deſignatas, vrbis magiſtratui, rogatus, exhibuit.

eius rei monimenta:

Quid porro a Carolo *in vrbem profectum ſit.*

§. XXI.

Noua belli materies:

EX his, quæ adtulimus, CAROLI, in vrbem, propenſio, cognoſci poteſt. Exarſit poſtea, temporarium, inter FRIDERICVM, & *Hungaros*, bellum. Cum enim OTTO, FRIDERICI frater, partem patrimonii, alendæ coniugi, & familiæ, *ſuffecturam*, fruſtra poſtulat; CAROLVM *(k.)* hinc, *illinc Bohemos*, ad expugnandam fratris duritiem, inuitat. Vltro lubentesque adfuere *Bohemi*; tardius CAROLVS, neque niſi, poſt tentatum, per legatos, FRIDERICVM, vt pacem, fraterno & exitiali bello præferret, ad expeditionis ſocietatem acceſſit. Tunc vero, immiſſo, anno MCCCXXVIII. octoginta millium exercitu, ſicuti BALBINVS *(l.)* auctor eſt, pleraque *Morauiæ* loca, OTTONE hortante, occupat, atque re feliciter geſta, *Piſonium*, vnde impreſſionem fecerat, præda onuſtus redit. Reddita fratribus pace,

Piſonii, *ex eo acceſſiones:*

Piſonium, frequentius acceſſit CAROLVS, cum *Friderico*, atque *Alberto*, Auſtriacis, ſubinde paciſcens. Exſtat apud ANTONINVM STEYRER, *(m.)* geminum diploma, *Piſonii* anno MCCCXXXI. IV. Nonas Septembris, a CAROLO, perſcriptum; quorum altero, antiquæ amicitiæ leges, inter

i.) Ibidem, p. 182.

k.) Hiſtoria Ducum Styriæ, Parte I. p. 182.

l.) Epitome Rerum Bohemicarum, Lib. III. Cap. XVIII. p. 331. fine.

m.) In Additionibus, ad Commentarios, pro Hiſtoria ALBERTI II. Ducis Auſtriæ, col. 34. ſeqq. Vtrique diplomati, ſubſcriptum legas: *Datum, & actum, in ciuitate noſtra* Poſonienſi. *Anno Domini milleſimo tricenteſimo, tricesimo primo, quarto Non. Septembris.*

inter Hungarum, atque Auſtrios, ſancitæ, renouantur; altero, mutuæ *inuicem* ſuppetiæ, etiam in JOHANNEM, regem *Bohemiæ*, compromittuntur. Sed, iura huius fœderis, quinquennio poſt, non contemerata modo, verum commutata etiam penitus fuerunt, CAROLO, ad partes IOHANNIS tranſeunte. Tametſi enim, eodem illo, quo fœdus *Piſonii* ictum fuerat, anno, conflatum aduerſus IOHANNEM, bellum, ad quinquaginta, *Polonis* accenſis, millia, CAROLVS, OTTONI Auſtrio, in ſubſidium miſit; tamen, orta, quod fit, de caſtris limitaneis quibusdam, acerba lite, palam IOHANNI poſtea CAROLVS ſe addixit. Fœdus *Wiſſegradi* percuſſum, BALBINVS *(n.)* tradit: *Anno MCCCXXXV.* 10. *Nouembris*, inquit, *Wiſſehradi, ſuper Danubium, tres reges:* CAROLVS *Vngariæ*, CASIMIRVS *Poloniæ*, IOHANES *Bohemiæ, eiusque filius* CAROLVS, *Marchio Morauiæ, aduerſus* LVDOVICVM *Bauarum, & Auſtriæ duces, fœdus ineunt.* Hinc noui ſcriptoris *(o.)* querelæ: *Vt*, inquit, *fœderibus fere accidit, non vltra eſſe ſanctis, niſi donec vtilibus, & iſtud, orta ſuper quibusdam caſtris lite, diſſutum prius concidit, antequam fructus exinde, ad Auſtriacos rediret. Bello ſi quidem, cum Bohemis, anno trigeſimo ſexto ſuſcitato, vbi fœderis vſum maximum eſſe oportebat, Hungari, in partes hoſtiles tranſiere.* At enim, mutuis cladibus deterriti, qui bellum mouerant, principes, nouo iterum fœdere, coaluerunt. Tabulas, in *Enſa*, die *S. Dionyſii*, anno MCCCXXXVI. ſignatas, STEYRERVS *(p.)* exhibet; anno ſequente, triplici iterum *(q.)* diplomate, *Piſonii* repetitas confirmatasque.

fœderum conuerſiones variæ.

§. XXII.

Piſonium, *nouo pacis tractatu, illuſtratum:*

SAtis firmata, his rebus, pax, inter *Auſtriacos*, & CAROLVM, credi *potuiſſet*; *niſi*, de rependendis, quæ *Bohemica* expeditione, quam *diximus*, *intulerat*, *damnis*, noua iterum lis coorta fuiſſet; eo forſitan felix, quod pacificatione illa, *Piſonium* noſtrum illuſtratum eſt denuo. Res ita ſe habuit: Accuſabat CAROLVM, ALBERTVS, cladium, bello Bohemico, Auſtriæ illatarum, creberrime ingerens; indemnem ſe niſi redderet, amicitiam tutam diuturnamque haud futuram. Neque defuit CAROLO, quod *Auſtriaco* obiectaret. At ille, vti in pacem, quam bellum, pronior ſemper viſus eſt, rem, arbitris diſputandam, permittit. Dabimus CAROLI diploma iudices *(r.)* quo is, partis vtriusque arbitros, mutuo adſenſu lectos, deſignauit: *Nos* KAROLVS, *Dei gratia, Rex Hungarie, Memorie commendantes, tenore*

n.) *Epitome Rer. Bohemic.* Lib. III. Cap. XVIII. p. 338. Prolixus, in deſcribendo eo conuentu eſt, BONFINIVS, Decade II. Lib. IX. p. 323. ſeq. ſed initi fœderis, non meminit. Adde THVRÓCZIVM, Parte II. Chronici, Cap. XCVII. p. 88, 36. & Comment. Vitæ CAROLI IV., p. m. 96, 22.

o.) *Hiſtoria Ducum Styriæ*, Parte II. p. 5.

p.) Loco citato, col. 112. 113.

q.) Legeſis inibi col. 117. ſeqq. cum ſubſcriptione: *Datum* Poſonii, *feria quinta, proxima poſt natiuitatem Beatæ Virginis, Anno Domini MCCCXXXVII.*

r.) Exhibet id STEYRERIVS, ex Tabulario Cæſareo Viennenſi, in Additionibus, ad Annum MCCCXLI. col. 128. A.

presencium profitemur. Quod amicabilem & fraternam consideracionem habentes, de puritate vnionis & amicicie, inter Magnificum Principem, Ducem Albertum Austrie *fratrem nostrum Karissimum & nos sincerius obseruanda, nec non pro pace, terrarum nostrarum tranquillitate, vtrinque firmiter & indissolubiliter conseruanda disposuimus mutuo, super damnis, injuriis, hinc inde terris, & hominibus nostris alterutrum hucusque in metis, & alibi factis, & illatis; amicabilius concordare, hoc modo, quod frater noster Austriæ Dux, tres videlicet venerabilem in Christo patrem dominum* Petrum Episcopum Sirmiensem, Thomam Voyuodam Transyluanum *& Comitem* Paulum de Merteinstorff, *de nostris consiliariis recepit, & elegit, quod si quis illorum trium interesse non poterit, eidem, loco Comitem* Nicolaum filium Seleci Comitem de Turuch *assumsit, nos vero similiter de consiliariis dicti fratris nostri Austriæ Ducis etiam tres, videlicet Comitem* Ludouicum de Oetting, *Comitem* Ulricum de Phanberche, Ulricum de Pergow *recepimus, & elegimus pro nostri parte, quod si eciam illorum aliquis interesse non posset, Comitem* Chunadum de Schoumberch *loco assumsimus eiusdem. Quibus prænominatis modo premisso una cum fratre nostro Karissimo Duce Austrie pro nostri parte plenam dedimus, & presentibus damus potestatem, injurias, dampna, nobis ac fratri nostro Duci Austrie, nec non terris & hominibus nostris hinc inde facta audiendi, cognoscendi, arbitrandi, ac definiendi, quemadmodum ipsis visum fuerit expediri, sic tamen vt injurie ac dampna fratri nostro predicto, nobisque specialiter facta, pro aliis dampnis, ac injuriis decidantur, & ad hoc exequendum nos vnà cum fratre nostro Austrie Duce predicto prefatis personis terminum conueniendi prefiximus, ad mediam XLmam proxime venturam, scilicet vt predicti tres per dictum fratrem nostrum Ducem de nostris Consiliariis recepti in predicto termino venire debeant, in ciuitatem nostram* Posonium, *alii vero tres de Consiliariis fratris nostri per nos recepti ad terminum prescriptum* Haynburgum *venire debeant, & hy sex de loco communi, ipsis ad conueniendum competenti, tunc prouideant, & concordent, vbi partes audiant, injurias utrinque, dampnaque pensantes, & lesis, ac dampnificatis satisfactionem & emendam debitam faciant de illatis. ratum, gratum, ac firmum habere volentes, ex parte nostri cum effectu, quidquid per predictos sex ordinatum, arbitratum vel difinitum fuerit in premissis. Dantes has presentes sigilli nostri munimine roboratas, in robur & testimonium euidens super eo. Datum in ciuitate nostra* Posonii *in die beati Briccii Episcopi Anno Domini MCCCXLI.* Hactenus diplomatis verba. Nullam hic Caroli, Marchionis Morauiæ, Iohannis, regis Bohemiæ filii, mentionem legas, quem Steyrer, *(s.)* arbitrum litis fuisse, memorat. *Anno MCCCXLI.* inquit, *tandem pax integra restituta est inter* Carolum, *Vngariæ regem, &* Albertum. *Licet enim rex, anno MCCCXXXVI. in fœdus Bohemicum, & Austriacum, absens, admissus fuerit, & anno sequen-*

s.) Historiæ Alberti II. Cap. I. p. 6. Adde Historiam Ducum Styriæ, Parte II. p. 10, in actibus Alberti II.

sequenti, ipse ea pacta omnia, suis tabulis rata habuerit: vrgebat tamen Albertus, *vt is damna dissolueret, quæ miles Vngarus, Bohemis subsidio missus, eodem anno XXXVI. in Austria fecerat. Quare, causa arbitris permissa est,* Carolo *in primis, Morauorum principi, qui & regem, ad eorum damnorum compensationem teneri pronunciat.* Atqui, nulla, in diplomate *Carolino*, belli Bohemici mentio iniicitur; sed iniuriarum tantum, mutuo datarum, acceptarumque, quas, ex æquo pensandas voluit. Latam certe, a Marchione Morauiæ, sententiam, ne ipse quidem Steyrervs, *(t.)* diligentissimus monumentorum indagator, reperire vspiam potuit. Sed interfuit omnino huic pacificationi Carolvs, vti ipse, in commentariis suis meminit: *Abinde*, inquit, *(u.) veni* Bozoniam, *quæ est in metis Hungariæ & Austriæ, & concordaui Regem Vngariæ, cum Duce Austriæ.* Credo equidem, cum pangendi caussa fœderis, eodem hoc anno, apud Duces Austriæ *(v.)* moratur Carolvs; Pisonii autem, sex illi, quos diploma memorat, arbitri, difficilius forsitan, in dirimenda lite proficerent, mutuis voluntatibus, adscitum fuisse Carolvm, qui controuersiam omnem, *Pisonii*, præsens dirimeret.

§. XXIII.

HAec, Carolo regnante, in vrbe nostra euenere. Is, vbi anno MCCCXLII. Wissegradi Cal. Augusti, fatis concessit, Lvdovicvs, paternarum virtutum, ex asse hæres, regnum capessiuit: non vna iterum benignitatis, erga vrbem, significatione, commemorandus. Rata ante omnia habuit, priorum regum, collata *in* vrbem beneficia, Ladislai scilicet Cumani, Andreae Veneti, & Caroli, *parentis optimi.* Mox & ipse, suam, *Pisonienses*, munificentiam comprobauit, *vicosque* vrbis, *Veidritz*, & *Plumenau*, ab omni. *quorumcunque iudicum & iustitiariorum regni, iurisdictione, quin & censibus & taxationibus* quibuslibet, perenni iure, anno MCCCXLIX. exemit. Rebus, domi, pro eo, ac ferebat necessitas, rite constitutis, initam, a patre Carolo, ante sexennium, cum Austriacis ducibus, amicitiam, nouis beneuolentiæ significationibus, excolendam firmandamque, rebatur Lvdovicvs. Cognitum, *Hungaris*, iuxta & *Austriacis*, longo vsu fuerat, multos, perfidiæ aliorumque facinorum reos, quos, aut publica edicta, aut pœnarum metus, patriis sedibus exegisset, ab *Hungaris* quidem in *Austriam*, atque illinc rursus, in *Hungariam*, irrepsisse, dedisseque mutuo, frequentium suspicionum occasionem. Vulgato igitur, *Viennæ*, anno MCCCXLV. d. XV. Dec. diplomate, pernicioſissimum illud hominum genus, regno, exturbandum, prouidendumque limitibus, ne se porro insinua-

Carolum patrem, Lvdouicus, sua in vrbem beniuolentia, æmulatur:

fœdera, cum ducibus Austriæ, redintegrat:

t.) Loco citato: *Exemplar*, inquit, *sententiæ, quam Carolus dixit, non reperi.*

u.) Citante Steyrero col. 129.

v.) Vide Balbinvm, Epitome Rerum Bohemic. Lib. III. Cap. XVIII. p. 344. Et Comment. ipsa, de Vita Caroli, p. m. 102, 12.

re in regionem poſſit, prudentiſſime ſanciuit. Non piget, exhibere diploma, vt pateat, quanta ſollicitudine, principes optimi, finium, populorumque ſuorum ſecuritatem, ſartam voluerint tectamque habere.

inutile hominum genus, mutua cura a regno auerruncat.

Nos Lvdovicvs *Dei gratia Rex Hungarie, tenore preſentium ſignificamus, quibus expedit, vniuerſis. Quod ad exſtirpandum & prorſus eliminandum omnes & ſingulos male factores de regnis noſtro ſcilicet Hungarie, & incliti Principis Domini* Alberti, *eadem gracia, Ducis Auſtrie, Styrie & Karinthie fratris noſtri Kariſſimi, terris & dominiis, cum eodem fratre noſtro in hunc modum duximus concordandum, tractatibus Baronum & Juratorum noſtrorum utrinque deſuper habitis, per nos conditum & tractatum extitit, quod vtrobique, in ciuitatibus & foris palam proclamari debet, & ſerioſius precipi noſtri nomine, quod vniuerſi & ſinguli malefactores, de noſtris terris & dominiis exire debent, & ſe penitus eliminare de iisdem, ac proxima dominica ſubſequenti ante feſtum natiuitatis Domini nunc inſtans, infra menſem. Sin autem iidem malefactores vltra illud tempus moram in noſtris terris, & ipſarum metis facerent, ac traherent, ex tunc Capitanei, & Iudices ſubnotati, vtrobique ad hoc deputati, ipſos capere tenebuntur, & debebunt, faciendo iuſticie complementum de eisdem. Si vero dicti Capitanei, & Iudices in metis, & confinibus, ut premittitur, reſidentes, prefatos malefactores, non detinerent, & in eo negligenciam committerent, tunc nos, & frater noſter Dux* Albertus, *ſuper eo debebimus & tenebimur, emendam ſtatuere, transgreſſoribus infligendam, preterea concordatum extitit, inuiolabiliter obſeruandum, quod unâ integra vinea in monte Dewen ſituata, nichil plus dari & ſolui, pro ſeruicio debet quam media libra denariorum Wyennenſium, & verum Ius montale, decima, & vera muta, ſicuti ab antiquo moris fuit, inſuper ſuper dampnis hinc inde alterutrum illatis condiximus, quod in feſto purificationis beate Marie proxime affuturo, prefati aduocati, & iudices conuenire debent, ad audiendum de dampnis probabiliter, & notorie hinc inde illatis arbitraturi, noſtra ex parte, quod paſſo ſua dampna in integrum reſarciantur, iuxta arbitrium & definitionem ſuſceptorum, qui per nos utrinque ad premiſſa exequenda, exiſtunt ſpecialiter deputati, videlicet infra metas & terminos a Danubio vsque ad Harpergh conſtituti per nos Comes Paulus de Mertensdorph & St. Woyuoda Tranſiluanie, ex parte vero fratris noſtri Ducis Alberti Ulricus Comes de Phanperg, Eberhardus de Walſe de Droſendorph, item infra metas, & terminos a Bohemia vsque ad Danubium, noſtri ex parte deputati ſunt Chenyk de Ugud, & Thomas Niphus Caſtellanus de Ujuar, ex parte fratris noſtri Ducis Alberti Churadus Comes de Schowenbergh, & Leutholdus de Chunring, preterea infra metas & terminos, a fluuio Dra usque ad fines metarum Marchye, Nicolaus Banus totius Sclauonie & Magiſter (*) Chyko Caſtellanus de Kerezegh, noſtri ex parte, & Comes Cylie, Rudolphus, Otto de Lichtenſtain, ex parte fratris noſtri Domini Ducis predicti,*

*) Niſi me fallunt omnia, legere poſſis, *Csáky*, qui hodieque, *de Kereſzeg*, veteri iure, adpellantur.

dicti, item infra metas & terminos de monte Harpergh, vsque ad fluuium Dra, ex parte noſtri Comes Paulus de Mertensdorph, & Nicolaus Palatinus, ex parte vero fratris noſtri domini Ducis Alberti, Vlricus de Walſe, & Gotſchacus de Neupergh, exiſtunt deputati. Et ſi qua dampna infra dictas metas, & limites de nouo ſuborirentur, quod abſit, predicti quatuor, ad ſingulas metas, vt premittitur per nos vtrobique ad hoc nominati conuenire debent ad audiendum & inueſtigandum, ac ipſa eadem dampna determinandum, & expediendum infra menſem, que ſi tunc per eosdem determinari, & expediri non poſſent, nichilomnius, dampnum paſſus, nullam ſibi ipſi talionem facere, nec procurare debet quoque modo, ſed dampnum ſibi irrogatum ad noſtri deferre audientiam debet, ſuper eo emendam a nobis preſtolando. Datum Wyenne feria quarta quatuor temporum poſt diem beate Lucie Virginis Anno Domini MCCCXLV. Tria diplomatis ſunt capita. *Primum*, de excutiendis maleficis hominibus, quod, quin ad *Piſonienſes* noſtros pertinuerit, nemo ambiget, niſi ignarus maleficentiſſimorum hominum incurſus, qui ex *Auſtria*, ſeueriſſimis edictis depulſi, ementito, qualicunque obtentu, *Piſonium* ſolent accedere; dum qui ſint, prorſus innoteſcat. Atque optandum foret omnino, vt eadem illa ſeueritas, hodie, in ſceleratum genus conſciſceretur: ne, purgamentis proximarum prouinciarum, vrbs ex ſe celebris, atque honeſti moris ſtudioſa, toties offunderetur. *Alteram*, de tollendis mutuis iniuriis, ſanctionem, *Piſonii* exercuiſſe Csenykum de Ugud, & Thomam Niphus, *Caſtellanum de Wyuar*, non ſinunt nos dubitare, nuper Carolvm inter *Albertumque*, diſcuſſæ ab arbitris, querelæ. *Dévénienſium* vinearum rationes, quarum medio loco fit mentio, ad priuata compendia pertinuere. Credimus, fuiſſe ex *Auſtriacis*, qui eius loci cultui vineatico, operabantur. Hos, quia tributis forte, onerauerunt, rerum illic potientes: id, ne porro fieret, eodem diplomate, negotium, ex ſe tenue, diſcuſſum eſt.

§. XXIV.

Conſulitur iis vrbi noſtræ:

Conſultum iſta, vicinorum principum, amicitia, non ſecuritati modo, ſed incrementis quoque vrbis noſtræ fuiſſe, nemo, cum ratione, inficiabitur. Nam, ſi delirantibus regibus plectuntur Achiui; oportet, refoueri ciues, cum ſe mutuo amore concordiaque, regionum domini, iidemque vicini, complectuntur. Icto, quod nunc memorauimus, fœdere, biennio poſt, Albertvm denuo *(x.)* inuiſit Lvdovicvs. Aderat Carolvs quoque IV. nuper, in imperatorem, Clementis VI. Romani Pontificis, mira contentione, ſublectus. De eorum, apud Albertvm, diuerſatione, Styriacæ auctor hiſtoriæ. *Eodem anno, binos Cæſares, Vienna hoſpites excepit, non mediocri* Alberti *gloria, cuius amicitiam coronata capita, ambiebant. Prior*

x.) Iam tum enim anno MCCCXLI. *Viennæ* fuiſſe, Lvdovicvm, dicti fœderis tabulæ, quas illic ſignauit, loquuntur.

Prior vrbem subiit VIII. Kal. Februarii, Carolvs, *Iohannis Bohemiæ regis filius, cum* Lvdovico, (rege Hungariæ) *genero (y.) suo, anno superiore, VI. Cal. Decembres, Bonnæ, Cæsarea corona, ornatus.* Accesserat huc vterque, vt Albertvm, a Lvdovico Bauaro, Caroli æmulo, in suas partes, abstraherent. Id, cum frustra adtentarent, *Pisonium* digressi sunt, conceptam, ex Alberti duritie, moestitiam, familiari lætoque conuictu, isthic diluturi. Nihil quidquam, de hoc, noui Caesaris, ad vrbem nostram, aduentu, a scriptoribus Hungaricis, proditum est, memoriæ: quocirca, exterorum aduocanda sunt testimonia. Steyrervs, *(z.) his*, inquit, Carolo & Lvdovico, *Posonium digressis, adest* Lvdovicvs *Cæsar*, (Caroli Bohemi antagonista) *vt in eadem fide amicitiaque, quæ iam a morte* Friderici *pulchri, immutata constitisset, immotus perseueret.* Rei gestæ, vt fidem præstrueret, scitus luculentusque auctor, Albertvm Argentinensem, vetustum auctorem, allegat. *(a.)* Carolvs, inquit ille, *electus, latenter, per Alsatiam, & Sueuiam, transiuit, & ad terram Bohemiæ, properauit, vbi honorifice est receptus. Postea de mense Februarii, anno Domini XLVII. ipse Carolus electus, cum* Carolo (Lvdovicvm dicere debuerat; quippe, *Carolo*, quinquennio ante, vita functo) *rege Hungariæ, genero suo, & cum Alberto Australi, colloquium habuerunt, in Vienna. Quibus simul euntibus in* Presbvrg, *eiusdem Vngari, Ludouicus princeps, (Cæsar) statim in Vienna colloquium secretissimum habuit cum Australi prædicto.* Itaque, Carolvs, qui ante sexennium, litium arbitrum, *Pisonii* egit, nunc Caesar, vrbem præsens cohonestauit.

Carolus *Cæsar*, Pisonium adit.

§. XXV.

Ludouici *res, cum* Rudolpho *Austriaco, Pisonii gestæ:*

Mvlta præterea, mutua inuicem opera, *Lvdovicvs*, & Albertvs, confecere. *quæ, quoniam extra Pisonium* gesta sunt, suis locis, a nobis memorabuntur. *Pisonium (b.)* interim, anno MCCCLIII. verni ieiunii tempore, Caesarem denuo, cum *Ludouico Boio*, hospites habuit. Inuiserat Lvdovicvs Imperatorem, eumque Viennam comitatus, secum deduxerat *Pisonium*, multa isthic, honoris ac lætitiæ significatione, acceptum, detentumque aliquantisper. *Alberto*, anno MCCCLVIII. e viuis sublato, *Rudolphus*, ducis axiomate, potitur. Nihil huic prius, nihil antiquius fuit, quam patris *Alberti*, aui *Friderici*, *Rudolphi* abaui, exemplo, Hvngaros amicos habere. Itaque, altero statim anno, quam rerum potitus est, visitato Pragæ, Carolo Cæsare, *Pisonium*, ad salutandum Lvdovicvm, venit. Ab eo, pro dignitate, acceptus, cum aliquantisper *in* vrbe nostra

y.) Habebat is in matrimonio, Margaretam, Caroli IV. filiam. qua anno MCCCXLIX. mortua, Elisabetham duxit, Regis Bosnæ, natam. *Mariæ*, & *Heduigis*, matrem.

z.) *Commentario*, ad Historiam Alberti II. Cap. I. p. 7. ad annum MCCCXLVII.

a.) In Adnotationibus ad Cap. I. col. 137.

b.) Steyrer in Alberto II. Cap. II. p. 27. initio.

stra substitisset, id vnice egit, vt paternas, mutui fœderis, atque amicitiæ, tabulas, confirmaret. En, diploma, *Pisonii* signatum. *Nos* Rvdolphvs *Dei gratia Dux Austrie & Karinthie, Princeps Sueuie & Alsacie, Dominus Carniolie, & Marchie, ac Portus Naonis. Ad uniuersorum noticiam deducimus per presentes. Quod nos pensantes debite cuncta pace subsistere, vigere concordia, & roborari vinculo unitatis, studiosa deliberacione preuia, maturo digesta consilio, pro nobis, & Illustribus Principibus, fratribus nostris,* Friderico, Alberto, & Levppoldo, *dictarum terrarum nostrarum ducibus, & Dominis spopondimus, & promisimus, bona fide, verbo nostre principalis dignitatis, tactis Sacrosanctis Euangeliis manu nostra, & sub debito corporaliter præstito iuramento, omnes, & singulas, ligas, vniones, & confederationes, pridem contractas, & initas, per recordationis inclite dominum Albertum, olim ducem Austriæ, nostrum genitorem, & dominum carissimum, & nos, cum Serenissimo Principe, domino* Lvdovico *Rege Vngarie fratre nostro predilecto, ac cum domino* Iohanne, *illustri Duce Sclauonie, Croacie, & Dalmacie, suo Nepote, consanguineo nostro precaro nos seruaturos, & habituros ratas, gratas, firmas, & inconuulsas, amice & fideliter, in parte ipsarum qualibet, & in toto, cum omnibus & singulis articulis, clausulis, obligacionibus, & punctis, de verbo ad verbum contentis, & comprehensis, in literis predicti quondam nostri genitoris, & in nostris literis sigillo, quo pro tunc usi fuimus sigillatis, omni dolo & fraude, in premissis, & earum quolibet penitus relegatis, & in pretactarum promissionis, obligacionis, & ratihabicionis, testimonium euidens, atque robur, presentes literas, appositione principalis nostri sigilli fecimus communiri. Datum & actum in* Pvsonio *secunda die Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo tercentesimo quinquagesimo nono, indictione XII.* Ita diploma eius concordiæ, *habet*, a Steyrero *(c.)* exhibitum. Sed quis quæso Iohannes ille, *Sclauoniæ, Croatiæ, Dalmatiæ Dux*, qui nepos Lvdovici dicitur? Fuit nimirum, obseruante, *laudato* Steyrero, Stephani, fratris Lvdovici, filius, ex *Margarita*, Ludouici Bauari, Regis Romanorum, filia genitus, nunc vero, patre anno MCCCLIII. viuis exemto, a Lvdovico, istarum prouinciarum titulis honoratus, ideoque in fœderis adscitus societatem. quod ingnorant scriptores domestici.

de iis, Rudolphi *tabula.*

§. XXVI.

Triennio post, quam ista in vrbe gesta fuerunt, nouo iterum fœdere, Pisonivm nobilitatum est. Lvdovicvs I. & Carolvs IV. imperator, mutuis offensis exacerbati, diu clam, postea, anno MCCCLXII. apertis odiis, dissidere inuicem occœperant. Inimicitiæ, si non occasio, incrementum certe datum est, quod Cæsar, Lvdovici iram, iactis in matrem eius conuitiis, inflammauerat.

Illustratur Pisonium, *nouo, inter* Ludouicum, & Carolum IV. *fœdere.*

c.) Eodem loco, Adnotat. ad Cap. III. col. 285. G.

Generatim, iniurias CROMERVS, *(d.)* diſtinctius MICHOVIVS, *(e.)* narrat. *Anno Domini*, inquit, *MCCCLXIII. bella parantes*, CAROLVM *imperatorem*, *regem Bohemiarum*, LVDOVICVM *Hungariæ*, KAZIMIRVM *Poloniæ*, & SIGISMVNDVM, *Daciæ reges, eo quod Carolus, coram nunciis Ludouici regis Hungariæ, dixerit eius matrem parum pudicam, Vrbanus Papa quintus compoſuit.* Indigne id, vt par fuit, LVDOVICVS tulit; ſed omnium indigniſſime, regina vidua. Filium profecto, ex ſe vindictæ cupidum, ad delendam bello ignominiam, tam diu ſtimulauit, dum penitus impelleret. LVDOVICVS ergo, vt eo validiore exercitu, expeditionem ſuſciperet, præter CASIMIRVM, Poloniæ Regem, RVDOLPHVM, Auſtriæ ducem, fratresque eius, nouo ſibi fœdere, obnoxios reddit. Tabulas, RVDOLPHI, & LVDOVICI, STEYRERVS *(f.)* recitat, priores quidem *Viennæ*, anno MCCCLXII. die VII. Ianuarii; poſteriores, *Piſonii*, vltima Februarii, ſignatas. Ingenti huc cum comitatu RVDOLPHVS aduenerat, actaque res eſt, ſumma celebritate. *Quinquaginta octo*, ex primoribus ſuis, fœderi ſubſcripſere: inter quos, trigeſimo primo loco, IOHANNIS *Thurzo, Domini de Raucheneck, (g.)* nomen lego; ideo hic recognoſcendum, quod videam, in errore eſſe, etiam gnariſſimos rerum patriarum, *Thurzonum* gentem, quæ ſuperiore ſeculo emortua eſt penitus, nuperam fuiſſe, autumantes. Itum hinc *Budam* fuit, vbi VI. Idus Martii, fœdus illud, interpoſita iurisiurandi religione, penitus conſummatum, adiectæque ſunt leges: *ſpolia, ex æquo diuiderentur; arma, qui altero inuito poneret, periurus haberetur.* His, vt rationibus ſuis, eo arctius RVDOLPHVM innecteret LVDOVICVS, iſtud adiecit: *Veteres, de limitibus controuerſias, octo arbitri, communi adprobatione deligendi, poſt bellum finirent; ſi quas nouas oriri contingeret, eæ pace compoſita, diſcuterentur*; Schwartzenbachium *caſtrum, Auſtriaci tribuente Hungaro, reciperent; ob Nouæ Ciuitatis defenſionem, pecuniam, alias pactam, ne Reges Hungariæ exigerent, neque nomina, ea de cauſſa, pluribus iam annis facta, Auſtriaci, expungere cogerentur.* Sed, fluctus, tanto adparatu commotos, INNOCENTII VI. ac dein VRBANI X. quin & *Catharinæ*, Rudolphi vxoris, ſingulare, tutandæ *quietis ſtudium*, *(h.)* quodammodo compoſuit; donec BOLESLAVS, *Suidnicenſium* dux, *(i.)* cum ambo reges, infeſtis agminibus, ad Brodam CAROLVS; ad Trentſchinium LVDOVICVS, prælii fortunam tentaturi, conſtitiſſent, inducias primum, pacem poſtea, arbitri munere, cum CASI-

d.) Hiſtor. Polon. Lib. XII. p. m. 214.

e.) In Collectione, IOHANNIS PISTORII Nidani, Tom. II. Lib. IV. Cap. XX. p. 157. ad annum 1363. quo diſcordiæ illi finis impoſitus eſt.

f.) In Additionibus ad Cap. III. col. 333.

g.) In alio RVDOLPHI diplomate Germanice ſcripto, *Jans der Türs von Rauchenekk*, vocatur, ibid. col. 377. atque iterum col. 427.

h.) Conſer omnino, STEYRERI, ALBERTVM II. p. 21. 22. & *Hiſtorium Ducum Styriæ*, Parte II. p. 30. 31.

i.) Vide præter laudatos auctores, THVRÓCZIVM, Chron. Part. III. Cap. XXXIV. p. 105. & BONFINIVM Dec. I. Lib. X. p. 349, 2. qui tamen belli cauſſas, atque euentum, non expromunt. Eadem, BALBINVM quoque, mirum dictu! ſcriptorem vndiquaque diligentiſſimum, latuere, *Epit. Rer. Bohem.* Lib. III. Cap. XXI. p. 370.

CASIMIRO, Poloniæ rege, ſolerter defunctus, prorſus conficeret. quod *Brunæ*, vti tabulæ *(k.)* pacificationis habent, anno MCCCLXIV. in die *S. Scholaſticæ* Virginis, factum eſt.

§. XXVII.

LVDOVICVS, belli defunctus diſcrimine, mox & ipſe, pacis arbitrum egit. *Tyrolis*, pactionibus primo, deinde Cæſaris etiam indulgentia, RVDOLPHO adtributa fuerat. Aegre id Boiariæ duces, ALBERTVS, & STEPHANVS, horumque filii, concoquebant. Ergo, infeſtis armis inuadunt Auſtriam. Neque ſegnior RVDOLPHVS, Bauariam & ipſe adoritur. Id bellum, ne gliſcentibus odiis, latius ſerperet, LVDOVICI auctoritas prohibuit. Nam, pactis, magno labore, induciis, pacem poſtea, inter vtrosque, conciliauit, mutuis diplomatibus, *Paſſauii*, *(l.)* anno MCCCLXIV. confirmatam, nouis deinde pactionibus, reſarciendam. *Piſonium* interim, ex frequenti regis hoſpitio, quod ei crebro res cum vicinis principibus eſſet, eximiis profectibus, in dies conualuit. Mirum enim in modum, etiam temporaria regum hoſpitia, vrbium incrementis velificant. Pacata inde LVDOVICI tempora fuere, dum anno MCCCLXXXII. naturæ debitum, perſolueret. Ex eius obitu, multum ſane calamitatis, vrbi noſtræ conflatum eſt. Cum enim MARIA, Ludouici maior natu filia, SIGISMVNDO, CAROLI IV. nato, adhuc puero, deſponſata, atque legitimis poſtea nuptiis, vt *Caroli* parui factio retunderetur, coniuncta, diſſidentium procerum ſtudiis, ſuccumberet; SIGISMVNDVS, ſaluti ſuæ conſulturus, relicta vxore, in Bohemiam effugit. Ex itinere, vt ſibi forte ſumtus compararet, exſulaturus, PISONIVM, *Iodoco*, & *Procopio*, Marchionibus Morauiæ, patruelibus ſuis, anno MCCCLXXXV. pignori dedit, *quadriennio poſt*, cum iam rebus præeſſet, anno nimirum MCCCLXXXIX. numerato ære, redemtum. An vero, *Moraui*, ad vrbis poſſeſſionem admiſſi fuerint, non habeo dicere. Sub idem tempus, fluctuante, inter MARIAM, & CAROLVM paruum, Hungaria, noua ab Auſtriacis, tempeſtas, in noſtrum iſtud collimitium, incubitura metuebatur. Nimirum, LVDOVICVS rex, Heduigem, alteram natu filiam, WILHELMO Affabili, Auſtriæ Duci, deſtinauerat, *Poloniam*, marito adtributuram. Accepit opimam conditionem LEOPOLDVS, *Wilhelmi* pater, prouiditque, vt pactum illud in publicas tabulas *(m.)* referretur. Neque id ſatis ei viſum, *Wilhelmum*, in aula LVDOVICI adoleſcere voluit, vt puer adhuc, ex optimi regis ingenio, fingeretur. Viciſſim, *Heduigem*, ætate paullulum firmiorem, *Viennæ*, pluribus annis educandam, ducibus LVDOVICVS tradidit; donec morti

Inde Ludouicus *pacis fit arbiter:*

frequens eius apud Piſonienſes *hoſpitium:*

Ludouici *mors, vrbi noxia:*

pignori a Sigismundo *opponitur:*

tempeſtas vrbi, ob negatas Wilhelmo *Auſtrio*, Heduigis, *nuptias, metuenda:*

T 2 proxi-

k.) Apud STEYRERVM, in Adnotationib. ad Cap. III. col. 382.

l.) Legendus iterum eſt, STEYRERVS, loco cit. col. 393. M. & ſeqq. atque *Ducum Styr. Hiſt.* P. II. p. 34.

m.) Exhibet eas FVGGERVS, in rebus LEOPOLDI huius.

proximus, ad paternum eam alloquium, reuocari iuberet. Comitabatur ſponſam WILHELMVS, multa honoris ſignificatione, *Budæ*, a rege acceptus, inque ſpe, qua ſuſtentabatur adhuc, plane confirmatus, relicta domi *Heduige*, in Auſtriam rediit. At enim, ſimul e viuis exceſſit LVDOVICVS, res longe aliter, quam conuenerat, cecidere. Nam *Heduige*, ad capeſſenda reipublicæ Polonorum gubernacula, ſolemni pompa deducta, WILHELMVS, Polonorum factione, e reginæ thoro, excuſſus ante eſt, quam eum rite occupaſſet: quippe qui, HEDVIGEM, IAGELLONI *Lituaniæ* duci, inuitam fere, ea lege, vt Chriſtianorum ſacra profeſſus, regionem ſuam Poloniæ adiungeret, in matrimonium tradunt: nec quidquam proficiente WILHELMO, (*n.*) tametſi *Cracouiam*, cum ſplendido comitatu, & diuite ſupellectile, adcurrens, in recuperanda ſponſa, omnem mouerit lapidem. Itaque, inſidias metuens, per itinerum ambages, ad ſuos redit, viuente HEDVIGE, coelibem agens vitam; qua mortua, *Iohannam*, CAROLI parui, Hungariæ Regis, filiam, vxorem duxit, ſubinde titulo, *Reginæ Hungariæ*, haud ſine offenſa SIGISMVNDI, ſuperbientem. WILHELMVS certe, acceptam a Polonis iniuriam, Hungarorum maleficium ratus, conceptum, ex repulſa, dolorem, egregie ſuppreſſit, dum ſe vlciſcendi occaſio daret, quæ anno demum MCCCCIV. adfulſit, in bellum oppido prona, niſi iram SIGISMVNDI, Auſtriacus, miſſis legatis, maturius conſopiuiſſet. Damna, in Auſtria dederant, Hungaricorum, ſeu militum, ſeu latronum, manipuli, *Niſiderium*, cum præda, ſemel iterumque reuerſi. Hos, *Wilhelmus*, qui tunc Auſtriæ duci, pro tutore præfuit, nihil apud SIGISMVNDVM queſtus, in ſuo illo perfugio, nec opinantes, partim cædit, partim e luſtris protractos, *Viennam*, captiuos abducit. Sexaginta fuiſſe memorant, de quibus ſumtum fuit ſupplicium. Et pependere ſane alii, aliis vitam redimere *indultum*. Iniquiſſime facinus tulit SIGISMVNDVS, *maxime, quod* eſſent, qui exaſperarent regis animum; *indignum agentes, nec ſalutato rege, fines Hungariæ, ab Auſtriacis, perrumpi; trahi ad ſupplicia populares; rem omnem, ad vniuerſæ gentis ignominiam, comparatam eſſe; iniuriam, niſi armis, expiari haud poſſe.* Accenſus, his ſuorum vocibus, SIGISMVNDVS, *Wilhelmo*, , vti diximus, ob *Iohannæ* nuptias præterea infenſus; quodque ea, *Reginæ Hungariæ* titulum, triſte nimirum paternæ cladis, monimentum, vſurparet; bellum, vt comparetur, communi omnium ſententia, decernit. Quo audito WILHELMVS, vt & factum excuſaret, neque bello dediſſe occaſionem, crederetur, ad SIGISMVNDVM, qui tunc *Piſonii* (*o.*) agebat, legatos mittit. Si rerum Auſtriacarum ſcriptoribus credimus, ferociore illi oratione vſi, arma, e regis manibus, excuſſerunt. Ita, *Piſonium*, belli adparatibus perſtrepens, ſubita pace nobilitatum eſt.

motuum occaſio:

noua pace ſopiuntur, Piſonii.

§. XXVIII.

n.) Lege, præter CROMERVM; GERHARDVM de Roo Lib. III. p. m. 124. ſeq. & *Hiſt. Styriæ Ducum* P. II. p. 60. ſeqq. atque LAZIVM Comment. General. Auſtr. Lib. II. p. b44. quorum hic, rem, aliter paullo, in litteras retulit.

o.) Roo, *Budam* miſſos ſcribit: nos, *Hiſt. Ducum Styriæ*, ſequimur, quæ loco citato, p. 65, fine, *Poſonium* habet.

§. XXVIII.

CVm hæc foris geruntur, multis interea muneribus locupletandam vrbem noſtram, SIGISMVNDVS cenſuit. Enim vero, anno MCCCXCII. eximiam vici, cui *Vereknye* nomen, portionem, vna cum portu *Csalló*, *Piſonienſibus*, ſingulari diplomate, quod ſuo loco, exhibemus, adſcripſit: Ineunte ſeculo XV. emporii iura, (ſiue, vti vocant, *inductarum & euehendarum mercium depoſitio*) peculiaribus litteris, vrbi, anno MCCCCII. a SIGISMVNDO, indulta fuerunt. Verba diplomatis, *Szakolczæ*, die feſto B. Vincentii Martyris, editi, atque demum anno MCCCCLIII. a LADISLAO poſthumo, ad diem B. Dorotheæ, *Piſonii*, adfirmati, iſtiusmodi ſunt: *Aduertentes, qualiter prædictorum ciuium, iuxta congruitatem ſitus ciuitatis ipſorum emendata conditio, acceſſu publico, magnum & perutile procurari poſſet & efficere commodum regno noſtro; volentesque, prout hoc regiam ſublimitatem noſtram decorat, pro tantis, de quibus ſupra, fidelitatum beneficiis, præfatis fidelibus noſtris ciuibus Poſonienſibus, Nos exhibere liberales & munificos, de certa noſtra ſcientia, Prælatorumque & Baronum regni noſtri Hungariæ, deliberata conſultatione præhabita; ipſos, ac ciuitatem eorum prædictam, infra ſcriptis gratiis duximus premiandos. Ita videlicet. Quod ex nunc, diſpoſitione noſtra ordinauimus, ac vigore præſentium, autoritate noſtra regia, ſtatuimus, vt in antea, omnes & ſinguli, tam noſtri proprii, quam aliorum quorumuis regni noſtri, Prælatorum, Baronum & Nobilium, ac forenſes mercatores, qui mercantias, ac res venales, ſeu bona commutabilia, cuiusuis ſpeciei vel materiei fuerint, extra, de regno noſtro ad Alemanniam, Auſtriam, Bohemiam vel, Morauiam, ſiue in regnum noſtrum, de partibus prædictis, portantes, & deducentes ac vehentes, ad prædictam ciuitatem noſtram, per vias, & ſtratas communes, antiqua & licita conſuetudine, ad eadem tendentes, importauerint, vel fecerint quomodocunque importare; illi, vniuerſas easdem res & bona, ibi deponere, ſiue reponere, nec inde aſportare; ſed ibidem religare, ponderare & equabria menſurare aut vendere & commutare, finalemque compoſitionem, ibidem facere teneantur, & debeant; per omnia, iuxta ritus ac conſuetudines, in aliis regni noſtri locis & ciuitatibus, circa depoſitiones rerum mercimonialium hactenus ſolitas obſeruare. Item, volumus etiam: quod aliquis mercatorum, tam noſtrorum, quam aliorum regni noſtri Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium, præſertim tamen incolæ præfatæ ciuitatis noſtræ, ſocietatem mercatoriam, cum forenſibus contrahere, quomodolibet debeant vel audeant.* Acceſſione ea, toto, & vltra, ſeculo, egregie *Piſonium* effloruit, cum hinc Auſtrii, Bohemi & Moraui, illinc, Seruii, Slaui, Tranſiluani, Valachique, cumulatim, huc, ſuas merces, inferrent. qua demum felicitate, tunc exciderunt noſtri, cum ex *Ludouici* clade, peſſum iuere, non Hungaria modo, ſed vrbium etiam commercia.

Sigismundi, *in Poſonienſes, benignitas, diplomatibus confirmata:*

iura emporii, vrbi adtribuit:

confirmat eadem Ladislaus *poſtumus.*

§. XXIX.

Sigismundus, *frequenter Pisonii diuersatur:*

conciliata inde, vrbi, frequentia.

MVltum postea, *Pisonienſi* seceſſu, niſi mauis regiam dicere, SIGISMVNDVM delectatum fuiſſe, ex diplomatibus, quorum plurima, vsque ad *Concilii Conſtantienſis* tempora, iſthic edidit, condiſcas. Vix annus abiit, quin menſes plures, *Piſonii* diuerſaretur: magna, vti facile eſt ad coniiciendum, & vrbis celebritate, & vtilitate ciuium. Nam, præter populares Hungaros, exterorum quoque concurſu frequentabatur, tum maxime, cum imperatoria dignitate, SIGISMVNDVS ornatus eſt. Sunt, qui aiant, litteras ſe vidiſſe, quibus beneficiarias imperii prouincias, *Piſonii*, in principes Germaniæ, transcripſerit. Illud certum, inualeſcente *Huſſitarum*, apud Bohemos, potentia, quam ſegnius retundebat WENCESLAVS, frequenter huc adcurriſſe Bohemiæ proceres, vt opem SIGISMVNDI implorarent. Anno MCCCCXI. *Sbignæus*, quem vulgus, *Zbinko*, adpellabat, Pragenſis Archiepiſcopus, eodem fine, *Piſonium* venerat; at enim, ſepulcrum hic reperturus. De eo BALBINVS: *(p.) Sbignæus, inter hæc, vel* Zbinko, *Archiepiſcopus, cum nullum auxilium a* WENCESLAO *rege, qui reginæ, & aulicorum artibus, tum etiam propria ignauia, & ſagina, impediebatur, ſperare poſſet,* Presburgum, *ad Vngariæ Regem,* SIGISMVNDVM, (*qui iam,* Rex Romanorum, *Ruperto mortuo, Francofurti electus erat,*) *ſe contulit, vbi veneno ſublatus eſt, anno MCCCCXI. XXVIII. Septembris.* Ea res, viro alicui, & ingenio, & doctrina magno, aduertente ibidem BALBINO, impoſuit. Cum enim, in SILVIO, legeret, *Sbigneo, Piſonii* mortuo, *Albicum,* ſucceſſiſſe, exiſtimauit, *Albicum Poſonienſem fuiſſe epiſcopum:* quod lectorum cauſſa, ne eo allecti errore, *Epiſcopen Piſonio tribuant,* monendum putauimus

§. XXX.

Bohemos Piſonium *euocat* Sigismundus:

MOrtuo WENCESLAO, cædibus *Huſſitæ*, & rapinis, omnia complent, atque SIGISMVNDVM etiam, auiti & paterni regni poſſeſſione, deturbant. Neque *Cæſar* ſe ipſum deſeruit, *corrogatis*

p.) EPITOME *Rerum Bohem.* Lib. IV. Cap. VI. p. 420. & Lib. V. Cap. XI. p. 579. vbi *Zbinkoni*, venenum, *Piſonii*, a *hæreticis* propinatum fuiſſe, meminit. Ne vero, conuitio ſit locus, a *Piſonienſibus* maleficium fuiſſe procuratum, monendus eſt lector, *Bohemum* fuiſſe, ſceleratiſſimi facinoris adminiſtrum, eumque, in *Bohemia*, ad id patrandum, auro, corruptum emtumque. Habemus iterum, tantæ rei teſtem, BALBINVM, *Miſcellaneorum Hiſt. Regni Bohemiæ*, Decadis I. Lib. IV. *Hagiographiæ*, ſeu *Bohemiæ Sanctæ*, Parte I. §. LX. p. 114. *Hæretici*, inquit, *cocum præſulis, pecunia corrumpunt: quindecim aureis, non amplius, mors tanti, & tam egregii præſulis, emta eſt. Id venenum, Praga ſecum cocus auexit, &* POSONII *domino, antequam ad* SIGISMVNDI *præſentiam, admitti poſſet,* (*vt diſerte tradit Stephanus Palecz, vir catholicus, in epiſtola ſua, apud Cochlæum*) *porrexit; XXVIII. Septembris, ipſo Wenceslai die* Poſonii *extinctus eſt.* Et poſt laudes viri. *Cocus, in ſuſpicionem vocatus, tormentis examinatus, confeſſus eſt cædem, & Bodæ; quatuor Praga milliaribus, tetrifico ſupplicio, diſcerptus eſt.* Itaque, venenum neci procurandæ, deſuturum apud *Piſonienſes*, Bohemi rebantur, quod, vt in promtu eſſet, domo, ſecum deferendum, curauerunt; ſcilicet, vt a ſceleris ſocietate, noſtros penitus excluderent.

gatis paſſim auxiliis, Bohemos in ordinem redacturus. At, quam infelici ſucceſſu, non eſt huius loci recenſere. *Ziskæ*, tandem qui facturus officium videbatur, peſtilentia, anno MCCCCXXIV. necato, *Procopius*, in bello adminiſtrando, ſucceſſit, a cuius maleficiis, ne vrbs quidem noſtra, immunis eſſe potuit. Frequentes horſum irruptiones, *Ziscæ* manipuli faciebant: neſcio vero, an vnquam, damno maiore, quam anno MCCCCXXVII. eodem iſto *Procopio* duce, huc ſe infuderint. Diu, per *Morauiam* graſſati, tandem amne transmiſſo, Hungariæ hanc oram, inuadunt, & qua ferro, qua igne, barbarica feritate, ſæuiunt. *Tranſito, Moraua,* inquit BALBINVS, *(q.) ceterisque, quæ obſtare poterant, ſumma celeritate, ſuperatis,* Poſonium *vsque, penetrant, & cum vrbem, & arcem, non poſſent, ſuburbium incendunt, vaſtant, & occidunt omnia, tam celeri & fulmineo gradu volantes, vt coloni ſimul, mortem vulneribus reciperent, ſimul hæreticos hoſtes agnoſcerent. Omnis illa feraciſſima Hungariæ & Morauiæ plaga, ad ſiniſtram Danubii ripam, quæ inter* Poſonium, Dicuinam, *& inde vsque* Cremſirium *Morauorum, late porrigitur, ſanguine, & incendiis fœdata eſt, cladisque tantæ memoriam, diutiſſime conſeruauit.* Fractus tot calamitatibus, SIGISMVNDVS, mitius, cum *Bohemis* agere ſtatuit; ſi forte refractarium genus, ad officium poſſet reuocare. Itaque, *Piſonium*, Bohemos in comitium, euocat. Pretium fuerit operæ, audire BONFINIVM: *(r.) Quum hæc ita geruntur,* SIGISMVNDVS *Imperator, qui abrogatum ſibi Bohemiæ regnum, quod paternum auitumque fuerat, iniquiſſimo animo ferebat, indicto conuentu,* Piſonium, *quod in Vngariæ Auſtriæque finibus fere ſitum eſt, Bohemiæ principes acciuit. Cum illi conueniſſent, ante vrbem tetendere, ne intro ingrederentur.* SIGISMVNDVS, *ad eos egreſſus, habita concione, multa de iure ſuo locutus eſt, iniquo ſe bello impetitum eſſe dixit. Si quæ cauſſæ forent, quæ populorum animos, a regia fide, abalienarent, ſe abrogaturum, & benignum tranquillumque regem omnibus futurum, pollicetur.* Aliter rem, BOHVSLAVS BALBINVS, *(s.)* cuius nobis potior eſt fides, retulit. Sententiam eius, vt integra ſit comitioli hiſtoria, fas eſt exhibuiſſe. Anno ſcilicet MCCCCXXIX. menſe Septembri, SIGISMVNDVS Cæſar, legatos ad *Pragenſes, Táboritas*, & *Orphanos*, miſit. *Cuttnæ* hos Bohemi audiuere, ius Cæſaris, ad regnum paternum, memorantes, laudantes item, eius in Bohemos voluntatem. Atque *Pragenſes* quidem, & *Orphani*, ex templo reſponderunt: SIGISMVNDVM, *tot cædibus Bohemorum perpetratis;* IOHANNE Hvs, *contra datam fidem, in contemtum vniuerſæ nationis, publice cremato; tot exercitibus, cruce ſignatorum, in Bohemiam immiſſis; omne ius, quod habere poterat, amiſiſſe, cum omnes promiſcue Bohemos, e medio tollendos, cogitarit.* Legati, reſponſo accepto, reditum ad SIGISMVNDVM parabant, cum *Procopius Maior*, qui *Ziscæ* ſucceſſerat, iamque ad *Bechinam* hærebat, ſpe pacis porrecta, *Taborium*

eorum, in vrbem noſtram, maleficia:

plenior, eius rei, ex Balbino, *hiſtoria.*

q.) Miſcell. Hiſt. Regni Bohem. Dec. I. Lib. IV. *Hagiograph.* P. I. §. CXV. p. 168.

r.) Decade III. Lib. III. p. 394, 28.

s.) Lib. IV. Cap. XI. p. 473. ſeq.

rium eos euocat. Mox, accepta fide publica, cum paucis equitibus, ad SIGISMVNDVM, ipſe *Procopius*, in Auſtriam, (immo in Hungariam, *Piſonium* vsque, vbi tunc agebat SIGISMVNDVS,) profectus, coram, cum *Cæſare* egit. Et recepiſſet procul dubio regnum SIGISMVNDVS; ſi eadem liberalitate, *(t.)* qua *Ziscam* volebat, *Procopium* accepiſſet. Cum ergo, nihil eorum, quæ *Ziscæ* olim, ad obſequium redire paranti promiſerat, *Procopio* offeretur, parcumque admodum Cæſarem, offenſo animo cerneret, abrupto comitio, & qualicunque pacis ſpe oſtentata, ad ſuos redit, duritiem SIGISMVNDI, multis poſtea cladibus, vlturus. Hæc tunc ad *Piſonium* geſta fuerunt.

§. XXXI.

SS. e Bohemia reliquiæ, Piſonii *aliquantiſper ſubſtitiſſe creduntur*:

NOn ab re hic fuerit arbitrari, cum SIGISMVNDVS, Eccleſiarum Bohemicarum theſauros, in bellum *Huſſiticum*, toties infeliciter motum, expendiſſet, ſeruatas, ea tempeſtate, *SS. Reliquias*, *Piſonii*, hoſpitium aliquantiſper habuiſſe. Id vt credamus potius, quam ſuſpicemur, *Chronicon Elwagenſe*, *(u.)* facile nobis perſuadet. *Rex*, inquit illud, *Hungariæ & Bohemiæ*, (A. MCCCCXXIV. SIGISMVNDVS) *ſacras reliquias*, *quas ex Bohemia*, *in Hungariam tranſtulerat*, *ad Noribergam transmiſit*, *quæ ibidem plebi*, *in Nonis Mai ſunt oſtenſæ*, *cum magna ſolennitate.* Neque enim illatas huc *Reliquias*, *(v.)* commodiore loco poterat tantiſper adſeruare, dum loco reponerentur tutiore, quam *Piſonii*, ex Bohemia venientibus, in aditu poſito. Quid quid eius ſit, nihil prius, nihil antiquius, SIGISMVNDO, fuit quam vt, tot cladibus, ab *Huſſitis* adtritus, ac prope modum peſſundatus, *Hungariam*, ab incurſibus hoſtium, tum in primis, PISONIVM ſuum, tutum redderet atque intemeratum. *Quo* circa, ſua id cura, atque *impenſis*, *muniendum ſtatuit.* Exſtat, *eius Lex Caſtrenſis*, qua totum *illud*, quantum cunque fuerat, onus, in ſe, excelſo animo, tranſtulit. Inibimus credo, lectoris gratiam, ſi diploma, quantum eius ad PISONIVM pertinet, hic recenſuerimus; maxime, quod in noſtra hac vrbe, perſcriptum, idque, *Huſſitarum* in primis cauſſa, qui tunc male adfligebant Hungariam, promulgatum eſt. Ita vero habent, quæ pertinent ad vrbem noſtram: *Notum facimus tenore præſentium*, *ſignificantes*, *quibus incumbit*, *vniuerſis: Quod Nos*, *cuius Regiæ Celſitudinis prouidentia ſubditorum ſuorum & terrarum ac regnorum ſuæ dominationis tuitioni*, *& illæſæ conſeruationi*, *nedum introrſus*, *verum potius ab extraneis inuaſoribus*, *officio ſuæ dignitatis exigente*, *ſe obligatam profiteatur*, *volentes fines Regni noſtri prædicti*, *a partibus Bohemiæ & Morauiæ*, *a quibus propter ingruentiam præſentis temporis*, *ab aliquibus elapſis annis*, *huc vsque frequentioresque*, *ipſum Regnum*,

Sigismundi, *in* Piſonio *muniendo*, *ſollicitudo*:

t.) Idem Lib. IV. Cap. VIII. p. 453.

u.) Apud BALBINVM, notis, ad Lib. IV. ſeqq. p. 461.

v.) Quanta, has ipſas *SS. Reliquias*, ſollicitudine laboreque collegerit, Archiepiſcopus Pragenſis ARNESTVS, lege ibidem, Lib. III. Cap. XXI. p. 363.

gnum, *pertulit hoſtilitates*, *vi noſtra regia reddere ſecuriores*, *onus infra ſcriptum*, *ſponte imo ex debito regali*, *in noſtras regias curas*, *& expeditiones*, *duximus aſſumendum*; *videlicet*, *vt ciuitates & Caſtra ſubſcripta*, CIVITATEM ET CASTRVM POSONIENSE; *Ciuitates: Tyrnauienſem*, *& Szakolcza*, *Caſtrum Trentſenienſe*, *& alia caſtra*, *ac munitiones & fortalitia*, *in confinio Morauiæ*, *& iuxta fluuium Vágh*, *ſituatas*, *quemadmodum tam in ipſo ex parte Bohemiæ*, *quam in aliis omnibus confiniis & metis regni noſtri*, *ex quacunque parte*, *apud noſtras regias manus habita*, *& in futurum quouis euentu & caſu*, *eisdem noſtris manibus*, *applicari contingentia*, *noſtris ſumptibus regalibus*, *contra Guerram Bohemorum*, *& alias*, *vndecunque emergentes*, *muniemus & tutabimur*, *ſufficientibus Gentibus*, *armis*, *& victualibus*, *aliisque neceſſariis*, *tam pro conſeruatione & defenſione caſtrorum*, *ac munitionum in ſe*, *quam ad tenendos campos*, *& defenſanda circum iacentia campeſtria*, *contra quosuis inſultus hoſtiles occurrentes: Si autem tanta potentia inimicorum irrepſerit*, *quæ maior foret viribus Gentium noſtrarum imperialium*, *nec ab inuaſione finium regni arceri & prohiberi*, *per easdem gentes noſtras imperiales poſſe veriſimiliter videretur*; *ex tunc Prælati Deputati*, *pro defenſione illarum partium*, *cum*, *ſuis Banderiis*, *& viribus*, *iuxta diſpoſitionem de ipſis factam*, *& obſeruari conſuetam*, *nec non Comites ſingulorum Comitatuum*, *pro earundem partium*, *vel aliarum*, *Guerras habere contingentium*, *defenſione*, *modo ſimili deputatorum*, *ſub Banderio Regali*, *cum Baronibus Proceribus*, *& Nobilibus dictorum Comitatuum*, *& earum Gentibus*, *per modum generalis expeditionis exercitualis*, *viribus coniunctis*, *& adunatis*, *ſuccurrere debebunt*, *ad repellendum inſultus hoſtiles ſupra dictos*. reliqua. *Datum* Poſonii (*) *in feſto beati Gregorii Papæ. Anno Domini MCCCCXXXV. Regnorum anno Hungarici*, *&c. XLVIII. Romanorum XXV. Bohemiæ XV. Imperii vero ſecundo.*

§. XXXII.

Noua, benignitatis Sigismundi, *documenta*:

HAEC, publice gerebantur. Priuatim nihilo minus, vrbi conſultum ibat Cæſar, idemque Rex Hungariæ. Anno certe, MCCCCXXX. *Vigilia Natiuitatis Iohannis Baptiſtæ*, ciues *Piſonienſes*, *Comites Cuſionis omnis generis monetæ Regiæ*, *(x.)* inuſitata adhuc liberalitate, conſtituit, atque prouentus, qui inde redibant, ita partitus eſt, vt partem alteram, ſuo fiſco; alteram, vrbi adſcriberet. ea tamen lege, vt reditus omnes, in commune conferrent, rederentque ſingulis *quatuor anni temporibus*, rationes, his, quibus eas ſubducere mandatum fuerit. Quo circa, argenti, ad vendendum,

ius cudendæ monetæ, vrbi adtribuit:

*) POSONIVM certe, huius anni decreto, quod exſtat in *Decret.* Reg. Hung. p. 89. *Reſidentiam* ſuam, CAESAR, adpellat.

x.) Retinet hodieque, domus, in qua monetaria fuit officina, nomen, dicitur-que, *Das alte Müntz-Haus*, in eo vico, quem *Ventur-Gaſſe*, vocant. Numi hic ſignati, duabus litteris, L. P. bipartito, pone regni inſignia, expreſſis, a reliquarum officinarum moneta, diſcriminantur, *Ligata Poſonienſem*, ſignificantibus.

in vrbem adlati, ciues, iusto redimendi pretio, facultatem haberent: id si nollent venditores, argentum, in fiscum redigeretur. Præluſit huic tam eximiæ prærogatiuæ, CAROLVS I. rei monetariæ, si quis alius, longe studioſiſſimus; dum edito, anno MCCCXXIII. secundo Calendas Aprilis *(y.)* diplomate, libertatem indulsit ciuibus, monetam, qua vellent, vtendi. *Licet*, inquit, *in præscriptis eorum libertatibus, expresse contineatur, vt monetarios nostros, simul & monetam nostram, quoties in regno nostro fuisset renouata, in medio ipsorum acceptare debuissent; tamen nos, de largiflua pietate nostra, concessimus eisdem, vt monetam nostram, in medium ipsorum suscipere & acceptare, contra ipsorum voluntatem, non teneantur; sed quolibet denariorum genere, quocunque voluerint, liberam habeant perfruendi facultatem.* Atque ita omnino decuit, vrbem donauisse limitaneam, & perpetuis vicinorum commerciis innexam. Huc & illud retulerimus, quod ANDREAS III. tametsi monetæ libertatem haud indulsit ciuibus; tamen eius imperandæ modum, leuem esse voluit, & cum magistratuum dignitate quadam coniunctum. *Monetarios nostros* inquit (*z.*) *præcedat homo Iudicis, de ipsa ciuitate, qui eam faciet celebriter acceptari:* EXCLVSA POTESTATE (*a.*) COMITIS PAROCHIALIS, DE IPSA NOSTRA CIVITATE. Multum profecto, ad vrbicorum magistratuum dignitatem! Ad SIGISMVNDI porro benignitatem, & *insignia* referimus, quibus anno MCCCCXXXVI. Idibus Iulii, vrbem donauit. Campus, quem vocant, ruber est, in fronte diplomatis, penicillo adumbratus. Portam is, ferratis clathris instructam, ostentat, cuius fastigium, tres albæ turres, solido eductæ opere, *communiunt: forte, vt* significaretur, vrbis a se munitæ, ciues, ea, in defensandis mœnibus, oportere esse fortitudine, quæ, ne sanguini quidem, si res tulerit, parsum velit. Insignium hanc prærogatiuam, ratam postea MATTHIAS habuit, nouoque diplomate, quod *Budæ*, anno MCCCCLIX. die *Purificationi* MARIAE sacro, in eam sententiam edidit: *vt collatis sibi a* Sigismundo, *insignibus, atque sigillo, cera expresso rubra, more ciuitatis Budensis, omnia priuilegia, omnesque litteras iuridicas, testimoniales, caussales, sententionales, missiles epistolas, & alias quascunque, sigillare, & consignare, impendenti, vel appresso valeat.* (*b.*) Huic munificentiæ, id quoque adiecit SIGISMVNDVS; vt non modo, pendendorum tributorum onere, vrbem nostram exemerit; sed priuilegium quoque, LVDOVICI, quo merces, isthuc inferendæ, non item euehendæ, a censu immunes pronunciabantur, ratum habuerit, nouaque locupletarit accessione. quod post eum, ALBERTVS quoque, LADISLAVS, IOHANNES, & MATTHIAS, Coruini, haud grauate præstiterunt, singula. Quæ cum longum foret adscribere, carptim nonnulla depromemus. Tria, in manu nostra, diplomata sunt,

insignia confert:

quæ Matthias *adprobat:*

a tributis immunes facit, Pisonienses:

y.) Per Manus *discreti viri*, Ladislai Albensis *Ecclesiæ Præpositi*, Aulæ Vice-Cancellarii.

z.) In diplomate, anni MCCXCI.

a.) *Comes Parochialis*, Supremus Comes, hodie dicitur.

b.) Vtrumque diploma, in tabulario vrbis exstare, a Magistratibus, liberaliter condocti sumus.

sunt, perscripta a LVDOVICO I. quæ WLADISLAVS II. in *Aurea Bulla*, recognouit, huc facientia, vti *Pisonienses*, quaquauorsum profecti per Hungariam, a tributis haberentur immunes. Vnum heic intertexuisse, suffecerit, *Budæ*, anno MCCCLXXVIII. feria proxima quarta, post Pentecosten, editum. *Dilectorum fidelium ciuium & hospitum nostrorum de Posonio, nostræ Maiestati, per eosdem specietenus productorum per pios nostros prædecessores, eis concessorum, & per nos confirmatorum, & innouatorum, eosdem, inter alias eorum libertates, hac libertatis prærogatiua speciali potiri & gaudere, fide conspeximus oculata, vt cum iidem ciues & hospites nostri, cum suis mercibus vel curribus, vbicunque in regno nostro caussa mercandi voluerint proficisci, nec de mercibus, nec de equis, vel de personis eorum, cum mercibus, vel sine mercibus euntibus, vel redeuntibus, nullum tributum, nullamque tributariam exactionem, videlicet, in portu Posonienſi* (*c.*) *versus Hainburgum, in portu Challon in Zeuleus, in transitu fluuii Marua, & aliis locis quibuscunque, in Comitatu Posonienſi, & alias vbique, vbi tributum exigi consueuit, soluere teneantur.* Prorsus hæc rata habuit SIGISMVNDVS, anno MCCCCIII. Budæ, die *B. Luciæ* festo, verbis fere totidem perscripto diplomate, vbi hæc legas: *Iuxta dictæ libertatis eorum modum, nullum tributum, nullamque tributariam exactionem, in prædictis locis tributorum, videlicet:* Owár, Ettewin (*d.*) Abodaloyda, Jaurino, Nosmyl, Csalyan, Dorog, Posnán, Mor, Banhyda, Thata, Gantha, Miskóltz, *& in* Alba Regali, *ac alias vbique, vbi tributum exigi consueuit, petere & exigere præsumatis.* Præter insignem hanc pendendorum tributorum, a pluribus regibus adfirmatam immunitatem, liberos quoque esse voluerunt a *Triceſimarum* onere, *Ludouicus I. Sigismundus, Albertus, Ladislaus* posthumus, & *Coruinus* vterque. quorum indulgentia, quod iisdem verbis in tabulas relata est, vnius MATTHIAE litteras adscripsisse suffeccerit, eo, quod habent inusitati quidpiam. *Ex quo fideles nostri, circumspecti, Iudex, iurati, ceterique ciues, & communitas, ciuitatis nostræ Posonienſis, quibus alias, quondam Sereniſſimus Princeps*, LADISLAVS *Rex Hungariæ*, &c. *prædecessor noster Chariſſimus, pro condignis meritis eorundem, Iudicis nec non iuratorum ciuium & communitatis, omnem solutionem Triceſimarum, de rebus & mercibus ipsorum, vel alterius eorundem propriis duntaxat, vbicunque per dictum regnum nostrum Hungariæ fieri debentem, vigore litterarum suarum coram nostra Maiestate, per eosdem Iudicem & Ciues, in specie productarum, perpetuo relaxauerat; secundo, quod eorum parte nobis narratur, huius modi rerum suarum eis relaxatam Triceſimam, in toto, vel in parte, pro ædificatione ciuitatis, seu aliis necessitatibus communitatis eorum, prout eis libebit, per suos homines proprios exigere & recolligere, constituerunt, & decreuerunt. Volentes igitur, eorum huiusmodi propositioni, liberam viam dare, fidelita-*

Regum, in eam rem, diplomata:

eximuntur a Triceſimis:

c.) In alio diplomate, quod Zolii, anno MCCCLXXIV. edidit, ista fit locorum mentio: *Rayka, Bodogh, Király Szigeth, in Comárom, in Nesmyl, in Strigonio, in Zwb, in Wiſſegrád, in veteri Buda, & Budæ.*

d.) Hodie *Abda* vocatur.

ti veſtræ, harum ſerie firmiter mandamus, quatenus viſis præſentibus, ſemper homines, & triceſimatores ipſorum ciuium, & communitatis prædictæ ciuitatis noſtræ, per ipſos, pro exigenda huiusmodi triceſima, rerum conciuium ſuorum, duntaxat deputandos, in quibuslibet locis Triceſimarum pacifice ſtare & morari, permittere debeatis, vt huiusmodi Triceſimam, a mercatoribus ipſius ciuitatis duntaxat, ſecundum commiſſionem communitatis eorundem, ſemper quiete & ſine damno, exigere & recolligere poſſint, pro cauſſis prænotatis. Ergo, non modo liberos a vectigalis hoc genere, pronunciauit MATTHIAS; ſed ſuos etiam ipſorum *triceſimatores* fecit Piſonienſes. Nempe, adſueuerant noſtri, reditibus, qui ex triceſima Piſonienſi fiebant, accipiendis: quippe quam, ab ELISABETHA, Ladislai matre, diu iſthic diuerſante, pignori habuerunt oppoſitam. Didicimus id ex ipſius poſthumi diplomate, quo eandem illam, a pendendis triceſimis, libertatem, anno MCCCCLIV. *Pragæ*, in octauo feſti Paſchatos, perſcripſerat, quodque adlegauit Matthias. Verba, quæ huc faciunt ſic habent: *Caſſatis tamen & inualidatis prius, præfato pignore Triceſimarum Poſonienſium, per antefatam Dominam genitricem noſtram, vigore prædictarum litterarum ſuarum, modo, quo ſupra, pro antelatis ſeptem millibus trecentis & triginta tribus florenis, auri, ipſis ciuibus facto, & dictis litteris ſuperinde emanatis, ac ſcripto proprio manus noſtræ, vt præfertur, confirmatis.* Tanti tunc erat ciuibus, ſuos reditus, auxiſſe.

magna ciuitatis prærogatiua.

§. XXXIII.

Nundinarum iura, a quibus regibus ſint indulta?

COnnexa, cum *Triceſimis*, nundinarum eſt ratio. His ergo, ne infrequens vrbs eſſet, ſingulari, priſcorum regum munificentia, prouiſum, in diplomatibus reperio. *LVDOVICVS* I. præcipue elaborandum putauit, *vti celebre* mercatibus efficeret *Piſonium.* Proinde, datis, anno MCCCXLIII. & qui hunc excepit, XLIV. ſalui conductus litteris, inuitabat exteros ad nundinas, ſecuritate, & qua non libertate alia, propoſita his, qui beneficio *vti*, & cum *Piſonium* accedere, tum altius in Hungariam prouehi, mercatus cauſſa, voluerint. Credo, ſub idem tempus, nundinas, die *Aſcenſionis* CHRISTI, cœptas concelebrari. Anni interceſſere viginti, cum nouos iterum mercatus, ad diem *B. Laurentii Martyris*, hoc eſt, anno MCCCLXIV. inſtituit. Quam eius in vrbem propenſionem, æmulatura, ELISABETHA vidua, MARIAE, ſponſæ *Sigismundi*, mater, anno MCCCLXXXV. nundinas ei, quæ *Dominica Lætare* habentur, indulſit. Ex pertubata eius anni indole, ob *Caroli Parui*, in Hungariam aduentum, colligas, demereri, eo beneficio voluiſſe *Eliſabetham*, noſtros, vti *Sigismundo* conſtanter fauerent. Firmat coniecturam, noua *Sigismundi*, benignitas, qua is, ſocrus hanc munificentiam, ſuo diplomate, quadriennio poſt, id eſt, anno MCCCLXXXIX. prorſus adfirmauit. Adhuc fora boaria, deerant *Piſonienſibus*. Proinde,

de, & horum facultatem, ad eum modum, ciuibus, anno MCCCXCI. adtribuit *Sigismundus*; vt, tametſi rei pecuariæ, atque equorum in primis, e regno, ad exteros propulſionem, ſeuere interdixerit; *Piſonienſes* tamen, permiſerit, nundinas pecuarias, *Dominica Lætare*, & die *S. Laurentii* concelebrare: eam maxime ob cauſſam, vt damna, ex temporum iniuriis accepta, quodammodo, repararent. Anne vero potuerint inualeſcere, non habeo dicere. Hodie, nihil eius celebritatis ſupereſt; etſi annis ſuperioribus, inſtauratum voluerint vrbici magiſtratus. Cauſſam rei ſciſcitantibus, non vnam reddiderunt, mercatuum huiusmodi gnari. Aiunt nempe, difficiles habere aditus *Piſonium*, multoque anguſtiores, quam vt pecus adpelli queat, ſine damno vicinorum. Arctius præterea rus paſcuum eſſe, apud *Piſonienſes*, quam quod diem alterutrum, numeroſiora armenta, poſſet alere. Quid? quod circumſitarum vrbium, atque oppidorum, fora boaria, qualia *Tyrnauiæ*, *Szemptzii*, *Szeredini*, & trans amnem, *Ovarini*, aguntur magna frequentia, facile præpediunt, ne inualeſcant, quæ *Piſonii* oporteret celebrari. Addo, traiectus, cum difficultatem, tum nimietatem nauli, quod pendi neceſſum eſſet, a commeantibus vltro citroque, inſtitoribus boariis. SIGISMVNDVS interim, ne tunc quidem *Piſonienſium* dememinit, cum *Conſtantienſi* in concilio verſatur. Enimvero, illinc emanauerunt, anno MCCCCXVIII. litteræ eius, quibus hebdomadarii fori iura, in tertiam feriam, *Piſonienſibus* conceſſit. Hactenus, deſultorias dixiſſes *Piſonienſium* nundinas: quippe quæ, vnius alteriusue diei ſpatio, abſoluebantur. Ergo, vti laxius paterent in poſterum, operam dedit SIGISMVNDVS: *diebus nimirum quatuordecim*, qui anteeunt, quique ſequuntur ea ſolemnia, peculiari diplomate anno *MCCCCXXX.* additis. Id quod poſtea, LADISLAVS poſthumus, anno *MCCCCLIV. ratum habuit*, adfirmatis ſimul hebdomadariis nundinis, foro item annuo. *quæ vtraque eodem illo anno, Nouæ ciuitati (e.)* cis Danubium, *Sigismundus* impertiuerat. Inde, MATTHIAS CORVINVS, anno MCCCCLXXII. nundinas ad S. MICHAELIS *Archangeli*, ſuccedentium, quatuordecim dierum, interuallo addito. His mercatuum ſolemnibus, res *Piſonienſium*, vsque ad annum MDCXLVII. conſtabat. Tunc vero FERDINANDVS III. tres alias adiecit: *S. Luciæ Virginis*; *SS. Fabiani*, & *Sebaſtiani*; item *Viſitationis B. V.* MARIAE, diebus, priſcis illis, quæ vidimus, iuribus obeundas. Igitur, inualuit mercatibus *Piſonium*, quos emporii iura, egregie adiuuabant. Alioquin, quantum interfuerit *Auſtriæ*, Piſonienſium commercia, ſibi reddere familiaria, inde condiſcas; quod, cum *Lucas Baſin*, boario quæſtu, quem ex pacto, in Auſtriam aliquantiſper exercuerat, decederet; RVDOLPHVS II. nihil dubitarit, *Piſonienſes*, datis, anno MDXCVII. litteris, id vt facerent in poſterum, benigne inuitare. quod, tametſi ad *laniones* adtinuit vnice, eius mercatus hodieque ſtudioſiſſimos; habet

e.) Ita ſuburbium adpellatur, quod vulgus, *Vor dem Fiſcher-Thürl*, partim, partim *Neu-Stift*, dicit. Reuera enim, noua eſt colonia, tunc forte posti cœpta.

bet tamen, vrbis totius, non exiguam ad posteros, commendationem, eo insigniorem, quo maior inde, ad *Austriacos* promanabat vtilitas.

§. XXXIV.

Sigismundi *mors:*

ILlud nos fere præteriit, quod tricennio ante, commemorandum fuisset, nisi hic quoque locum narrationi, mors SIGISMVNDI faceret. Excessit is, *Znoymæ*, Morauiæ oppido, anno, supra *millesimum quadringentesimum, trigesimo septimo*, die *octauo*, vel vti volunt alii, *nono Nouembris*. Iactatus, domi forisque, felicibus hic, funestis illic, bellorum, quæ susciepiebat, euentibus; cum spe masculi hæredis excidisset, principibus *Austriacis*, Hungariam nostram, iure adscribendam hæreditario, haud incogitate, existimauit. Bis id factum lego. Primum, ALBERTO IV. Austriæ duci, quod iam tum anno, seculi noui secundo, euenit. Ita, silentibus Hungaricarum rerum scriptoribus, GERHARDVS de ROO *(f.)*: SIGISMVNDVS, Wenceslai *ignaui, frater, Hungariæ Rex* ALBERTO AVSTRIACO, *ob collata, in se, beneficia, successionem in regnum suum, eique coniunctas ditiones, decernit, si absque hærede masculo, ipse moriatur. Quodsi filiam, vel vnam, vel plures, susceptas reliquisset, iis* Albertus, *conditiones genere dignas, quæreret, centenaque aureum nummuum Hungaricorum millia, singulis, in dotem, numeraret. Huius rei sunt testes litteræ, Vicariatus imperii sigillo, munitæ. quibus irritas facit alteras, quas olim* IODOCO *(g.)*, *patrueli, super eadem re, concesserat. Hanc primam, de regno eo, ad Austriacos, deriuando mentionem, inspectis litteris, præterire nolui.* Magna oppido, ALBERTI, de *Sigismundo*, merita esse oportuit, quæ opimi regni hæreditatem meruerint. Atque, optaremus sane litteras, quibus id perscriptum est, heic recensere. Istud certum est, *in dandis* pignori vrbibus, impertiendis item, *hæreditatibus*, facilem fuisse SIGISMVNDVM. Sed eas tabulas, violenta ALBERTI mors, irritas fecit: quippe qui, *Znoymam* obsidens, a *Procopio* insessam, hausto ab insidiatoribus veneno, quod SIGISMVNDVS quoque biberat, *Neoburgi, vita functus* est. Hanc fatorum iniuriam, egregie SIGISMVNDVS reparauit.

Hungariam, iure hæreditario, Austriæ ducibus, adscribit:

Alberto IV. *primum:*

Albertо V. *alterum:*

Anno enim MCCCCXXI. ALBERTO V. quarti, quem nunc memoramus, filio, noua pactione eandem hæreditatem adtribuit. Iterum ROO: *(h.) Circa hæc tempora*, SIGISMVNDVS, *editis publice tabulis, quibus parentis sui*, Caroli IV. *singulare, in Austriacos studium, & præclara* Alberti, *in se merita, recensens*, Elisabethæ, *hæredi filiæ, eius coniugi, de Hungariæ, Bohemiæque, & Morauiæ, possessione, cauit, quas vnica hæres esset accessura, si absque masculæ prole ipse decederet. Quod si alteram adhuc filiam nasci contingeret, tum* Elisabetha, *vtrum vellet, e duobus regnis, vna cum Morauia, eligens, alterum sorori relinqueret. Datæ,*

f.) Lib. IV. p. 137. fine.

g.) De IODOCO, Marchione Morauiæ, qui cum PROCOPIO fratre, *Pisonium*, in pignore habuit, supra diximus.

h.) Loco citato, p. 161. Aduertant huc oculos animosque, *Iuris Publici Hungariæ*, studiosi!

Datæ, POSONII, *die Dominico ante Michaelis*, anno MCCCCXXI. *sequenti anno, qui eius seculi*, secundus & vigesimus fuit, *Elisabetha*, Cæsaris SIGISMVNDI filia, *Viennam adducta est, & nuptiæ, (*) solemni ritu, celebratæ sunt.* Quantum hinc PISONIO celebritatis accesserit, nemo, nisi inuidus, negauerit. Adscribenda certe fuit, hæc voluntatis regiæ testificatio, ad refellendam eorum opinionem, qui, nihil *Austriæ* iuris fuisse in *Hungariam*, ante FERDINANDEAS, cum ANNA, nuptias, arbitrantur.

diploma Pisonii *signatum.*

§. XXXV.

Breue Alberti *regnum, in vrbem benignum exstitit:*

REgnum, postea, ALBERTI Austriaci iniit, felix omnino futurum, si diuturnius. Enim vero, anno MCCCCXXXIX. qui ei fuit emortualis, cum traiectus *Pisonienses* procurationem, oneri sibi esse, ciues quererentur, eo, quod pauci, libertatis obtentu, soluerent portorium, ad eum modum vrbis rationibus consuluit, vt pontis *(i.)* censum, soluendum omnibus, qui traiicerent Danubium, imperarit; sola *Curia*, seu comitatu regio, ac *Præposito Pisonienſi*, exceptis. Neque hoc, quantumuis fuerit beneficii, sequuti reges, vrbem fraudare voluerunt. Ratum id habuit, LADISLAVS posthumus; confirmauit MATTHIAS; singulorum tabulas, WLADISLAVS, recognouit, prorsusque adprobauit: vt mirari subeat, iura ciuium, tot regum perscripta diplomatibus, contemerari postea a quoquam potuisse. Alioquin, si vita, optimo Regi, fuisset superstes, nullus dubito, quin maiora, suæ, in vrbem nostram, beniuolentiæ documenta, edidisset: maxime, quod *videret, malignius, ciuibus Germanis*, cum *Hungara* gente, in vrbibus, conuenire; tristi, post inaugurationis solemnia, *Budensium (k.)* exemplo, edoctus. ALBERTO, ad *Neszmélyum*, tenuem, supra Strigonium, vicum, fato præmaturo, defuncto, diuerse studia *Pisoniensium* trahi occeperunt. *Ludouici* aui, parentis *Sigismundi*, *Alberti* mariti, diuinissima, de vrbe, merita, in viduam *Elisabetham*, pronas ciuium voluntates, effecerant; cum interim *Stephanus Rozgony*, arcem, pro WLADISLAO Polono, occuparet. Coronato, quem *Comaromii* enixa est, posthumo, cum & diadema, furtim sublatum, & infantem regem, inualescente WLADISLAI factione, femina, ad FRIDERICVM Imperatorem, in Austriam, seduceret, ciuitatis in se studia obfirmatura, iusto eam præsidio, communiuit. Neque dubitauit, subinde, loci adducta opportunitate, isthic *(l.)* hospitari: adeo quidem abstinenter; vt, ne vinum quidem,

eius mors in diuersa traxit Pisonienses:

vrbs, Elisabethæ, *arx*, Wladislao, *sit obnoxia:*

reginæ apud Pisonienses, modesta diuersatio:

*) ALBERTI scilicet, cum ELISABETHA, mortuo iam tum *Sigismundo.*

i.) Excussimus, hæc, nauli iura, infra, in *Vrbis Historia*, Cap. VI. Art. IV. §. X.

k.) Vide, tragœdiam, apud BONFINIVM Dec. III. Lib. IV. p. 410, 10. & in vrbis *Budensis* Historia, suo loco.

l.) Colebat, nimirum, ædes, quæ iam sunt hæredum *Spindlerianorum*, in eo vico, laxe positas, cui *Ventur-Gasse*, nomen. Certe, vt essent, habitatu commodiores, detractas, vicinis domibus, areas, in viridarium conuertendas, curauerunt vrbis magistratus: quod hodieque supereſt. Plures postea reges,

dem, quo ad vſus familiares, indigebat, in vrbem inueheret, niſi Conſule, penes quem eſt, facultatem eam, his, qui ciuitatis iure haud potiuntur, impertiri, humaniter ſalutato. Sed, hæc reginæ in vrbem propenſio, atque ciuium viciſſim, in reginam fides, quantam poſtea, prouinciæ vniuerſæ, *Piſonioque*, cladem accelerauerit, ex BONFINIO *(m.)* addiſcas. *Giſcra*, qui res ELISABETHAE, ac poſthumi, late, per ſuperiorem Hungariam, tutabatur, *Polonos*, a *Caſſouiæ* obſidione, reiecerat. Eo audito, regina, *Piſonium*, ſimul nuncium acceperat, ex *Auſtria* adcurrit; vt WLADISLAO, factis eruptionibus, ægre faceret. Diſſidebat, cum vrbe, vti diximus, arx *Piſonienſis*: quippe quam, *Stephanus Rozgony*, præſidio regio tenebat. Hanc, vti ſuam faceret, ELISABETHA, obſidendam ſtatuit. Vix miles operas fuit exorſus, cum ſe non vna, perficiendæ obſidioni, difficultas ingeſſit. Proinde, lentius rem agere, militem contra, in *Tyrnauienſem* agrum excurrere iubet: partim, vt coacta præda, exercitum aleret, partim, vt fatigatos, perpetuis incurſionibus, *Tyrnauienſes*, a WLADISLAO, alienaret. Hæc, vbi regi, per celeres nuncios, innotuere, nil cunctatus, *Andream Taurinenſem*, cum ſelecto Hungarorum, ac Polonorum, equitatu, *Tyrnauiam*, mittit, vt vrbem, ab hoſtili incurſione, tueretur, Piſonianum agrum incurſaret, obſeſſamque arcem, milite, commeatibus, armis, & reliquo belli adparatu, inſtrueret. Is, pro eo, ac iuſſus erat, munere ſuo defungendum ratus, *Tyrnauiam* inſidet, reprimit *Piſonienſium* excurſiones, totamque regionem, ne eſſet, vnde commeatum raperent, gnauiter euaſtat, vt iam ELISABETHAE *milites*, *obſeſſi potius*, quam obſidentes, crederentur. Mox, callium, qui depreſſis, inter vineta, tramitibus, ad arcem ducunt, beneficio vſus, eandem rebus, quarum indiga viſa eſt, *com*plet; vrbem vero, quotidianis impreſſionibus, *ad eum modum* percellit, vt præſidiarii, *erumpere amplius non auderent*. Ergo, dum foris diuagari *non licuit*, vniuerſas vires, ad expugnandam arcem, conuertere, turres circum erigere, crebris tormentorum ictibus, mœnia quatere, & modo teſtudine, modo alio quouis machinarum genere, perfodere, cominus, adactis ſcalis vectibusque, pugnare, rigenteque hieme, eo vehementius inſtare. His rebus effectum breui fuit; vt niſi rex, cum validis copiis, arci opem laturus, tempeſtiue *Buda* adcurriſſet, præſidium, deditionem propediem facturum, crederetur. Regis aduentu, vsque adeo conſternatam ferunt reginam; vt relicto in vrbe, validiore, quam ante, præſidio, indignabunda, hinc ſe *Viennam* proripuerit: WLADISLAVS contra, nec tentata vrbe, cum arcem, milite, & belli vario adparatu, oppleuiſſet, *Budam*, & ipſe rediit. Aliter paullo HASELBACHIVS *(n.)* rem geſtam, commemorauit, ex quo, iſthæc iuuat interſeruiſſe: *Stante*, inquit, *obſidione*, &

regina, arcem irrito conatu, obſidet:

a Wladislao, *commeatu, & belli adparatibus, iuuatur:*

Piſonienſium, & reginæ obſidionales, in arcem molitiones:

Wladislai *aduentus interturbat:*

eadem ex Haſelbachio, hiſtoria:

reges, iſthic habitaſſe, inde coniicio, quod pauciores, ea ætate, domos, *Piſonium* habuit, quæ tantos hoſpites: commode potuiſſent accipere.

m.) Decade III. Lib. V. p. 436, 27.

n.) Apud PEZIVM, Tom. II. col. 855. 857. & alibi paſſim.

& multa comitante penuria in ciuitate, Dominus, qui humilium, & pro iuſtitia certantium, vota reſpicit, tanta vis algoris hiemalis venit, vt iumentis fere omnibus mortuis, & homines debiles facti ſunt, ad impugnandum inhabiles: multis quidem ex eis, ad ciuitatem raptis, & multis frigore abſumtis. Dum ſe WLADISLAVS *conſpiceret fruſtra niti, coactus eſt, multo cum damno & dedecore, hanc obſidionem ſoluere.* Itaque, non ſuppetias modo, obſeſſis tuliſſe; ſed etiam, obſidionem molitum fuiſſe WLADISLAVM, credamus oportet, haud ſine numine, ab ELISABETHA toleratam. Pace dein, inter *Reginam* & *Polonum*, *Iaurini* conciliata, atque promulgata *Budæ*, *Piſonium* regi traditum fuiſſe, auguramur. ELISABETHA certe, anno MCCCCXLIII. apud *Iaurienſes*, ventris profluuio, mortua; WLADISLAO autem, anno, qui ſequutus eſt MCCCCXLIV. a Turcis, cum exercitu, penitus deleto, vrbs, partes illico LADISLAI, ſumma fide amplexa eſt. Itaque, cum alias, tum anno MCCCCL. comitium heic, cum legatis FRIDERICI III. de reddendo ſibi LADISLAO, Hungari, celebrauere. Luculentus rei geſtæ auctor ſuppetit, THOMAS EBENDORFFER de HASELBACH *(o.)* ad annum MCCCCL. diem, *Simoni* & *Iudæ* feſtum: *Habita eſt*, inquit, *diæta, cum Hungaris* POSONII: *ibique, cum Hungari petiuiſſent, ſibi tradi regem* LADISLAVM *ad regnum, cum ipſius corona, reddi caſtra, quæ* FRIDERICVS III. *dux Auſtriæ, per ſuos occupauit; ab eodem pariter Ladislaum Palatinum vsque detentum, priſtinæ reſtitutum libertati: tertio obtento, de primis, grandis ſe ingeſſit diſputatio. Reſederunt tamen finaliter in hac ſententia: quod* LADISLAVM *Regem, Rex Romanorum, vel ad Viennam, ſub tutela conſtitueret, vt omnibus ſuis regnis & dominiis, liber aditus, pateret: in quo omnes reſederunt.* Obſeruet lector, *Piſonium caſtrum eius*, hoc eſt, LADISLAI dici, quod ſententiæ noſtræ velificat, deleto WLADISLAO *Polono*, regi adhuc impuberi, *Piſonium* fidem addixiſſe.

§. XXXVI.

LADISLAO, ex FRIDERICI tutela, partim vi armisque, partim ſancitis legibus, extorto, PISONIVM, primum tota Hungaria fuit, quod anno MCCCCLIII. nouum regem ſalutauit. Meminit eius ſolemnitatis, præter BONFINIVM, *(p.)* GERHARDVS *de* ROO: *(q.) Cum & Hungari*, inquit, *regis ſui præſentiam, non minus, quam Bohemi, efflagitarent, Cilienſis, in cuius manibus rex erat, conſultius fore putauit, prius illum in Hungariam, vbi & natus, & coronatus fuerat, deducere. Sub finem igitur Ianuarii,* POSONIVM *(r.) rex venit. Ea vrbs, in primo Hungariæ, ex Auſtria, ingreſſu, ad Danubium ſita, Presburgum vulgo nomen habet. Ibi Hungari, (nam eorum conuentum, Gubernator* Coruinus, *ante illic egerat,) Regi* LADISLAO *ſacramenta dixere, multi-*

Ladislaum *poſthumum, vrbs noſtra, hoſpitio accipit:*

o.) Ibidem, Tom. II. col. 683.

p.) Decade III. Lib. VII. p. 482, 25.

q.) Libro VI. p. m. 212. Adde ARENBE-CKIVM, apud PEZIVM, Tom. I. col. 1259.

r.) Haud vero, ſicuti SZENTIVANY, ad hunc annum ſcribit, *Budam.*

multique dies festi, lete acti sunt. Ne vero vlterius in regnum iretur, eaque res Bohemorum petitionibus moram adferret, Cilienſis, Hungaris reclamantibus, Viennam, cum rege, ad Liberalia reuertitur. Ita ſe res habet. *Coruinus* primum, vt de reddito Rege, ad patres referret; poſtea LADISLAVS, comitia *Piſonii* celebrauit, magna ſtatuum ordinumque conſenſione, iſthuc inuitatus. Vt ferendus non ſit, ARENBECKIVS, *(s.)* cum id, auctoritate Comitis Ciliæ, factum ſcribit. Vlricus Comes, cum LADISLAVM Hungaris præſentare vellet, *diem illis*, inquit, *apud* Piſonium *conſtituit. Conuenerunt frequentes Hungari, regis ætatis XIII. Dominicæ autem incarnationis*, anno *MCCCCLIII.* Præterquam enim, quod Viennenſi conuentui, *(t.)* Regi conſalutando, interfuerunt *Hungari*, (atque in his *Coruinus* præcipue,) Regem, vt ſuam adiret *Hungariam*, cum deditiſſima obſequii ſignificatione, inuitantes; ipſe profecto LADISLAVS, in exordio decreti, quod tunc *Piſonii* edidit, plane fatetur, ſe ab *Hungaris*, impenſius, ad capeſſendam regni adminiſtrationem, fuiſſe inuitatum. Regis verba ſic habent: *Nos* LADISLAVS, *DEI Gratia Rex Hungariæ &c. memoriæ commendamus, per præſentes: quod cum nobis, nouiſſime, de manu, poteſtate & educatione, D. Friderici Imperatoris Romanorum exeuntibus, Prælati, Barones & Nobiles regni noſtri Hungariæ, generali conuentione, primum nuper Viennæ ad Nos congregati, relictis omnibus diſſenſionibus, Nos verum, & naturalem eorum Regem & Dominum, deuota fidelitatis oblatione, concordi animo, honoraſſent, recognouiſſent, & ſuſcepiſſent, conſequenterque, poſſeſſionem huius regni, Nobis, grata oblatione reddentes, inuitaſſent Nos & conduxiſſent, in hanc ciuitatem noſtram* POSONIENSEM; *pro faciendis ordinationibus, tandem &c.* Non ergo obtruſus, a *Ciliæ Comite;* ſed magna omnium ordinum contentione, expetitus LADISLAVS, *Piſonium* acceſſit. Decreti, *(u.)* quod iis comitiis, breue & conciſum, editum fuit, præcipua capita huc redeunt: *Rex ordinibus, hi regi, fidem iurarent; peregrinis, nulla regni munera, crederentur; offenſarum, quæ interceſſerunt, mutua gratia omnibus fieret; antiquarentur* ELISABETHAE, & WLADISLAI *Poloni, donationes; ſolo æquarentur caſtella, nuper erecta; ſuum cuique, quod vi ablatum fuerat, redderetur; Gubernatoris poteſtas*, IOHANNI *Hunyady prorogaretur; tributa inſolita, non imperarentur.* Hæc, ſub primum LADISLAI, in Hungariam, aduentum, *Piſonii* geſta ſunt. Poſt Regis hinc abitum, in IOHANNIS CORVINI poteſtate, qui Hungariam, pro rege, moderabatur, arx, iuxta & vrbs *Piſonienſis*, permanſit. Ita BONFINIVS: *(v.) Erat, ea tempeſtate, in* CORVINI *manu, ſumma reipub. ac vniuerſæ Hungariæ poteſtas: item, regales arces, prædia, exercitusque omnis.* quæ res, inuidiam, ac propemodum, exitium, *Coruino*, inſtigante *Cilienſi* comite, accelerauerat. Itaque, inſidiis,

comitia iſthic habentem:

decreti tunc editi ſententia:

vrbs & arx, Coruini curæ traditur:

s.) Loco nunc citato. Tametſi enim in poteſtate ſua REGEM habuit *Cilienſis*; tamen, nusquam minus potuit, quam in *Hungaria*: quod funeſtus eius exitus, docuit.

t.) Videatur *Roo*, loco nunc laudato.

u.) Vide id, inter *Regum Hung. Decreta*, p. 285.

v.) Inibi, p. 484, 25.

ſidiis, ſemel, atque iterum, ab iniquiſſimo æmulo, petitus, vt fidem adoleſcenti regi, penitus adprobaret, *(x.)* munitiſſimas quasque arces, in quibus *Piſonienſem* fuiſſe arbitror, LADISLAO tradit, partibus inferioribus, indulgente id rege, ſibi adſeruatis, vt, reprimendis *Turcis*, porro eſſet idoneus. IOHANNE CORVINO, poſt Albam Græcam, ſtrenue defenſam, febri e viuis ſublato, reuiſit Hungariam LADISLAVS; ſed, an *Piſonium* adierit, non habeo dicere; præterquam, quod nauali vſum itinere, procliue fuerit, hoſpitii cauſſa, exſcenſionem hic feciſſe. Poſtea certe, nunquam *Piſonienſibus* viſus eſt: quippe quem, ſubita morbi vis, *Pragæ*, inter magnificentiſſimos nuptiarum adparatus, anno MCCCCLVII. IX. Cal. Decembris, *(y.)* ingenti tot regnorum luctu, oppreſſit.

redditur, ob conflatam ei inuidiam, Ladislao.

§. XXXVII.

SVcceſſit LADISLAO, protractus e Bohemico carcere, MATTHIAS, *Iohannis Coruini*, poſt indigniſſimam, fratris LADISLAI cædem, ſuperſtes filius. Non eſt huius loci, rei geſtæ ordinem enarrare: vrbis noſtræ, ſub optimo rege, felicitatem vt proſequamur, inſtituti ratio ſuadet. Adhuc *Straznicii*, in Morauia, iam iam ab *Hungaris*, intra ſuos limites accipiendus, nuptias *Podiebradii* filiæ, MATTHIAS paciſcebatur, cum vrbem noſtram, mutuo conſilio deligeret, vbi ſponſam, a patre eſſet recepturus. Exſtant, apud BALBINVM, *(z.)* ſcriptorem diligentiſſimum, tabulæ, quibus, & nuptiæ perſcriptæ, & deſignatum, ſponſæ tradendæ, *Piſonium* eſt. quæ ita habent: *Nos* MATTHIAS, *Dei Gratia, electus Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Notum facimus vniuerſis, præſentes litteras inſpecturis. Quod cum* Nos, *poſt illam captiuitatem, in qua per Sereniſſimum D. Ladislaum, quondam Regem Vngariæ, vsque ad vltimum diem vitæ ſuæ, tenti fuimus, demum ad manus, Magnifici Domini Georgii de Cunſtat & Podiebrad, Regni Bohemiæ Gubernatoris, deueniſſemus, ipſe D. Georgius, nobiſcum amice & fraternaliter egit;* Nos *in huiusmodi neceſſitate noſtra, & turbatione, cum omni beneuolentia tractauit, & ex huiusmodi captiuitate liberauit, & libertati reſtituit; imo etiam, quantum in eo exſtitit, fautor noſter fuit & adiutor, vt ad dignitatem regalem eligeremur;* Nos, *volentes, huiusmodi beneuolentiæ ſuæ, vicem reddere, & etiam, de tali beneficio grati eſſe, promiſeramus eo tempore, dum adhuc ad regalem dignitatem euecti non fuimus, cum eo amicitiam, & indiuiduam fraternitatem, & affinitatem, inire, contrahere, confirmare, &c. ac cum egregia virgine*, Catharina, *alio nomine, Cunigunda appellata, ſecundum ritum & legem S. Romanæ, & Chriſtianæ Eccleſiæ, Sponſalia & matrimo-*

Matthias rex:

in vrbem propenſus, accipiendæ eam ſponſæ deſtinat:

x.) Præter BONFINIVM, loco citato, p. 486, 1. Roo ibidem.

y.) Alii, annum LADISLAI emortualem, MCCCCLVIII. deſignant. Nos BALBINVM ſequimur, Lib. v. Cap. III. p. 510. vnde corrigenda eſt BONFINII noſtri chronologia.

z.) Eodem loco, Cap. IV. p. 513.

trimonium contrahere, ita nunc, &c. Datum in caſtro Straznicz, feria V. poſt feſtum S. Dorotheæ An. 1458. Impreſſere diplomati ſigilla, proceres Vngari decem, & ante omnes ELISABETHA, MATTHIAE Regis mater; quo, niſi *Catharinam in coniugem, adueniente recto nubendi tempore,* (id eſt, completis duodecim integris annis) accipiat, *centum aureorum millia, ſub fide ſua Chriſtiana, perſoluendi* MATTHIAS, reum ſe conſtituit. *Georgius*, item Gubernator, (Rex certe nondum fuit, vti eum, iam tum, BONFINIVS adpellat) aliis litteris, die locoque eodem, ſignatis, ſi intra anni ſpatium, ſponſam, *Poſonium*, in manus regis, haud ſit traditurus, mulctam, centum millium aureorum, ſibi ipſi irrogauit: promiſſa, decem Bohemiæ proceres, rata habuere. Sed *Piſonium* poſtea, cum regia ſponſa, in Hungariam adduceretur, ea celebritate excidit: quippe quam, *(a.) Trentſchinii* A. MCCCCLXI. Calendis Maii, acceptam, honeſtiſſimo comitatu, *Budam*, proceres deduxere, regia pompa, MATTHIAE in manus traditam.

eo tamen honore poſtea excidit.

§. XXXVIII.

Eiusdem, in vrbes, amor:

REgno, quod ſeptennio, ſine diademate, MATTHIAS adminiſtrabat, prorſus confirmato, ſicuti bella foris, domi pacem aluit, Rex ſagaciſſimus; ita, vrbium in primis, curam ſuſcipiendam exiſtimabat: quod intelligeret, multum intereſſe rei publicæ, ſi poſſit, vrbanis ſocietatibus, efflorescere. Sapientiſſimi conſilii, cum alibi, tum in *Piſonio* noſtro, egregia dedit documenta. Quidquid enim, vrbi, ab *antegreſſis regibus, indultum* cognouit, id omne, aut ratum habuit, aut nouis iuribus, cumulauit. Enim vero, priuilegia, quæ poſt cladem, ab OTTOCARO acceptam, ANDREAM tertium, redintegraſſe diximus, non intemerate modo haberi *voluit*; ſed etiam, bulla aurea, *cohoneſtanda duxit; emporii iura*, & nundinas, confirmauit; traiectum amnis, adſeruit; atque, vt ſigillum vrbis, inſignia, a SIGISMVNDO, collata, referens, cera rubra exprimatur, peculiaribus tabulis, munificentiſſime indulſit.

Piſonium in primis:

beneficiorum eius ſyllabus.

§. XXXIX.

Hoſpitio Piſonienſi, delectatur Matthias:

VRbis hoſpitio, quantopere ſit delectatus MATTHIAS, inde poteſt exiſtimari; quod nihil dubitarit, frequentius, ſeueriſſimas curas, otiabundo ſimilis, *iſthic* concoquere. Documento ſunt innumera diplomata, quæ *Piſonii*, ab eo ſunt edita, & quæ nos ipſi legimus. Coorto demum bello Bohemico, abeuntem, redeuntemque ſæpius MATTHIAM, *Piſonium* accepit. Frequentes ei, cum proceribus, inſtitutæ iſthic, de eodem bello, conſultationes fuere. Præcipuam dixeris, qua tributum, expeditioni neceſſarium, impetrauerat. Tabulæ ſic habent: *Nos* MATTHIAS, *Dei Gratia, Rex Hun-*

eius rei exemplum:

diplomate firmatum:

a.) BONFINIVS Dec. III. Lib. IX, p. 524, 25. & BALBINVS, Lib. V. Cap. V. p. 521.

Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Notificamus tenore præſentium, quibus expedit, vniuerſis. Quod cum coronaremur Albæ feliciter, ſecundum morem Prædeceſſorum noſtrorum Regum, Prælati, Barones, Nobiles & Proceres Regni noſtri vniuerſi, qui tunc in ſolemnitate illinc aderant: ſupplicauerant Nobis, vt Regnum, in antiquis libertatibus tenere, atque de oneribus diuerſarum ſolutionum, quibus temporibus diſcordiarum, ante coronationem, grauabatur, de cetero, exemptum habere dignaremur. In qua quidem re, licet exaudita a Nobis, promiſſionem habuerint, Nosque eam, veluti in tanta exaltatione Noſtra factam, mente habuerimus, habeamusque etiam nunc: Tamen his diebus, dum reuerteremur ex Morauia, per totam hanc æſtatem, in eadem Morauia, & Bohemia, contra Hæreticos, veteres & grauiſſimos, dicti Regni noſtri Hungariæ infeſtatores, graui bello, propriis ſumtibus, & expenſis fatigati, & rediiſſemus in hanc Ciuitatem noſtram Poſonienſem, *& exponeremus cauſam ſuſcepti belli contra ipſos Hæreticos, Prælatis & Baronibus eiusdem regni noſtri, ac de vno quoque Comitatu, electis Nobilibus, ibidem conuenientibus, declararemus etiam inſuper, quod neceſſarium eſſet eos compeſcere, vel exſtirpare, qui etiam ſanguinem noſtrum, ſine intermiſſione ſitiebant; & id, quomodo fieri poſſit, quantas requireret expenſas, & quanta ex hinc vtilitas ſequeretur Regno noſtro, ſimiliter cerneremus, vt pote, quandoquidem eisdem domitis, alii inimici eiusdem Regni, etiam quomodocunque magni, facilius, Deo nobis propitio, confundi poſſent; iidem Prælati, Barones, & Nobiles, totum Regnum repræſentantes, in animo moti, non tantum pium atque ſalubre hoc opus, & pro fide Catholica, neceſſarium, quin immo ſibi, & regno vtile, præmeditantes, matura inter ſe deliberatione præhabita, certum ſubſidium pecuniæ, ad proſequendum vlterius, hoc contra dictos hæreticos, negotium, vltronee obtulerant. Vt igitur quemquam hic, hac vice facta impoſitio pecuniæ, non moueat, vel apud aliquos, Noſtra, Regno dudum facta promiſſio, peiorem in partem non interpretetur; ſed & omnibus conſtet, noſtra ſuperinde voluntas, volumus decernere aliquas inconſuetas collectas recipere, aut recipi facere, nec ſimilium Taxarum receptionem in vſum venire, neque contra eos, quantum in Nobis eſt, ſiue noſtro, ſiue ſucceſſorum noſtrorum Regum temporibus, pro conſuetudine eorundem Prælatorum, Baronum, & Nobilium Regni noſtri, & ſuorum ſucceſſorum habere, nec libertatibus eorum quoquomodo præiudicari; & hoc promittimus, in verbo noſtro Regio. Harum noſtrarum literarum, vigore & teſtimonio, mediante.* Datum Hiſtropoli, *ſiue* Poſonii, *vigeſima octaua die Septembris, Anno* Domini *MCCCCLXVIII. Regni Noſtri A. vndecimo. Coronationis vero Quinto.*

Et nos Stephanus, Cardinalis Eccleſiarum Colocenſis & Bácbienſis; Ioannes Strigonienſis, Apoſtolicæ Sedis Legatus Natus, Archi-Epiſcopi. Ioannes Agrienſis, alter Ioannes Quinque Eccleſienſis. Albertus Veſzprimienſis. Demetrius Iaurienſis. Vincentius Váczienſis, Ioannes Chanadienſis Eccleſiarum Epiſcopi. Michael Orſzág de Guth, Regni Hungariæ Pala-

Palatinus; Nicolaus de Ujlak, Comes perpetuus de Thelchak; Emericus de Zápolya Terræ Scepuſienſis; Nicolaus Chupor, de Gonoſzló ad præſens, & Sigismundus Groff, de Bozin, ac Berthardus Eldenbach, de Monyorókerék, alias Wajuoda Luſznenſis; Ioannes de Gára; Ioannes, de Rozgony Thauernicorum; alter Ioannes Tuz Sclauoniæ Banus, Ianitorum; Matthias de Maróth, Agazonum Regalium Magiſtri: Paulus de Lindua; Franciſcus de Chák, & Paulus Henchek de Zeku, in Teſtimonium rei prænotatæ, præſentibus ſubſcribimus, & ſimiliter, pro eodem Domino noſtro Rege, & cum eodem fide mediante, promittimus, quod ſimilem taxam, nobis inuitis non recipiet, & præmiſſa, in vſum ſeu conſuetudinem, non ponet; ſed conſiderando in omnibus rebus, vtilitatem ac iura Regni ſui, promiſſionem ſuam, tam per vocem, quam per præſentes, firmiter, obſeruabit. Datum vt ſupra.

Piſonio, nomen Hiſtropolis, *indit:*

Colligas hinc, nondum ea, ſiue potentia, ſiue auctoritate, MATTHIAM fuiſſe, vt potuerit, ſicuti fecit poſtea, tributis regionem *(b.)* eneruare. Iſtud in diplomate prorſus peculiare eſt, quod HISTROPOLIM, adpellet *Piſonium*: conſultone? an ſcribæ adfectatione? ambigo. Eodem nomine, *Academia*, quam IOHANNES VITEZ, Archiepiſcopus Strigonienſis, parabat inſtituere, *Iſtropolitana* adpellari debuerat; niſi eam, fata conditoris, ante obliteraſſent, quam celebritatem adſequeretur. Meminit eius, LADISLAVS TVRÓCZI, *(c.)* nuperus ſcriptor: *Ad radices montis, ſtabat Academia Iſtropolitana, a* Iohanne Vitézio, Archiepiſcopo Strigonienſi, *anno MCCCCLXIX. inſtituta. Sed breue illi ævum: elato quippe auctore, ipſa quoque extincta eſt.*

eiusdem nominis Academia *huius.*

§. XL.

Vrbs a Swehla *Bohemo, ſubito inſeſſa:*

NOndum bellum inierat Bohemicum, dum *abſente, ob* expeditionem *Croaticam*, rege, *Swehla Bohemus*, vir impiger ac ſtrenuus, a MATTHIA, *inuito* quidem, nuper miſſione donatus, vrbem inſederat, malis omnino implicaturus; niſi prædandi libido, cum latrocinante exercitu, tempeſtiue, iniquiſſimum hominem hinc elicuiſſet. Sperabat ille, abſente procul rege, prædandi eo procliuiorem ſibi fore occaſionem, quo maiore latronum manu, facinus adoriretur. Ergo, ex *Croatia*, redux in *Hungariam*, cum iis, quos adduxerat, manipulis, *Coſtolanum*, regium caſtellum, occupat, vt eſſet, quorſum, & ſe, & prædam, re trepida, coniiceret. Iam late, cum ſuis, diuagabatur maleficentiſſimus prædo, euaſtabatque circum fuſam regionem; cum exactum ab Imperatore Romano, *Fratrum* Bohemorum exercitum, in *Morauia* æſtiuare, comperit: ſeptem millium fuiſſe memorant. Hunc ille, ad prædas in *Hungaria* agendas, inuitat, opulentas populationes, & commoda, per regis abſentiam, latrocinia, oſtentans. Accepere conditionem *Bohemi*, ac, ne incertis caſtris vagari cogerentur, *Piſonium* ſubeunt, perfugium hic, vti confidebant, & latrociniorum arcem, habituri. Et facile omnino vrbem, ſuis facinoribus, contaminauiſſet ſcelerata multitudo; niſi BLASII PODMANICZKII *(d.)* gente Vngari, vnius e centurionibus, oratio, deſtinationes *Fratrum* perturbauiſſet. Vix illi *Piſonii* conquieuerant; cum de occupanda *Tyrnauia*, quæ *Coſtolano*, quam vrbi noſtræ, propius adiacet, ſerio conſultant. Recitat BONFINIVS *(e.)* orationem PODMANICZKII: *Quocunque me*, inquit, *ſocii, noſtra ſocietas, ire iuſſerit, ſiue in Polonos ire cogor, ſiue in Bohemos, Alemannosue, nulla vnquam erit in me mora. Sed, in patriam arma ſumere, quando præter fas & æquum eſt, id nullo modo præſtare poſſum. Deterret impietas, religio interminatur, patriæ charitas inhibet, & præſentanea ſupplicia, dii penates, patriique, proponunt. Proinde, aut alio nunc arma vertite, aut, ſi pergitis, me vltro dimittite, & exauctorate.* Hæc ille: egregio, ad poſteritatem, exemplo. Atque vtinam ea mens Hungaris noſtris ſemper fuiſſet; minus iam ruderum, quæ bella, an furor popularium in patriam dedit, haberemus. Sed *Podmaniczkyus*, cauſſaria, ex templo, miſſione accepta, cum contubernalibus, qui ſe ducem ſequi volebant, citato curſu, eadem illa nocte, *Tyrnauiam* contendit, docuitque ciues de periculo. Eius diſceſſione aduerſa, fratres, ne quid in ſe moliretur, aut conſiliis, quorum erat conſcius, ſuffiamen iniiceret, factis agminibus, *Piſonio* proruunt, agrum, qui *Tyrnauiam* vsque, amœniſſimus interiacet, igne ferroque euaſtant; ſed a *Tyrnauia*, in cuius ſe mœnibus, *Blaſius*, iniquitatem colluuionis increpans, oſtendebat, manus abſtinent, *Coſtolanumque*, *(f.)* ad *Swehlam*, cum præda, quam coegerant, palantes abeunt. Ad eum modum, *Piſonium*, nefaria colluuione *Fratrum*, ſubito exinanitum eſt; ſed an indemne? *vix auſim* adfirmare. Rex certe MATTHIAS, conſceleratiſſimos prædones, vlturus, *Piſonium* mox aduenit, collectoque exercitu, *(g.)* atque *Pottendorffio*, in caſtra, cum DC. Auſtriacis, recepto, in eos mouit.

fratrum exercitus eam ſubit:

prohibetur inde, Blaſii Podmaniczkii, *interceſſione:*

Coſtolanum, *prædabundus abit.*

§. XLI.

Belli Bohemici cauſſa & incrementa:

HAec anno MCCCCLXV. geſta fuiſſe credimus. Mutuæ demum iniuriæ, quibus ſe vicini populi, non deſinebant laceſſere, *(h.)* Regum quoque animos, MATTHIAE hinc, illinc GEOR-

b.) Legeſis BONFINIVM, qui inter conſpirationis cauſſas, aduerſus MATTHIAM, tributorum nimietatem, retulit, Decad. IV. Lib. III. p. 564, 50.

c.) In Hungaria Septentrionali, p. 195. Adde TIMONEM, ad hunc annum, p. 26.

d.) GEORGII PODIEBRADII, Bohemiæ Regis de *Podmaniczkii* latrociniis, querelas, legas apud BALBINVM, Lib. V. Cap. VII. p. 538. in notis.

e.) Decade IV. Lib. I. p. 539, vbi integram hiſtoriam reperies.

f.) Latrociniorum *Swehlæ*, funeſtos exitus, in Hiſtoria Comitatus Nitrienſis, dedimus.

g.) Roo, Lib. VIII. p. 290.

h.) MATTHIAE querelas, vide, apud BONFINIVM, Dec. IV. Lib. I. p. 594, 14. & Lib. II. p. 552, 10. GEORGII autem PODIEBRADII, legeſis, apud BALBINVM, loco nunc citato. Certe enim, licentioſius agebatur vtrinque, quam id, ſeu viciniæ, ſeu adfinitatis iura, poſcebant.

Georgii, percelluerant. Nam, quum suis quisque ciuibus, procliuius credit, quam vicinorum iustissimis etiam querelis, facilis inde fit, ad indignationem, iram, odium atque vindictam, prolapsio. His ergo rebus primum, postea Pavlli II. Romani Pontificis, hortatu, accensus Matthias, in Agriensi comitio, bellum in Bohemos, excelsiore sane animo, quam fortuna, decernit. Tunc vero demum Pisonium, campus iterum Martius, fieri cœpit. *Rex*, inquit Bonfinivs, *(i.) Agria mouens, Budam venit, delectum ibi habuit, legionum supplementa disposuit. Vix octo dies hic exegerat, cum* Georgio *regi, per fecialem, bellum indixit, & motis castris,* Pisonivm *contendit: interea pontifices omnes ac proceres, cum suis copiis, obsequi iubet.* Pisonii *dies aliquot præstolabatur, dum optimates, & auxiliares copiæ, conuenirent.* Antequam in bellum iretur, edictum pontificium, quo Bohemis, & Morauis sacris interdicebatur, Pisonii, promulgatur: *Laurentio Roborella*, Ferrariensi Episcopo, tantæ rei administro. Hinc bellum ipsum consequutum est, si Bonfinio, strenuo Matthiae adsentatori, credimus, felix illud, atque triumpho, saltem ouatione, dignissimum. Verum, aliter apud laudatum Balbinvm *(k.)* reperio: qui, & retrocessisse scribit *Coruinum*, aduentante, cum exercitu, Georgio; &, vbi is copias retraxisset, insequentem Matthiam, in siluis, quæ, sub *ferreis montibus*, late diffunduntur, cum toto exercitu, tanquam indagine conclusum, cum qua euaderet, non suppeteret, euocato, ex Georgii castris, *Alberto Kostka*, nuper apud se, legati munere, magna adprobatione, functo, pacem *Bohemo* obtulisse, promisisseque perpetuam amicitiam, *nulla* in posterum offensa, temerandam violandamque. Dimissus, cum exercitu, ex istis cassibus, Matthias, vt erat feroci ingenio, simul, ac defunctus periculo est, ne pacis quidem mentionem ferre potuit. Hæc, & his *deteriora*, *illic* legas. Ab ea expeditione, per *Viennensem agrum* vrbemque, rediturus credebatur, iamque ciues, arcem ei, pro dignitate accipendo, superbe instruxerant; cum Matthias, ne Cæsari suspicandi locum faceret, aut se ipsum, fluxæ Viennensium fidei crederet, per citeriorem Hungariam, *Budam* reuersus est. Recto id perpetuoque itinere, regem fecisse, Bonfinivs *(l.)* memorat: aliter tabulæ, quas supra dedimus. Pisonivm certe, vbi totius belli armamentarium tunc fuit, haud quidem fortuito, sed cogitate, diuertit, vt isthic, sumtus belli, ab Hungaris, fide procerum interposita, imploraret.

Pisonium fit campus Martius:

belli fortuna:

ab expeditione in Hungariam redux Matthias:

Pisonium *venit, neruum belli corrogaturus.*

§. XLII.

Anno sequente, idem bellum continuat:

Qvadrimestri, cum hibernanti militi, tum deligendis supplementis, cogendisque belli sumtibus, dato, anno MCCCCLXIX. Idibus Februarii, vt bellum Rex conficeret, iter iniuit. Nulla,

i.) Ibidem, p. 553, 42.

k.) Legatur omnino Balbini Lib. v. Cap. IX. totum, atque in primis, p. 553, seq.

l.) Dec. IV. Lib. II. p. 557, 32.

la, in eius profectionis narratione, *Pisonii*, apud Bonfinivm, mentio iniicitur. Sed huc iterum accessisse Regem, ex superioris anni expeditione, pronum est arbitrari. Illud dubitatione caret, feliciorem anni huius, quam superioris, expeditionem fuisse. Præterquam enim, quod conuocato, *Olomuzium*, Bohemorum atque Morauorum optimatum, comitio, in Regem se Bohemiæ, V. Nonas Maii, inaugurari passus est; *Victorinum* quoque, Georgii, maiorem natu filium cepit, captiuumque secum, in Hungariam abduxit. Proditione, *Henrici de Lippa*, facinus illud procuratum fuisse, Balbinvs, *(m.)* ex aliorum sententia, meminit. Ego, Matthiae diploma, ex membranis, gentis *Madách*, mea ipsius descriptum manu, possideo, quo id, virtuti *Ladislai de Madách*, & *Casparis de Jánosy*, Rex adscribit. Iuuat, testimonium illud, omni maius exceptione, huc adscripsisse: *Nos* Matthias, *Dei Gratia, Rex Hungariæ, Bohemiæ, &c. Memoriæ commendamus, tenore præsentium, significantes, quibus expedit, vniuersis. Quod nos, consideratis, fidelitate, & seruitiis, fidelium nostrorum nobilium,* Ladislai *de* Madach, & Caspar *de* Janosy, *per eos primum, sacræ dicti Regni nostri Hungariæ coronæ, tandemque Maiestati nostræ, sub locorum & temporum varietate, præsertim vero in Bohemia, & Morauia, nobiscum, contra Bohemos hæreticos exercituantes, exhibitis, qui &* Victorinvm, *filium* Georgii *de Podiebrad, captum nobis adsignarunt, &c. Datum* Posonii, *Anno Domini MCCCCLXX. Regni nostri anno* tredecimo, *Coronationis vero* septimo. Desinant ergo, proditionis, populares suos accusare, Bohemi: Hungarorum virtuti, tota ea culpa, imputanda est. Sed *hæc obiter! Re, vti diximus,* feliciter, saltem felicius multo, quam primo expeditionis anno, gesta; nam & hunc annum non vndiquaque lætum fuisse Matthiae, scriptores *Bohemici*, memorant: in Hungariam, auctumno, in hiemem procliui, *ad suos rediit. Paucis* Bonfinivs: *Rex, cum Emerico, & Michaele Palatino, nonnullis pontificibus & præfectis, in Pannoniam, ingruente dudum hieme, se recepit.* Non potuit autem *Pisonium* nostrum præteruehi: quippe, cuius secessu, belli, ac pacis temporibus, æque delectabatur. Iniit, tertius belli Bohemici annus, post Christvm natum MCCCCLXX. Matthias enim, hieme nondum cessante, militarem profectionem suscipit. Cum *Jaurinum* pertigisset, nuncium accipit, de morte Regis Georgii. Itaque, vt æmulos, ab occupato nuper, regiæ dignitatis fastigio, excluderet, properandum ratus, acceleratis itineribus, *Iglauiam* contendit. *Viennam*, ex itinere, ad Fridericvm diuertisse, Matthiam, Gerhardvs Roo, *(n.)* meminit, habitumque illic, pro dignitate, liberaliter; dum ille, concepta insidiarum suspicione, insalutato hospite, abierit. Sed id, hac eum fecisse tempestate, creditu omnino difficile est: quod rex, & properato

in Regem Bohemiæ inauguratur:

Victorinum capit:

tanti facinoris auctores:

reuersus ex Bohemia, an viderit Pisonium:

tertius belli Bohemici annus:

m.) Loco cit. Cap. x. p. 556. & in *Notis* ad idem Cap. p. 560.

n.) Lib. VIII. p. 297. *Nihil* eius rei, apud Bonfinivm, sub idem hoc tempus, legas: rem ille, quod mox dicemus, alii tempori adscribit.

perato itinere opus habebat, & gliſcentes, inter vtrumque, FRIDERICVM, & MATTHIAM, ſimultates, ab ea officii ſignificatione, facile Hungarum poterant auocare. Ergo, tunc quoque, *Piſonium* ſuum, vidiſſe MATTHIAM, non eſt, cur ambigamus: reducem profecto, & a ſpe regni *Bohemiæ* excluſum, ſiue leniendi doloris, ſiue captandorum conſiliorum cauſſa, ſubſtitiſſe hic aliquantiſper, diploma, cuius aliquam partem, ſupra recitauimus, palam condocet.

Piſonium iterum inuiſit Matthias.

§. XLIII.

Bellum Polonicum, *auocat aliquamdiu* Matthiam, *ab vrbe noſtra*:

BEllo demum Bohemico, *Polonicum* aliud, magna Hungarorum conſpiratione, interſertum eſt. CASIMIRVM plerique, Poloniæ regis filium alterum, ad Hungariæ ſceptra capeſſenda, euocauerant. Et parum aberat; quin, dum Bohemiæ regno auidus inhiat MATTHIAS, Hungarico exueretur. Nihil adtinet, rem, quomodo geſta ſit, enarrare: vbere eam oratione, BONFINIVS *(o.)* explicuit. Nobis, iſtud obſeruaſſe, ſufficit, bellorum his tempeſtatibus, aliorſum auocatum MATTHIAM, rarius, ad vrbem noſtram acceſſiſſe. Fuit ei tamen inſigni perfugio, quum a FRIDERICO, quem teſtandi cauſſa officii, *Viennæ* ſalutauerat, inſidiis peteretur. Recitabimus hiſtoriam. Redux ex Italia, quam ſecundo adierat, FRIDERICVS, perturbatas domi, procerum conſpiratione, res deprehendit. Conſcio MATTHIA, per abſentiam Cæſaris, geſtum id fuiſſe, non diffitetur BONFINIVS; *(p.)* tametſi perneget, molitiones eas, in ſuam rem voluiſſe Regem vertere. His, qui auſi fuerant rebellare, ſupplicio adfectis, *(q.)* pacata iam Auſtria, Cæſar, MATTHIAM, ad viſendum ſe patrem, Viennam inuitat. Obſecundauit MATTHIAS, & cum honeſtiſſimo comitatu, paucis poſt diebus, Viennam inuiſit. Magna, in accipiendo *rege*, comitate vſum FRIDERICVM, perhibent. *Plures dies*, ſpectaculis, equeſtribus ludis, conuiuiis item, atque choreis, extrahuntur; neque ſuſpicatur MATTHIAS quidquam: cum intempeſta nocte, a ciue admonetur, vt dicto citius, Imperatoris inſidias deuitet, ſciatque, *non* ſe huc teſtandi officii cauſſa, ſed ad capitale iudicium arceſſitum eſſe, & ni mature cauerit, præcipitaturum in exitium. Rex, vti erat pronus ad ſuſpicandum, funeſto nuncio fidem habet, familiarium, qui ſecum erant, fidiſſimos, (*Czobor* alter, alter *Nicolaus Bánffy* fuerat) in conſilium, quid re tam trepida facerent, adhibet. Fugam vterque ſuadet, ſummo ſilentio, quam primum adparandam, ne cunctantes, tempore excidant. Igitur, nil quidquam moræ interſerunt, ignaro, quid fieret, comitatu reliquo, vrbe clam exeunt, & correpto, quod ſors obtulit, nauigio, *Piſonium*, remigantes, ſecundo amne, defluunt.

fit ei perfugio, cum infidiis a Friderico *peteretur*:

o.) Decadis IV. Lib. III.

p.) Lib. IV. p. 586, 34, & lin. 45.

q.) Confici hinc poteſt, periculum iſtud, poſt annum demum MCCCCLXXI. adiiſſe MATTHIAM, quo PAVMKIRCHERVS ſupplicio adfectus legitur, *Hiſtoria Ducum Styriæ*, Parte II. p. 89. Nam, poſt ſupplicio adfectos rebelles, MATTHIAM, inuitatum dicit BONFINIVS.

defluunt. MATTHIAS profecto, nunquam ſe poſthac Imperatori credidit. Decuit hæc non ſiluiſſe, vt conſtet, quantum *Piſonienſium* fidei, MATTHIAS, & cum anceps immineret periculum, tribuerit. Ceteroquin, hic ille eſt *Nicolaus Bánffy*, cuius nobis, lepida, ad arcis hiſtoriam, mentio recurret, cum inſigni tamen, boni viri calamitate coniuncta.

Matthiæ *in fide Piſonienſium, fiducia*:

§. XLIV.

EXarſit poſtea, anno MCCCCLXXVII. bellum *Auſtriacum*, mutuis, quod fit, ſimultatibus, iam pridem conflatum; ſed ob Bohemicas expeditiones, & illapſum in Hungariam *Caſimirum* Polonum, magna iniuriarum diſſimulatione, hucusque dilatum. Igitur, ſuſcepta auſpicato, expeditione, ex *Jaurienſibus* campis, valido cum exercitu, in Auſtriam ſe infundit MATTHIAS, & qua exercitum trahit, vaſtitate, flammis, atque cædibus, complet omnia, oppida vrbesque, partim vi, partim deditione, capit. *Viennam* eminus, *Cremſium*, atque *Stainam*, admotis machinis, obſidet: ipſe, cum prætoriana cohorte, ad *Corneoburgum* metatur. Cum hæc in Auſtria MATTHIAS gerit, BEATRIX regina, *Piſonii*, non ſine magna aulicorum turba, conſederat; vt fortunam mariti ſpecularetur, atque miſſis acceptisque nunciis, de eius ſucceſſibus, in dies certior fieret. Audito, *Auſtriam*, pene omnem, euaſtatam, regionis miſerta; vt a marito immanitatis crimen auerteret, nunc virum, ad pacis conſilia flectere, nunc emollire Cæſarem, datis frequenter litteris, connitebatur. Diſerte BONFINIVS: *(r.) Beatrix regina, Cæſari, adfinitate coniuncta, crebris eum internunciis orabat, vt a calamitoſa pertinacia ſua, deficeret, cum viro, æquis pacem legibus, optaret: contra virum ſuum, pro virili, quotidianis litteris hortabatur, & rogabat, ne tantopere ſæuiret, & ad pacem ſalutemque populorum, animum ſuum reuocaret.* Dignum, erudita femina, facinus! Pace, æquiſſimis conditionibus, *Corneoburgi* conciliata, reuocatisque, ex Auſtria in Hungariam, exercitibus, ſequenti anno, qui MCCCCLXXVIII. fuit, *Piſonium*, vbi decimum menſem, *Beatrix*, dum maritus Auſtriam debellaret, extraxerat, MATTHIAS venit, & *quadrageſimale ieiunium* iſthic peregit. Feſtis reſurrectionis CHRISTI diebus, ſolemniter, in vrbe, concelebratis, cum maxima aulicorum manu, ſuaque BEATRICE, digreſſus *Piſonio* Rex, vt a bellicis curis animum releuaret, lentis itineribus, Hungariam peragrat, *Cremnitzium*, *Neoſolium*, & *Caſſouiam* inuiſit, oſtentat BEATRICI populos, vbique, a ſuis, pro regia dignitate, magnificentiſſime acceptus.

Auſtriacum bellum init:

eo durante, Beatrix, *Piſonii, ſedem habet*:

laudabile in ea pacis ſtudium:

pace firmata Piſonium venit Matthias.

r.) Inibi, p. 599, 32. Idem fere apud GERHARDVM ROO, ſcriptorem Auſtriacum legas, loco citato, p. 314. BEATRIX, MATTHIAE *vxor*, *quæ Poſonii erat, per frequentes internuncios ac literas, & maritum regem, vt mitius ageret, & Cæſarem cognatum, vti ad æquas pacis conditiones inclinaret, hortatur.*

§. XLV.

Nouum in Austriacum, bellum:

REge, sequutis annis, nunc pacis, cum Bohemo ineundæ studiis, nunc pestilentia, nunc iterum, Turcicis impressionibus, varie distento, sarta aliquantisper pax, nuper cum FRIDERICO, inita, perdurauit. Mox, redintegratis iniuriis, bellum, superiore multo crudelius, exarsit denuo, eleganter a BEATRICE iterum consopitum; si temperare sibi FRIDERICVS didicisset. Aiunt, BEATRICEM, cum diu satis, nunc muliebribus blanditiis, nunc virilibus etiam artibus FRIDERICVM, pertentauisset, vix profeciſſe amplius; quam quod commeantes huc atque illuc, nuncios, ex more, humaniter, & quod a femina venirent, etiam blandius, acciperet. Ergo, ne solita, sui sexus, inconstantia, manum, a cœpto reconciliationis opere, retrahere videretur; non ante cessandum putat, quam prorsus expugnaret FRIDERICVM. Perspectum habebat, esu *(s.)* peponum, ad intemperantiam vsque, Cæsarem delectari. Proinde, selectissimo fructu, carpentum, quo ipsa vectabatur, studiose compleri, & in Austriam, ad Cæsarem, cum cura, deuehi iubet, simulque nunciari; desineret, obstinata adeo pertinacia, muliebre quidem, at salutare profecto consilium, reiicere; quadrigas se suas misisse, vt peponibus exinanitas, legatos Cæsaris, cum facultate paciscendi, *Pisonium* adueherent: fructum, quem mitteret, anni tempestatem suppeditauisse, qui, si gratus Cæsari esset futurus, pacis se inde, spem indubiam, concepturam. Accepit munus Imperator, multumque humanitate mulieris delectatus, se, *suosque familiares*, Hungaricis istis deliciis, auide pauit; quadrigis autem reginæ, legatos, qui de pace agerent, *Pisonium* deuehi mandauit. Ferunt, in eas tunc conditiones pacem coaluisse; vt MATTHIAS quidem, quæ bello occupauerat, *FRIDERICO* redderet; iste, promissa, nuperæ *in Bohemos* expeditioni, *quinquaginta millia florenorum*, subsidia, regi quam primum, dissolueret: *Iohannes* tamen, Strigoniensium præsul, qui ad Cæsarem perfugerat, tiara *Salisburgensi*, ab eo donatus, pacis beneficio, haud *potiretur*. Sed, conciliata ad eum modum, pax, peponibus ipsis, fluxior exstitit: quippe, *Iohanne*, quiescere nescio. De eadem hac pacificatione, *Styriæ Ducum (t.)* historia: *Sola*, inquit, BEATRIX *Arragonia, vxor, virum eo adducere potuit, vt belli consilia omissurum se sponderet; si Cæsar, residua quinquaginta millia, persolueret: ad Iohannem, (u.) profugum, pacis fructus, non pertineret. Euitatum hac ratione bellum erat, si* FRIDERICVM *Iohannes quiescere siuisset.* Hæc belli præludia, anno MCCCCLXXIX. cœpisse,

nouæ, item Beatricis, *in resarcienda pace, solertia:*

s.) Morti proximum, auide, octo pepones consumsisse, scriptores memenerunt. Vide, IOHANNEM CVSPINIANVM, in Cæsaribus, p. 512, 39. Et GERHARDVM de Roo, Lib. x. p. m. 389.

t.) Parte II. p. 92.

u.) Integrum, IOHANNIS huius, vitæ curriculum, in MARCI HANSIZII, *Soc. Iesu*, recentis scitique scriptoris, *Germaniæ Sacræ*, Tomo II. p. 532. vsque ad pag. 539. legas. Nos, in *Archiepiscopis Strigoniensibus*, mentionem eius habemus. Vide, *Historiam Comitatus Strigoniensis*, Parte Generali, Memb. Politico.

cœpisse, annales memorant. quæ demum, pace, quam *Beatrix*, anno MCCCCLXXXI. conciliauerat, rescissa, sequente post anno, in neruum erupere. Expeditionis initia, ab *Haynburgi* obsidione, MATTHIAS ducenda statuit. Oppidum est, duobus, *Pisonio* milliaribus, disiunctum, & vlteriori Danubii ripa, collocatum. Huic, rotundus mons, productis in altum vtroque latere, mœnibus, connectitur; cacumen arx insidet, vti situs arduitate inaccessa, ita munita operibus. Ereptum nuper Hungaris oppidum, recuperandum ante omnia, existimabat MATTHIAS; vt ne maiora, in Austria molientem, a tergo remoraretur. Validum hic præsidium collocarat FRIDERICVS, obicem Hungarorum impressionibus, positurus. Neque destinatione sua, frustratus est *Cæsar*. CORVINVS, simul IV. Calendas Iulias, cum exercitu, *Pisonium*, commoti in Austriacos, belli officinam, venisset, cohortes quasdam, cum aliquot equitum turmis, ad incingendum oppidum, dimittit. Agmen, *Stephanus Scepusiensis* ductabat, vir sane fortitudinis indomitæ. Sequitur *hunc* MATTHIAS, in vlteriore, eaque campestri, quæ *Pisonio obiacet*, Danubii ripa, castra metatus. Vix rex hic tetenderat, cum *fugitiui*, rem infeliciter a *Stephano* gestam, profligatas equitum turmas, captumque ducem, nunciant. Implentur trepidatione castra; quin, rex ipse, ne fortunæ obniti videretur, in proximam *Pisonii* vrbem, *(v.)* vbi tutius ageret, se recipit: dum, meliora de suis, a fugitiuo milite, atque reduce *Scepusiensi*, (nam e captiuitate profugerat) edoctus, iusta virium contentione, oppidum adoriretur: quod demum, post operosam obsidionem, pridie *Calendas Octobris*, interceptum est. Dum bellum trahitur, *BEATRICEM*, iterum *Pisonii* hospitatam fuisse, certum est, vnde ritu nupero, adfinitatis fiducia ducta, *Cæsarem (x.)* nunc per litteras, nunc iterum per nuncios, ad ineundam, *cum viro*, pacem, sæpius hortabatur; nihil, a durissimo principe, responsi, præter *bona verba*, referens. Plures hinc anni, in bellum insumti sunt Austriacum; MATTHIAS vero, nunquam, siue cum exercitu, siue priuato cum comitatu, seu veniebat, seu redibat; quin PISONII subsisteret. *Rex*, inquit BONFINIVS *(y.) ad* Pisonium *castra consequitur, ibique dies aliquot subsidet.* Atque iterum, *(z.)* de eadem illa, anni MCCCCLXXXIV. expeditione: *Cum rex* Pisonium, *vesaniente bruma, venisset, quo exercitum paullo ante præmiserat: hinc, a Comite Stephano, fauente sæuitia hiemis, ad occupandos Viennæ pontes, eorumque præsidia; hinc, ab his, qui Cornamburgum obsidebant, ad capiendam ciuitatem, excitabatur. Vno tamen tempore, vtrumque præstitit. Proinde XV. Cal. Februarias*, Pisonio, *cum exercitu proficiscitur.* Ac denique, *(a.)* Post occupatam Viennam: *Reparato exercitu, vna cum filio*, Beatriceque *regina, primo tempore, ad expugnandam vlteriorem Austriam, proficiscitur.* Pisonium *primo ventum est, aliquot dies ibi actum.*

Pisonium Martis officina:

& regis, atque exercitus, perfugium:

Beatricis *hospitium:*

frequentatur toto eo bello, a Matthia *vrbs nostra:*

v.) BONFINIVS Dec. IV. L. VI. p. 618. seq.

x.) Fidem facit BONFINIVS, loco citato, lin. 3.

y.) Ibidem, lin. 48.

z.) Loco eodem. p. 623. & 624.

a.) Decad. IV. Lib. VII. p. 634.

actum. Non duximus ſuperuacuum, frequentia hæc regis, apud *Piſonienſes* hoſpitia, adnotauiſſe; quando nemini dubium eſt, ad vrbis ea celebritatem pertinere. Illud ſubit mirari, quod cum arces reliquas, vrbesque, quarum ſeceſſibus oblectabatur MATTHIAS, ædificiis excoluerit; nullum eius opus, ſiue in vrbe noſtra, ſiue in arce, iam conſpiciatur. *Viennæ* tandem, anno MCCCCXC. *Nonis Aprilis*, quæ in diem *Martis*, inciderant, mortuum, atque ſecundo amne, *Budam* deuectum, ſupremo honore, *Piſonienſes* feminæ, proſequutæ ſunt. Ita BONFINIVS. *(b.)* *Cum* Piſonium *foret appulſum* (quinquaginta pullatæ naues, cadauer, & reginam, cum lugubri comitatu, vehebant) *omnes matronæ vrbis, pullatæ obuiam reginæ occurrere, publicoque planctu, principem inuictiſſimum, & regem optimum, luxere.*

in eius funus, feminarum Piſonienſium, *pietas.*

§. XLVI.

MATTHIAE, regi bellicoſiſſimo, WLADISLAVS Polonus, plurimorum ſuffragiis, ſucceſſit, geminum nactus æmulum, MAXIMILIANVM hinc, illinc ALBERTVM fratrem. Vterque, bellum atrox, in nouum regem commouerat, pace dein vtrobique terminatum. Quæ, cum MAXIMILIANO, coaluit, *Piſonii*, ſancitam fuiſſe, præter hiſtoricorum monimenta, tabulæ, quibus eius leges perſcriptæ ſunt, palam loquuntur. Res ad hunc modum, vt eam in compendio referamus, geſta eſt. Duplici bello implicitus WLADISLAVS, fraterno, in ſuperiore, Turcico, in inferiore Hungaria, tertium quod MAXIMILIANVS, anno ſuperiore, victor ex Hungaria redux, denuo interminabatur, expaueſcebat. Tot impar hoſtibus, rem, ad patres refert: pacem hi omnes, ſi poſſet, æquis; ſin minus, tolerandis conditionibus, a MAXIMILIANO, imploraret, ſuadent. Id, ſimul ad Cæſarem *perlatum* eſt, placuit, legatos de pace acturos, *Piſonii, vtrinque* conuenire. Miſſi, a rege fuerunt: *Thomas*, Iaurienſis epiſcopus, qui tunc vniuerſa pene regni negotia, adminiſtrabat; *Stephanus Báthori*; Iudex Curiæ Regiæ, & Waywoda Tranſiluaniæ; *Iohannes Schellenberg*, Cancellarius Bohemiæ; *Ladislaus Orſzág de Guth, Ladislaus de Rózgon, cubiculariorum Regiorum Magiſtri; Geneſius Weitmülner, Burgrauius in Carlſtein; Wilhelmus Paumkirchner, de Zalanok; & Iohannes de Ruppou, Magiſter Curiæ regni Bohemiæ.* Germanorum *(c.)* poſtulata primum audiuntur, quorum ſumma huc redibat: diploma, quo MATTHIAS, recepta a FRIDERICO corona, Hungariæ regnum, in Auſtriacos tranſcripſerat, ſi mori eum improlem contingeret, noua ſanctione inſtauraretur; belli ſumtus, quos feciſſet MAXIMILIANVS, ex aſſe, ab Hungaris, perſoluerentur; MAXIMILIANO, regis Hungariæ titulus, WLADISLAO, qua conſanguineo, regnum, Germani indulgentia, relinqueretur; ſummos in Hungaria honores, qualis *Palatini* eſt, aliorumque iudicum, collatis

Bohemiæ Rex, Wladislaus *Polonus*, *Matthiæ ſucceſſor:*

pax inter eum & Maximilianum, Piſonii *inita:*

b.) Dec. IV. Lib. VIII. p. 652, 7.

c.) Horum nomina in tabulis legantur, in *Append. Rer. Hung.* Io. SAMBVCI, p. 742, ſeqq.

latis mutuo ſententiis, coniunctim impertirentur. Infremuere, ad has conditiones, legati, palam *Germanis* obiectantes, ſeruitutem, iis legibus, Hungaris intentari. At illi, ne latum vnguem, dimoueri, ſimul interminari; ni conſentiret WLADISLAVS, paratum exercitum, belli inferendi mandata exſpectare. Dum hæc legati *Budam* perſcribunt, atque tempus, altercando interim deterunt, triſtes vndique nuncii adferuntur; *Turcas*, in inferiore; ALBERTVM, in ſuperiore Hungaria, ſæuire; MAXIMILIANI exercitum, ſuperato Danubio, abactisque paſſim pecoribus, obſidionem *Tyrnauiæ* iam iam occipere. His, & id genus difficultatibus, circumſeſſus WLADISLAVS, poſteaquam patrum ſententias rogaſſet, legatos monet, pacem, quibus poſſent conditionibus, componerent. Itaque, poſt longam diſceptationem, pax ad hunc modum facta eſt: *Pacta conuenta, redemta corona, inita, reſtaurantor*; WLADISLAO, *ſine hærede moriente, regnum ad Auſtriacos, deuoluitor*; MAXIMILIANO, *in belli expenſas, centena millia numuum aureorum, penduntor; regis titulus vtrique relinquitor; ſummi honores, vti ſunt Palatinatus, duum viratus coronæ, & cetera eiusmodi munia, vtriusque conſenſu, tribuuntor; eosdem vterque ſocios amicosque, eosdem inimicos, atque hoſtes, habento; iure fœderis vterque, mutuo ſe iuuanto; Germanus & Hungarus, pari dignitate, exiſtimantor; partes* MAXIMILIANI *ſecutum fuiſſe nemini fraudi eſto* reliqua. Quæ, vbi *Budam*, legati adtulere, parum abfuit; quin a fremente populo, contrucidarentur: non pacem illam, neque fœdus; ſed iniquiſſimam ſeruitutem, conclamante. Hæc, quemadmodum habent tabulæ, *(d.) anno MCCCCXCI. Die Lunæ, poſt feſtum S. Leonhardi*, geſta ſunt.

eius conditiones.

§. XLVII.

HVngari, his irritati pactionibus, anno demum MDV. quod dudum conceperant animis, exſequuntur. Indixerat, in campum *Rákosch*, comitia WLADISLAVS, quo, vbi ex more, cum regni optimates, tum vrbium legati, magno numero, conueniſſent, de *Luſatia, Sileſia* & *Morauia*, quas regiones, *prouincias Hungariæ fecerat*, MATTHIAS, acriter diſceptatum eſt. Nolebant nimirum, a regno eas alienari, Status, & Ordines: (*e.*) itaque, Regem obteſtari, ne florentiſſimum, quale acceperat, regnum, diminui pateretur: ille contra, deſidioſa taciturnitate, æquiſſimas preces, eludere. Iniuriam id interpretati *Hungari*, cum rebus nequirent aliter conſulere, frequentes, in tabernaculum, publico deſtinatum concilio, coeunt, ibique, rogatis ſententiis, magna omnium ordinum conſenſione, decernunt; *ne in poſterum vllo vnquam tempore, ſi Rex* Wladislaus *ſine hærede maſculo, decederet, alienæ gentis & ſanguinis Regem, ſibi deligendum, proponerent: addita atroci denunciatione, vt, qui con-*

Turbæ, quas Hungari ea pace irritati, poſtea dedere:

d.) Vide eas in Appendice SAMBVCI, eodem illo, quem nunc citauimus, loco.

e.) Confer. anni MCCCCXCVIII. Art. XXIV. vbi, *Status*, idem vrſiſſe, videbis. Adde ISTVANFFYVM Lib. IV. p. 59, 33.

contra hanc legem feciſſent, eorum bona, fiſco addicerentur, ac ipſi, liberique, ac poſteri eorum vniuerſi, aut perpetuo exſilio, ſi capi non poſſent, aut capti, præſentiſſima, extremi ſupplicii, pœna, plecterentur: verba ſunt ISTVANFFII. (*f.*) Eam legem, præter Archiepiſcopum Strigonienſem, *Thomam Bakats*, Cardinalem, iam Roma reuerſum, atque alios *Epiſcopos* decem; *Senatores* XL. nec non CLXXX. proceres, & quam plurimi ex equeſtri ordine, nec quoquam contraire auſo, adſcriptis nominibus, ratam habuere, mox a *Stephano Verbőczio*, regni prætore, viro eloquente, ſed factioſo, ſolemni ritu promulgatam. Siluit ad hæc WLADISLAVS, frequenter dictitans: *Deo O. M. ſe ac ſalutem ſuam, & ſuorum, curæ futuram.* MAXIMILIANVS contra, cum ſanctionem eo pertinere, non obſcure intelligeret, vt pacis, & ſucceſſionis iura, *Piſonii*, vti memorauimus, anno MCCCCXCI. mutuo datis acceptisque tabulis, firmata, prorſus conuellerentur, de bello, *Hungaris* inferendo, cogitare cœpit. Nihil eius rei meminerunt ſcriptores Hungarici, vt ſuppleri omnino debeat hiſtoria. Sic autem habet GERHARDVS de Roo: (*g.*) *Hoc ipſo tempore,* Maximilianus Cæſar, *crebris, ex Pannonia nunciis, de nouo Hungarorum tumultu, certior factus, omiſſo itinere Italico - - in Auſtriam ex Tyroli, deſcendit. Erat inter Hungariæ primates, Stephanus, Tranſiluaniæ regulus, magna potentia, multisque clientelis ſubnixus. Is, Iohanni* (*h.*) *filio, Annam,* Wladislai *Regis filiam infantem, deſponderi poſtulabat, idque* WLADISLAVS, *aduerſa tum valetudine laborans, & importunis ceterorum quoque principum interceſſionibus, prope coactus, contra vetera pacta, conceſſurus eſſe videbatur. Clamabant enim illi, nullum ſe, ex Germanis, Regem accepturos. Itaque, Cæſar,* POSONIVM, *cum exercitu profectus, magnum Hungaris, a bello imparatis, in primis Regi, pacis, quam belli artibus, magis idoneo, terrorem fecit. Poſtquam vero vterum geſtare reginam, & menſes prope exactos eſſe, reſciuit, conſulto ſe facturum ratus, ſi partum exſpectet, inducias aliquot dierum, impetrari facile paſſus eſt. Interim, ad Calendas Iulii, regina puerum enixa eſt, cui* Ludouico *nomen datum.* Quare, Cæſariano tunc milite, exoneratum *Piſonium*, ſine offenſa derelictum eſt, adfinitas vero, miſſis vltro citroque legatis, inter MAXIMILIANVM, & WLADISLAVM, ſecreto concilio, redintegrata.

ad bellum, Maximilianum *prouocant:*

Piſonium *ab eo occupatum:*

atque deſertum.

§. XLVIII.

Wladislai *Regis ob peſtilentiam, peregrinatio:*

PISONIVM poſtea, anno MDX. WLADISLAVS, ex longa peregrinatione, hoſpes adiit. Exegerat eum, e *Budenſi* regia, peſtilentiæ contagio. Proinde, totum *Auguſtum* menſem, quo vehe-

f.) Hiſtor. Lib. IV. p. 52, 32. Senatus hoc Conſultum, quomodo quidam vocabant, in manibus noſtris eſt, cui ex *Comitatu Poſonienſi*, ſubſcripſiſſe video: *Georgium* de *Illyéshåza*, & *Ludouicum* de *Keménd*. Recurrit nobis tabularum mentio, in Hiſtoria Comitatus *Peſt, Pilis* & *Sold*, Parte Spec. Memb. Sect. I. §. X.

g.) Lib. XII. p. 430, ſeq.

h.) De adfectatis, a *Iohanne de Zápolya*, regiæ filiæ, ANNAE, nuptiis, lege ISTVANFFYVM, Lib. IV. p. 59, 3.

vehementiſſime, ob cæli feruorem nimium, deſæuiit, venando per ſaltus ſiluasque, extraxit. Mox, habito, *Schágvári*, cum pontificibus aliquot, colloquio, *Szegedini*, procerum conuentum, præſens inſtituit. Sed hinc quoque, metu exitialis morbi, depulſus, oram *Csanadienſem, Bácſienſemque*, & his confinia oppida, peragrauit. Danubio transmiſſo, *Slauoniam*, atque ſuperato *Drauo*, *Babotſam*, *Simigium*, *Sabariam*, *Semproniumque* adiit: vltimo PISONIVM (*i.*) acceſſit; eo conſilio, vt ſi poſſet, diutius, loci ſalubritate, perfrueretur. Hic, cum tuta adhuc eſſent omnia, comitium, *Bohemorum* & *Morauorum*, inſtituit, eximia profecto, vrbis celebritate, cui id honoris, ſecundum, (*k.*) a Bohemis tributum, meminimus. ISTVANFFYVS auctor eſt, non tam ſibi, quam liberis metuiſſe WLADISLAVM; quam ob rem, filium *Ludouicum*, *Annamque*, *Piſonium* adduxerit, dum vis, late graſſantis contagionis, *Budæ* mitigaretur. Sed, quum & iſthic, non in vulgum modo ſæuiret, verum etiam, *Deſiderius Landereſius* Allobrox, e cubiculi familiaribus, qui cum mortua regina, e Gallia, *in* Hungariam *venerat*, vi atrocis morbi correptus eſſet, in *Morauiam*, iter fugæ ſimile, *intendit*, atque illic, in oppido, cui *Brodæ Hungaricæ* nomen, aliquantiſper ſubſtitit; inuiſit *Wratislauiam*; (*l.*) ſedato demum peſtilentiæ malo, in *Hungariam* reuerſus.

Piſonienſe *perfugium:*

& habitum hic, Bohemorum, & Morauorum, comitium:

digreditur Piſonio, *in Moraniam & Sileſiam.*

§. XLIX.

Tres Reges, *Piſonii, hoſpitio accepti:*

QVadriennio poſt, quam hic diuerterat WLADISLAVS, tres Reges, *Piſonium*, ſimul hoſpitio accepit. *quæ res, cuiusmodi fuerit,* paullo adparatiore diligentia, commemorandum eſt. Vtemur autem duce αὐτοπτῆ, IOHANNE CVSPINIANO, viro docto, & qui regii huius comitii hiſtoriam, legatus ipſe, in ephemerides retulit. In eam curam, pluribus retro annis, incubuerat MAXIMILIANVS Cæſar, vt Regem Hungariæ, mutuæ adfinitatis iuribus, inito matrimoniorum fœdere, illigaret. Ergo, miſſus ſemel iterumque *Budam*, *Cuſpinianus*, permouit WLADISLAVM; vt collatis ſententiis, dies locusque deſignaretur, quibus, ſalutare, toti Reipublicæ Chriſtianæ, inſtitutum, coram & ſine fraudis metu, æquis legibus, conſummaretur. *Budam*, auguſtalem hunc conuentum, WLADISLAO indici placuit; contra, SIGISMVNDVS Poloniæ Rex, eadem occaſione, Cæſari reconciliandus; diſſidebant enim inuicem; *Piſonium* deſignabat. (*m.*) Re, vti erat, intellecta, *Cuſpinianus*, Buda, Oenipontum, propere ad Cæſarem proficiſcitur, quæ ſit WLADISLAI deſtinatio, coram exponit, eumque, *Hungari*

eius rei occaſio, a Maximiliano, *petita.*

 nomi-

i.) Vide BONFINIVM, Dec. V. Lib. V. p. 731, 15.

k.) De SIGISMVNDI comitiolo, ſupra diximus, eodem hoc Capite, §. XXX.

l.) Recruduit hic controuerſia, de *Morauia, Luſatia, & Sileſia*, Hungariæ iuribus, innectenda. ISTVANFFYVS Lib. IV. p. 59, 36.

m.) Habeo litteras WLADISLAI, perhumaniter ſcriptas, & amoris in fratrem plenas, quibus SIGISMVNDVM, cum nolit *Budam* venire, *Piſonium* inuitat, ſeque proxime illic adfuturum, ſpondet.

nomine, prodixe inuitat; vti *Piſonium*, exeunte, anni MDXV. Februario, haud grauatim, deſcenderet. Sed tunc CAESAR, negotiorum mole diſtentus, adeſſe nequiuit; SIGISMVNDO tamen, precibus WLADISLAI ductus, reconciliationem haud ſe negaturum, ſpopondit. Interim, ne ex cunctatione, feruenti iam operi, frigus induceretur, CAESAR, *Matthæum Langum*, *(n.)* Epiſcopum Gurcenſem, & *S. Angeli Cardinalem*, ſibi in primis carum, *Piſonium* mittendum ſtatuit, omni, ad paciſcendum, facultate inſtructum. Id, vt WLADISLAO nunciaretur, *Cuſpinianus*, Budam redit, vbi, ex Cæſaris voluntate, dies ille *Dominicus*, comitio præſtitutus eſt, quem *Lætare*, Eccleſia nuncupauit. His intellectis, WLADISLAVS, celerem nuncium, *Cracouiam*, cum litteris mittit, qui SIGISMVNDVM, ad præſtitutum diem, *Piſonium* inuitaret. *Ladislaum de Sternberg*, Bohemiæ Cancellarium fuiſſe, ephemerides indicant. Rege, iter comparante, *Matthias Mechouita*, *(o.)* medendi non minus, quam diuinandi, ex aſtrorum poſitu, vnus omnium peritiſſimus, etiam atque etiam adfirmauit; fruſtra, præmaturum iter ſuſcipi, videndi Cæſaris copiam, Regi, ante *Iulium*, haud futuram. Quod, ſiue præſcientia quadam, ſiue coniectandi ſolertia, dixerit, rei certe euentus, vaticinio reſpondit. Nos iam, quid in dies ſingulos, quibus arbitris, quaque pompa, geſtum ſit, explicemus.

§. L.

Eius comitii, ephemerides:

Die XXIII. Februarii, Cardinalis Gurcenſis, *Viennam* venit, ſolemni pompa, a ſacerdotibus, iuxta & vrbana multitudine, acceptus. Triduum quieti, & genio, datum. Tunc, indicto, *Neapolim* Auſtriæ, prouincialium conuentu, CAESARIS *rogationes* expoſuit: iam ante, *Vito de Fürſt*, Budam, *ad* WLADISLAVM miſſo, vt eum, ad præſtitutum *diem*, *Piſonium* euocaret.

Wladislaus, *cum liberis*, Piſonium *primus venit:*

Die XVIII. Martii WLADISLAVS, ne cunctari videretur, cum LVDOVICO Rege, & *Anna* filia, magno procerum, & ciuium plauſu, *Piſonium* ingreditur, vrbano hoſpitio contentus.

Die XXII. Martii, *Gurcenſis*, oratores ad Regem, teſtandi officii cauſſa, *Piſonium* mittit. Fuere hi: *Marquardus de Stain*, Præpoſitus Bambergenſis; *Janus Mraxy de Naſcau*, miles; *Cuſpinianus*, doctor; *Wolffgangus Hemerle*, Cæſari a ſecretis.

adeſt Rex quoque Poloniæ, Sigismundus:

Die XXIV. Martii, dies erat *Sabbathi* eius Dominicæ, quo Eccleſia occinit, *Iudica me Domine*; SIGISMVNDVS, Poloniæ Rex, exquiſitiſſimo cum comitatu, atque digna, tantis Regibus, pompa, *Piſonium* ſubit. Miſſi ei obuiam fuere: *Georgius*, Epiſcopus Quinque-ecclę-

n.) Vitam, ſummi huius viri, adcurate, non minus, quam fuſe deſcriptam, MARCVS HANSIZIVS, Tomo II. *Germ. Sacræ*, exhibet, p. 564. ſeqq. quem adire, pretium fuerit operæ.

o.) CVSPINIANVS id ſe, a *Georgio Thurſone*, *viro ſpectatæ fidei, & integritatis, Regis Hungariæ Camerario montium*, relatum accepiſſe, ſcribit. Plura, minutioraque, de *Mechouii* diuinatione, apud laudatum *Cuſpinianum*, reperies.

ecclesienſis, & *Georgius*, Marchio Brandenburgenſis, qui *Tyrnauiæ*, nomine Regis, conſalutatum, huc deducerent. Ipſe WLADISLAVS, curru, cum LVDOVICO, vectus, in apertis campis, SIGISMVNDO occurrit, comitatu antiſtitum, *Colocenſis*, *Váczienſis*, *Bosnenſis*, *Sirmienſis*, vniuerſæ item nobilitatis, patrio ritu, ad omnem elegantiam, faſtumque, inſtructo, ſtipatus. Simul fratrem eminus adpropinquantem vidit, iuſſit ſe curru releuatum, in ſella, quæ pone fuit, reponi. Tunc SIGISMVNDVS adequitans, edita honoris ſignificatione, equo delapſus, WLADISLAVM tenerrime complexatur, eique fraterni hac amoris teſtificatione, lacrymas vbertim prolicit. Mox, & LVDOVICVS, mirificæ indolis regulus, patruum impenſius exoſculatur. Rege, in curru repoſito, LVDOVICVS, equum conſcendit, cumque patruo, latere ſiniſtro, coequitans, vrbem, præcedente patre, ingreditur. Dici nequit, quanta introitus ille pompa, cohoneſtatus fuerit. Præterquam enim, quod numeroſus Hungarorum equitatus, nobilium procerumque faſtoſa agmina, quadrigæ item, quam plurimæ, Reges, longis ordinibus, præcedebant; SIGISMVNDI certe comitatus, omnium in ſe oculos conuertit. Ducebat is, plus mille quingentos equites, variarum gentium habitu indutos. Alii enim Hungaros & phaleris, & Germanos alii, veſtitu referebant. Reliquum agmen, *Poloni*, *Rutheni*, *Prutheni*, *Moſchi*, *Turcæ* ac *Tartari*, nupero bello capti, explebant. Frequentes his tibicines, patrium carmen ſtridebant. *Tubas*, inquit CVSPINIANVS, *amplas, ſonoras, & a noſtris diſſonas, non ſine horrore ſtridentes, vt in magno æſtu ſolent veſpæ, inflabant. Erat & Turcus quidam, cum tibia, qui nobis inauditam harmoniam, & auribus noſtris inacceptam, edebat, cum puero, tympanum, ambabus manibus, percutiente.* Sed neque Germanos tibicines deſideraſſes, placido cantu, aera demulcientes. Addebat ingens, tanto comitatui, decus, optimatum, qui cum Rege venerant, celebritas. In his fuere: *Weiwoda Walachiæ; Nicolaus Virla, Palatinus Sandomerienſis; Nicolaus, Palatinus Vilnenſis; Andreas, Palatinus Liblienſis; Nicolaus, Palatinus Marburgenſis; Schidlowiczky, Cancellarius; Andreas Coſtiliczky, Theſaurarius; Lucas, Poloniæ Capitaneus*, reliqui. quorum alii, torquibus aureis redimiti, phaleratis equis, Regem præcedebant; latera, cum peditibus, cingebant alii. Ipſe SIGISMVNDVS, veſte amictus purpurea, equo vehebatur. Ex epiſcopis, tres ſequebantur: *Matthias*, Wladislauienſis, emeritus, trium Regum Poloniæ Cancellarius; *Iohannes*, Posnanienſis; & *Petrus*, Premislienſis. Durauit ea pompa, quinque horarum ſpatio; nam, cum primi ordines, hora octaua vrbem ſubiiſſent, reliquum agmen, perpetuo ordine, hora demum prima, ſucceſſit. In primis, iucundum fuit quadrigarum ſpectaculum. Quingentas curioſiores numerauerunt. Has, alibi niuei, nigri alibi, mox rubei, iterumque alterius coloris, equi trahebant. Currus ſingulos, hos quidem ſex, octo alios, viri inſidebant.

pompæ, qua acceptus eſt, ratio:

Die XXVII. Martii, legati Cæsarei, qui audita visaque, identidem nunciabant *Gurcenſi*, eidem *Haynburgi* occurrunt.

Gurcensis *aduentus*:

Die XXVIII. Martii, Haynburgo, naui soluit *Gurcenſis*, tenuitque Pisonienſem ripam. Nondum ille exscenderat, cum Lvdovicvs, duorum Regum nomine, cum *Georgio*, e Comitibus *Frangepani*, Archiepiscopo Colocsenſi, regni Hungariæ Cancellario, obuiam *Cardinali* prodeunt. Eum, *Georgius*, purpura indutum, in amnis ripa, comta oratione, salutauit. Deductus inde in vrbem, instructum sibi hospitium, adiit; tubis & tympanis, in tanta celebritate, lætum clangentibus.

Thomæ *item Cardinalis*:

Die XXIX. Martii, vrbem, *Thomas Cardinalis*, præsul Strigonienſis, & Legatus natus, insigni cum comitatu, intrauit. Occurrit ei *Gurcenſis*, selectissimos quosque, ex *Austriæ*, & *Styriæ*, nobilitate, secum trahens. *Thomam*, sexcenti equi, demtis quadrigis, sequebantur. Quin & *Sanctorum reliquiæ*, obuiam, a *Clero* deferebantur metropolitæ: multæ passim editæ cerimoniæ.

Die I. Aprilis, qui in diem *Dominicum*, cui a *palmis* nomen, inciderat, *Cardinalis Strigonienſis*, in ecclesia *D. Martini*, præsentibus Regibus, & *Anna* principe, sacra faciebat, plenam simul peccatorum *indulgentiam* tribuens. *Gurcenſem*, aduersa valetudo, an prærogatiuæ, quod metuelat, dispendium, a sacris tunc prohibuit.

consultationum, a sacris factum initium, quæ inde toto octiduo perdurant:

Die II. Aprilis, in eadem sacra æde, Reges & Cardinales, conueniunt, *Thoma Strigonienſi*, mysteria, de Spiritu S. iterum faciente. Plebem, quæ diuini cultus gratia, confluxerat, *suffrageneus* Strigonienſis, pro *concione lingua Latina*, Hungarica, Bohemica, Germanica, serio monuit, vti conceptissimis precibus, Deum, pro Cæsaris, & Regum concordia, exorarent. Addita est iterum *indulgentiarum promulgatio*. Sacris rite peractis, Reges, & Cardinales, *in* Wladislai hospitium, diuertunt. Adfuere, *Cæsaris non minus*, quam reliquorum Regum, consiliarii. Facto silentio, *Gurcenſis*, litteris, quibus ei agendi potestas credebatur, palam traditis, vbere oratione, cur huc, ad Reges missus sit, exposuit. Respondit Gurcensi, *Thomas*, non minore facundia. Ea consultatio, in horam secundam, post meridianam, sine cuiusquam molestia protracta est.

Die III. Aprilis, Cardinalis *Gurcenſis*, splendidissimo comitatu circumfusus, Regem Poloniæ adiit, cui Sigismvndvs, vt Cæsarem honoraret, vltra hospitii portam, in plateam vsque, obuiam processit. Vbi palatium subiere, *Gurcenſis*, litteras Caesaris, per *Cuspinianum*, Regi tradi iubet. Breue hinc sequutum est colloquium. Sed, diem illum, funestum in primis reddidit, Ducis *Bartholomæi de Münsterberg*, mors, qui *Pisonium*, secundo amne, ad conuentum hunc descendens, naufragio, prope *Haynburgum*, interiit. Multi, subitum, tanti viri, occasum, inter sinistra, augustalis comitii, omina, referebant: maxime, quod iisdem diebus, plures, qui se tantæ rei administros hucusque præbuerant, in Libitinæ rationes concesserunt. Itum postea fuit, ad

ad Regis Hungariæ hospitium, vbi, iusto maiorem consiliariorum, qui rebus hucusque interfuere, numerum, ne a multitudine, remora, vniuerso negotio, poneretur, ad pauciores redigi placuit. Atque *Gurcenſis* quidem, *Ianum Mraxii*, *Laurentium Saurer*, *Iohannem Cuſpinianum*, & *Gabrielem Vogt*, sibi adsciuit. Rex Hungariæ, *Thomæ Strigonienſi*, *Georgio Colocsenſi*, Archiepiscopis, Episcopo item Quinqueecclesienſi, rem suam credidit. quibus Rex Poloniæ, *Petrum* Premislienſem antistitem, *Christophorum Schidlowiczky*, Cancellarium, & *Nicolaum*, Vilnensem Palatinum, adiunxit. Mutuæ his, in dies singulos, longæque consultationes institutæ, quarum argumenta, ad suos quisque principes, diligentissime referebant.

Die XI. Aprilis, Equestres ludi, vt esset curarum aliquod auocamentum, instituuntur. Brabæon, *Georgius*, Comes Scepusienſis, spectantibus Regibus, *Gurcenſi*, & *Strigonienſi*, Cardinalibus, summo omnium plausu, retulit. Multa hic, ex suis moribus, partim ludicra, partim digna admiratione, *Poloni*, *Mosci*, *Tartari*, interseruere. quæ apud *Cuſpinianum* legi volumus.

abit Gurcensis *Pisonio, vt de gestis ad Cæsarem referat*:

Die XII. Aprilis abiit *Gurcenſis* Pisonio, vt de his, quæ disputata sunt hactenus, ad Cæsarem referret. Is, vbi Viennam venit, *Wilhelmum de Rogen*, & *Laurentium Saurer*, vtrumque, Cæsari a consiliis, per celeres equos, ad Imperatorem dimisit; quos ille, multa negotiorum mole obrutus, tardius, quam optassent Reges, ad Gurcensem remittit. Dum hæc apud Cæsarem fiunt, *Pisonii* exortum incendium, maiorem vrbis partem inopinato absumsit. Arsit, inter ædes ceteras, Wladislai quoque hospitium, *cum multarum, quæ nequiuerunt eripi, rerum pretiosissimarum*, iactura. Sed palatium, in quo Sigismvndvs agebat, Polonorum industria, seruauit intemeratum. Bidui spatio, *quidquid, excitata periculo*, Hungarorum, iuxta & Polonorum multitudo, *occiperet*, *sisti incendium haud potuit*. Fuere, qui hinc quoque, omina colligerent infaustorum euentuum. Et arsit profecto, duobus seculis, post Lvdovici occasum, Hungaria, bellis Turcicis, & ciuilibus inflammata. quæ demum Caroli VI. felicitas, tempestiue exstinxit.

Pisonii *pars altera, feralı incendio, conflagrat*, Wladislai *simul hospitio exusto*:

redeunte Gurcensi, *redintegrantur summo studio, consultationes*:

Die XI. Mai. Cardinalis *Gurcenſis*, sex consiliariis, quos iam nominauimus, adscitis, ad vrbem, secundo amne, adfluxit, supremam tandem manum, pacis matrimoniorumque fœderibus, impositurus. Clam vrbem, vt pompam anteuerteret, intrare voluit. Sed, rumore aduentus, opinione celerius, audito, Lvdovicvs Rex, cum patris, atque Sigismvndi primoribus, nec aduertentem, in ripa excipit. *Strigonienſis* autem, quasi negligentius rem egisset, extra portam, cum familiaribus prodiit, faustum ei aduentum, comprecatus. Idem episcopi, ex somno se proripientes, fecere. *Septem hinc diebus ardue disputatum, & tractatum est*, inquit Cvspinianvs, *de singulis, & mature omnia deliberata sunt, in articulos redacta & scripta, ac vltro citroque pensitata. Nunc enim consiliarii vtriusque regis, in*

hospitio Cardinalis, tractauerunt & consultarunt; nunc vero Cardinalis, regem Poloniæ adiit, & secretius quædam, amotis arbitris, tractauit: nunc vicissim, Dominum Cardinalem, de suis negotiis sollicitant: nulla quies, nullum otium, omnia plena labore erant.

mutua consulta, in tabulas referuntur:

Die XX. Mai, Tandem, quæ hactenus, multa cura studioque, disceptata fuerunt, in tabulas relata sunt, manu atque sigillis, Regum & legatorum, signatas. Fragmentum tabularum, MARCVS HANSIZIVS *(p.)* ad instaurandam *Gurczensis* memoriam, nuper ex Bibliotheca Cæsarea, eruit, hoc initio: *Nos* WLADISLAVS, *Dei Gratia Rex Hungariæ & Bohemiæ, & nos* MATTHAEVS, *miseratione Diuina, S. Angeli Diaconus Cardinalis Gurcensis, Coadiutor Saltzburgensis, Sacratissimi Principis & Domini, Domini* MAXIMILIANI *Romanorum Imperatoris semper Augusti, in Italia Locumtenens generalis, & ad infra scripta mandatarius & procurator specialis, recognoscimus, & tenore præsentium profitemur &c.* Fine autem isto: *Nos vero præfatus* Cardinalis Gurcensis, *propria manu subscripsimus, & in fidem, litteras sigillis & signetis nostris consuetis, communiuimus.* Datum POSONII XX. die Mai, A. D. MDXV. SIGISMVNDVS Rex, m. p., MATTHAEVS *Cardinalis Gurczensis, per manum propriam.*

Die XXI. Mai, Rex WLADISLAVS, adparatissimo conuiuio, fratrem SIGISMVNDVM, *Gurcensemque*, & collegas suos, accepit.

abit ad Cæsarem Gurcensis:

Die XXIII. Mai, Viennam rediit Cardinalis, vnde, triduo post, ad Cæsarem abiit, vt eum, de his, quæ coadunatis Regum sententiis, sancita fuerant, certiorem faceret, ac, si res paterentur, ad inuisendos Reges, *permoueret.*

tædiosa Regibus, *Cæsaris exspectatio:*

Digresso eo, totum postea *Iunium*, haud sine tædio, Reges *Pisonii* extraxere. Eius moræ fastidium, vt leniret Cæsar, *nunc* ipse, litteris absentiam excusabat, nunc Cardinalis, *proxime* adfuturum, spondebat. Sed, *cum ne sic quidem* quidpiam proficeretur; ne molesta hac Imperatoris exspectatione, suspensi Reges porro tenerentur, *Hieronymum Balbum, (q.)* Præpositum Pisoniensem, ad Cæsarem ablegant, qui eum aduentus commoneret; hunc, *Protesilaus de Schmihau;* vtrumque *Nicolaus Székely*, Hungarus, & *Petrus* Polonus, viri militares, sequi iussi, qui Cæsarem rogarent, ne Reges, tanti dispendio temporis fessos, vltra teneret suspensos. Legatorum singulos, Cæsar, benigne audiuit, seque, propediem Reges visurum, graui adseueratione, spopondit.

legati ad eum missi:

Die

p.) Germaniæ Sacræ, Tomo II. p. 580. §. XXXVIII.

q.) Fuit HIERONYMVS BALBVS, vir oppido facundus, idemque Regis LVDOVICI præceptor, postea *Secretarius*, magni semper ab ipso habitus: quod ex epistolis, quas eius caussa, ad *Cæsarem* & *Sigismundum* patruum, frequentes dedit, quasque nos possidemus, conici potest. Viuo adhuc LVDOVICO, Episcopum Tergestinum, posteaque, Gurcensem, factum fuisse, ISTVANFFYVS Lib. VII. p. 101. meminit. Adde, laudatam, MARCI HANSIZII, Germaniam Sacram, loco cit. §. XXXIX. Plura de BALBO videsis infra Cap. V. de Prærogatiuis vrbis Pisonienſis, Art. VII. §. VI. seqq.

Die V. Iulii, audito, Cæsarem, iam iam adfuturum, suos ei legatos, honestissimo cum comitatu, ternos singuli, obuiam mittunt. Et WLADISLAVS quidem, *Georgium*, Quinqueecclesiensem episcopum; *Ladislaum de Sternberg*, Cancellarium Bohemiæ, & *Moysen de Buslay*, magistrum curiæ: POLONVS vero, *Iohannem*, Posnanienſem antistitem, *Lucam*, regni capitaneum, & *Christophorum Schidlowiczky*, Cancellarium, obeundo ei muneri, delegant. Hi demum,

Die VI. Iulii, Viennam, cum sexcentis equis, patrio more, phaleratis, insigni, & sua, & spectantium pompa, ingrediuntur, *Casimiro*, *Marchione Brandenburgico*, Comite item *Bertholdo de Henneberg*, aliisque, qui Cæsari præibant, iam Viennæ agentibus.

Die VIII. Iulii, Gurcensis Cardinalis, Viennam venit, multis præsulibus, summisque viris, comitatus. Denique,

aduenit Viennam Cæsar:

Die X. Iulii, Cæsar MAXIMILIANVS, vt ne pompæ locus fieret, hora noctis decima, Viennam subiit, cum in suburbano, cui *Hecking* nomen est, *biduo*, ex itineris labore, requieuisset.

Die XI. Iulii, sex, quos diximus, Regum legati, in Cæsaris conspectum venere. vbi *Georgius* Quinqueecclesiensis præsul, graui oratione, MAXIMILIANVM, ad belli Turcici societatem, regum nomine cohortatus est. Ei *Petrus Motta*, Hispanus, Cæsaris iussu, breuiter, quod e re fuit, respondit.

Die XII. Iulii, vocati in regiam oratores, cum a Cæsare, summa benignitatis significatione, dimissi fuissent, vnde venerant, magnis honoribus cumulati, abiere.

eius, ad Reges, legati:

Die XIII. Iulii, Cæsar, ne officii significatione quidquam concederet, suos itidem legatos, Regibus accipiendis, dimittit. Et ad Regem quidem Hungariæ, *Christophorus*, Archiepiscopus Bremensis; *Casimirus*, *Marchio Brandenburgensis*; *Wilhelmus de Rogendorff*, & *Iohannes Cuspinianus*, abiere. *Hi*,

Die XIV. Iulii, WLADISLAVM Regem Hungariæ, cum *Ludouico*, & *Anna*, in oppido *Köptsény*, Germanis *Kitzé*, iam iter ingressum, offendunt, eumque Cæsaris verbis, saluere iussum, *Viennam* vt accedat, exquisitissima honoris significatione, inuitant. Quibus vti decuerat, confectis, idem officii genus, & SIGISMVNDO, Poloniæ Regi, a duce Bauariæ, *Wilhelmo*, Labacensi episcopo, & collegis, *Haynburgi*, vbi Danubium, cum comitatu, traiecerat, die eodem præstitum est. His rite ordinatis,

Cæsar, *Vienna, obuiam Regibus progreditur:*

Die XV. Iulii, Cæsar, Vienna, Regibus obuiam progreditur, a selectissimo exercitu, ornatissimisque equitum, & cataphractorum alis stipatus; vt vel solius comitatus obtutu, tanti principis maiestas, animos adspectantium, percelleret. Ipse, inter præcedentium atque pone sequentium agmina, medius, sumtuosissima lectica, vehebatur. Ea die, ad quintum, ab vrbe, lapidem, *Trautmansdorffum* vsque, progressus, ibidem, nocturna statiua habuit. Neque longe aberat WLADISLAVS: quippe qui, *Laythæponti* conquieuerat. Ad eum, nocte

Trautmansdorffi pernoctat:

cte media, *Cuſpinianus*, iuſſu Cæſaris, acceſſit; vt ordinem, publici congreſſus, exponeret definiretque. Datum id eſt WLADISLAO, vt eadem illa veheretur lectica, quam ei CAESAR, magnificentiſſime ornatam, cum equis nobiliſſimis, pridie, dono miſerat. Idem, a *Gurcenſi*, SIGISMVNDO quoque nunciare iuſſus eſt, quem, prope ad campum deprehendit, tentoriis inſtructum. Rebantur enim Reges, Cæſarem, de iisdem, quas *Piſonii* diſputauerant, conditionibus, ſub papilione, ſententias denuo rogaturum. Ille vero, præcelſam arborem, aperto campo, depangi iuſſit, quæ ab aduentantibus, eminus conſpiceretur. Huc inuitati ſunt Reges, eo potiſſimum omine, vt ſub dio, nudam apertamque amicitiam, ſpectantibus tot populis, profiterentur.

adpropinquant Reges *quoque:*

meta congreſſus, depacta procera arbore, præfinitur.

§. LI.

Cæſar, *ad præſtitutum locum, ſummo mane, mouet:*

Die XVI. Iulii. Mane, hora diei ſexta, *Trautmansdorffio*, vbi pernoctatum fuit, egreſſus CAESAR, ad præſtitutum locum, contendit, quem, prope ſiluam, cui *Hart* nomen, defixa, vti diximus arbore, notari voluit. Collis hic erat, modico cliuo intumeſcens, ſilua hinc, vepribus illinc, conueſtitus. Illac, Cæſari iter fuit ſuſcipiendum, quod eo accidit opportunius, quo, cum ſplendidiſſimo comitatu deſcendentem, ſudo ſerenoque cælo, armis radiantibus, atque fluitantibus ſignis, apertius conſpicari poterant, Reges, e longinquo aduentantes. Cæſareæ profectionis ordo rationesque, iſtæ fuere: *Neapolis* Auſtriæ præfectus, *Capitaneum* vocant, *Melchior de Mansmünſter*, equo cataphracto vectus, aulicorum, nobilium item, & promiſcuæ turbæ, quæ ad ſpectandam pompam, cultius *induta*, concurrerat, pedeſtre agmen ducebat. *Huic, equitum ordines* imminebant, torquibus, & *id genus munditie*, propemodum muſicbriter culti. Quini, eodem tramite equitabant. Sequebantur *Ducis Würtembergici* familiares, ſagittis, & alio genere armorum, egregie inſtructi. Tunc *Cardinalis Gurcenſis* aulici, procedebant, *inermes* ii quidem, ſed ad honeſtandam pompam, inſigniter veſtiti. Octingentos fuiſſe *Cuſpinianus* tradit.

profectionis & pompæ ratio:

Data hinc quædam intercapedo fuit progredientibus, vti *parrhipti* Cæſaris, longe omnium generoſiſſimi, tredecim, a totidem ſeſſoribus pueris, nigro amictis habitu, laxius, iuxta & magnificentius, deducerentur. Succedebant, e veſtigio, caduceatores, (*Heroldos* vulgo dicunt) ſuo ipſorum ritu veſtiti, equites ii, quos XII. *tibicinum*, equeſtris itidem chorus, cum duobus tympanis, conſequebatur. Poſtea, antiſtitum ordo ſubibat. Incedebant hic, *Chriſtophorus*, Bremenſis Archiepiſcopus; *Iohannes*, Ratisbonenſis præſul, gente Palatina editus; *Vigileus*, Patauienſis; *Chriſtophorus* antiſtes Labacenſis. Sacrum agmen, *Ludouicus*, Bauariæ, & *Albertus*, Megapolis, duces, claudebant. Poſt hos, ianitores Cæſaris ibant, albicantes virgas, de more, manu præferentes.

CAE-

CAESAR tandem, lectica deferebatur, quam purpura, nigris tæniis interſtincta, operiebat. Eodem habitu, equorum ductores, cum pueris, amicti fuerunt. Latera CAESARIS, dextrum quidem, *Cardinalis Gurcenſis*, purpuram ritu ſuo geſtans, ſiniſtrum, *Angliæ* regis legatus, more gentis ſuæ magnifice cultus, faſtoſiſſime incingebant. Pone hos, nobilium, vtrinque, ſpectatiſſimus ordo, apertis capitibus, lento paſſu, quemadmodum CAESAR vehi volebat, pedibus ingrediebatur. Inſiſtebant a tergo, aulæ proceres, atro omnes veſtitu. Præcipui in his cenſebantur: *Wilhelmus de Rapolſtein*, magiſter curiæ; *Cyprianus de Serentein*, Cancellarius; *Iacobus Willinger*, theſauri præfectus; *Iohannes Schneidbeck*, Auſtriæ Cancellarius, atque reliqua aulæ familiarium cohors. quorum obliterata vetuſtate nomina, nihil iam adtinet recognoſcere. Omnes hi, torques & monilia, ex ingenio ſeculi, gerebant, quibus, liquido ſole, nihil ſpectatu eſſe potuit magnificentius. Vltra hos, *Leonhardus Rauber*, aulæ, *quem vocant*, *Mareſchallus*, familiam, nigris veſtibus, cum præ*texta in brachio* rota purpurea, indutam, ducebat. *Wilhelmus*, hinc, Bauariæ Dux, cum equitum turma, ad omnem culta nitorem, ſuccedebat. Inde *Caſimirus*, Marchio Brandenburgicus, cum familiarium cohorte, rubris veſtibus, & criſtatis pileis conſpicua, ſequebatur. Tum S. R. Imperii Comites, ſubibant: Comes de *Henneberg*, *Montfort*, *Schaunburg*, *Mansfeld*, *Weſterburg*, *Hardeck*, ſuos quisque manipulos, eleganter inſtructos, ductantes. Agmen denique, flos Auſtriacæ nobilitatis claudebat. Hoc ordine, profectus CAESAR, cum a depacta arbore *illa*, *cuius ſupra meminimus*, ad teli iactum abeſſet, Reges quoque, lentis paſſibus, adpropinquarunt.

Cæſar metam congreſſus adtingit:

Præcedebat, immenſa, equitum *Hungarorum*, multitudo, vulgus, *Huſaros* adpellat, *vexillis* rubris albisque, inſtructa. Hos *Moſcouitæ* excipiebant, ex *gentis conſuetudine*, cæruleis veſtibus induti. Hirſuti eis longique, & penduli pilei; arcus & ſagittæ, pro armis erant. *Tartari*, immane genus, vaſto agmine, poſt *Moſcouitas* ibant, tibiis paſſim canentes. Hos iterum, alæ equitum *Hungaricorum*, ſubſequebantur. Cornicinum hinc, atque æneatorum, Regis vtriusque, chorus, alternis canens, procedebat.

Regum adpropinquatio & comitatus:

Hos, promiſcuæ multitudinis ordines, procerum Hungariæ, Bohemiæque, cunei trudebant. Primus *Georgius*, Marchio Brandenburgicus, *Caſimiri* frater, habitu Hungarico, omnium pretioſiſſimo, decorus, equo vehebatur. Proxime ab eo, *Carolus* de Münſterberg, & cum hoc, tres fratres de *Schmihau*, atque *Ambroſius Stherecko*, equitabant. Reliquum agmen, omiſſis, poſt ſingulorum familiares, interordiniis, hi fere explebant: *Michael Palóczy*, Magiſter Cubiculariorum; *Petrus Korlatkóy*; *Franciſcus Orſzág de Guth*, Banus Nándor Albenſis; *Emericus Orſzág*, Magiſter Cubiculariorum regis LVDOVICI; *Iohannes Petheu*, de Gerſe, Magiſter Curiæ ſereniſſimorum liberorum. Item *Stephanus Perény*; *Iohannes Bornemiſza*; *Moſes de*

Bulſay, cum filio *Ladislao*, Magiſtro Curiæ; *Ladislaus de Caniſa*, *Iohannes Bánffy de Lindva*, Pincerna regis; *Iohannes Dóczy*, cubicularius: atque, ingens præterea, nobilium virorum, numerus. Pretioſæ his omnibus veſtes, torques, criſtæ, atque ritu gentis, ſuſpenſæ de collo, tigridum & leopardorum, exuuiæ.

Ludouicus *eques*:

Hic demum LVDOVICVS rex, veſte rubra, multo illuſa auro, conſpicuus, equo inſidens generoſiſſimo, tardis paſſibus, ingrediebatur. Capillus ei decore comtus, promiſſusque, pileus, ad petaſi modum, factus fuit. Claudebant vtrumque latus, Hungariæ Optimates, & nobiliſſimi quique viri, teſtandi obſequii cauſſa, pedites ingreſſi.

Anna *curru vecta*:

Fratrem, ANNA ſoror, comitabatur, amplo, & vltra ſeculi morem, inaurato curru, vecta. quem octeni, niuei candoris, equi, trahebant. Mundum induta fuit, longe ſumtuoſiſſimum. Pone, nobiles pedites ibant, ad nutum principis, intenti. Comitatum omnem, redux, ex primo agmine, *Georgius Brandenburgicus*, & Comes *Petrus de S. Georgio* ac *Pöſing*, & ipſi pedites, moderabantur.

Sigismundus *purpuratus*:

Iam Rex Poloniæ SIGISMVNDVS, ſubibat, purpuram indutus, idemque, inter procerum nobiliſſimos, eosque pedites omnes, medius, eques gradiebatur.

Wladislaus *vltimo, lectica inuehebatur*:

Poſtremo, Rex Hungariæ WLADISLAVS, ad eum modum, ſicuti Cæſar, lectica, rubris ſtragulis, nitidiſſime intecta, vehebatur. Reſpondebat equiſonum cultus, qui paris coloris veſtimento, amiciebantur.

reſiduus comitatus.

Antegreſſos Reges, agminatim præſules, optimates, nobilesque, conſequebantur. Primum in his locum, *Thomas*, Cardinalis Strigonienſis, *ſummus totius negotii* arbiter, tenuit. *Georgius*, Colocenſis proxime ſequebatur. Ibant poſtea: *Georgius*, Quinqueeccleſienſis; *Ladislaus*, Vácienſis; *Michael*, Boſnenſis; & horum, *partim* præpoſiti, partim archipresbyteri. Ex Polonis, *Matthias* Wladislauienſis; *Iohannes* Posnanienſis; *Petrus Premisliensis*; cum iis, Regis, atque reipublicæ, adminiſtris, quos ſupra nominauimus, in pompæ partem veniebant.

Tanta hominum celebritas, dum a metatoribus, ne *quid* temere fieret, iuſtis ordinibus digeritur,

Intonuere tubæ, tympana pulſa ſonant.

§. LII.

Congreſſus ratio:

STabant, pari interuallo, a defixa arbore, hinc CAESAR, illinc REGES. Primus Cæſar, dimoto lecticæ velo, apertus vehi incepit; vt, & a multitudine, futura tantæ rei, ad poſteritatem, teſte, palam ſpectaretur, & Reges, iam iam occurſuros, apertus conſalutaret. Itur interim, pari paſſu, ad deſtinatum locum. Hic vbi conuentum eſt, dextris, cum REGIBVS, & ANNA principe, rite iunctis, CAESAR: *Hæc eſt*, inquit, *dies, quam fecit* DOMINVS, *gaudeamus, exultemus, & lætemur in ea!* Reſpondit SIGISMVNDVS: *Vtinam felix*

Cæſaris lætitia:

Regum reſponſio:

ac

ac fauſtus ſit hic noſter conuentus vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ! Paucula, in eandem ſententiam, WLADISLAVS, Rex Hungariæ, proloquutus, offuſis lacrymis, conticuit. LVDOVICVS contra, equo inſidens, Ludouici *ſalutatio*:
ſicuti inſtitutus fuerat, hilari, venerabundo tamen adſpectu, CAESAREM adloquitur, eumque blandiſſime reſpondentem, diu irretortis oculis, quaſi nequiret eius adſpectu ſatiari, contuetur. ANNA, cum Annæ, *in Cæſarem, comitas*:
præteriueheretur, in curru ſurrexit; altus enim erat; atque obſeruantiam, in Cæſarem, verbis, vultu, & geſtibus, oſtendit. Eodem quo conuenerant, loco, diſceptatum aliquantiſper ab his fuit, qui, *Viennam*, vt iretur, pertinacius obnitebantur. *Fuerunt*, inquit CVSPINIANVS, *nonnulla diſputata ab iis, qui inuiti ibant Viennam, & aliqua mora facta eſt, donec Cæſar, inuitatis principibus, ac regibus, iuſſit ſecure ſecum migrare Viennam. Rex autem Poloniæ, vt eſt ſummæ dexteritatis princeps, ſuis, & Hungaris, dixit: ſub confidentia Cæſaris, quem mihi multi grauiſſimum hoſtem prædixerunt, huc veni, ſub confidentia ipſium ſequar Viennam, quisquis mihi confidit, me ſequatur, ſi quis timet, remaneat. Fratremque cohortatus, Regem Hungariæ, vt tuto ſimul veniret, qui alioquin Cæſarem ſemper amauit. Incunctanter Viennam eundum eſſe concluſerunt.* CAESAR, *intelligens tam promtam in ſe regis Poloniæ voluntatem: Hic, inquit, Rex, me compellit, vt quandoque (r.) vros, ſiue biſontes, amore eius, in venatione videam.* Comi- *ſeſqui hora finito colloquio*:
tio diſſoluto, quod ſeſqui hora durauerat, venatus, in proximo ſaltu, *venationaque inſtituta, in nocturna hoſpitia diſceditur.*
inſtitutus eſt, ceruis aliquot deiectis. Tunc, partitis itineribus, REX Hungariæ, *Trautmansdorffum; Entzesdorffum* SIGISMVNDVS; CAESAR *Laxendorffum*, ſparſo, per vicos, & oppida, reliquo comitatu, diſceſſere.

§. LIII.

Cæſaris & Regum, Viennam ingreſſus:

PLacuit hæc diſtinctius adnotauiſſe, quod hactenus, res ea, ad celebritatem vrbis noſtræ, pertinuit. Diem proximum, quo *Viennam* ingreſſi ſunt, minus celebrem fecit pluuia, quæ leuis primum, denſior deinde fuit. Nihil tamen, ſeu honoris, ſeu feſtæ lætitiæ, omiſſum. Aliquot inde dies, colloquiis, & conſultationibus dati, tandemque ita conuenit, vt WLADISLAI liberi, LVDOVICVS, & ANNA, Auſtriacis, geminato illigati matrimonio, perpetuæ pacis, amicitiæque fœdus, confirmarent. Sunt, qui WLADISLAVM, filiæ coniugium, Cæſari prius obtuliſſe, aiant; ſed qui reſponderit: *Auditum ſibi aliquando ex parente* Friderico, *principi, ætate prouecto, mitius non poſſe* accelerari *mortem, quam ſi ei iuuencula, coniugetur. Itaque conſultius* videri, *vt* Anna, *nepotum alteri, (s.) collocetur.* Ad de- *conſultationes illic habitæ*:
cimum

A a 2

r.) Dicti CAESARIS, eam fuiſſe puto ſententiam: *effecturum, ſua humanitate, Polonum, vt Cæſar aliquando, in Poloniam veniat, atque illic vros, cum rege, venetur.*

s.) Fuere hi, CAROLVS alter, alter FERDINANDVS; ille *quinti*, hic *primi* nomine, poſtea inſignitus: vterque a PHILIPPO, MAXIMILIANI filio, ex Iohanna, *Ferdinandi Catholici*, Hiſpaniæ regis nata, ſuſceptus.

Annæ desponsatio:

cimum Calendas Augusti, qui dies publice sponsalium confirmationi dictus erat, MAXIMILIANVS, vtroque Rege præsente, ANNAE, coronam auream imposuit, & florenti ab ea serto, redonatus est. Hinc ad ædem *D. Stephani* itum fuit: vbi peractis sacris, verba, præeunte Strigoniensi, ANNA, accepto, in fidem, annulo, ita MAXIMILIANO desponsata est, vt intra annum, aut CAROLO, aut FERDINANDO, in manus concederet. Dein LVDOVICO, MARIA, CAESARIS neptis, præsens ipsa, tradita est: lacrymas vbertim fundente WLADISLAO. His peractis, CC. viri, ad cohonestandam pompam, militari dignitate ornati sunt. Inde, ad epulas, ludos equestres, & choreas, discedebatur. Dies reliqui, mutuis congressibus, atque familiaribus conuiuiis, extrahebantur, dum initi fœderis, pacisque rationes, *(t.)* penitus conficerentur. Vltimo, post cumulatissimas honoris significationes, muneribus, a Cæsare, exculti Reges, atque ANNA in primis, d. XXXI. Iulii, Neapolim Austriæ, Cæsare comitante, abiere. Huc vbi ventum est, biduum, augustalibus auocamentis, terebatur. CAESAR, confectis rebus, cum se officio satis functum existimaret, ANNAE quidem, nudo amplexu, nepti MARIAE, osculo impresso, REGIBVS, prolixa amicitiæ significatione, valedixit, *Lintzium*, festinatis itineribus, profectus. Tertia Nonas Augusti, SIGISMVNDVS, a fratre WLADISLAO, inter fraternos complexus, ægre auulsus, Viennam, atque inde, in Poloniam, abiit. Audiamus CVSPINIANVM: *Rex Poloniæ, fratrem* WLADISLAVM, *& nepotem* LVDOVICVM, *ac duas reginulas, valedixit. Post subscriptas, manu sua, & fratris, ac sigillatas litteras, iter ad Viennam resumsit. Rex autem* WLADISLAVS, *cum maximo gemitu ac lacrymis filiam* ANNAM *(u.) salutauit. Ortus est magnus vtrobique eiulatus, hinc pater, hinc filius, hinc filia, etiam adstantibus, lacrymas excusserunt. Coacti sunt consiliarii, vi patrem abducere, qui vna cum filio, eo die, adhuc Sempronium, cum omni sua curia, concessit.* Sed de his satis superque *(v.)* dictum esto.

Ludouici & Mariæ, copulatio:

Vienna, Neapolim itur:

mutuæ hic valedictiones.

§. LIV.

Mortuo Wladislao, *decennis puer* Ludouicus *succedit:*

WLADISLAVS, tota hac solemnitate, vix aliud, præter lacrymas, lætitiæ signum, edidit, quasi imminentis fati præsagus. *Pisonium* certe amplius non vidit. Diem enim suum, anno MDXVI. III. Idus Martii, placide *(x.)* obiit; regnum, & tristissimos euentus, LVDOVICO, relinquens. Orbatum postea, Regum præsentia, *Pisonium*, diu mansit. LVDOVICVM certe, semel admodum vidit,

orbatur inde Regum præsentia, Pisonium:

t.) Formulam, CVSPINIANVS inter actus diei XXVIII. Iulii exhibet, qua fœdus initum, promulgabatur.

u.) Ea enim cum *Maria*, Viennam deducta fuit, vt interim thoro adolesceret.

v.) Qui plura volet, laudati IOHANNIS CVSPINIANI *Diarium*, & RICHARDI PERVSINI *Hodeporicon*, adeat.

x.) Habeo, LVDOVICI regis epistolam, qua parentis fata, SIGISMVNDO Polono, nunciat, eleganter sane, & prolixe, scriptam, in qua morbi, in mortem desinentis, historia, & Regis, in opperiundo vitæ termino, tranquillus animus, expromitur.

dit, cum MARIAE, domum deducendæ, hucusque obuiam progrederetur. Inescarat Regis pueri animum, voluptatum auocamentis, *Georgius Brandenburgensis* Marchio. Præterquam enim, quod venatione & aucupio, non raro adolescentem, extra modum, atque intempestiuius distinebat, auocabatque, ab administrandæ rei publicæ studiis; eo vesaniæ processit, vt præclaram Regis indolem, iisdem rebus contaminaret, quarum sibi perpetua fuit exercitatio. Epulari frequentius, scythissare, ducere choreas, hystrionum, & comicorum nugas spectare, & admirari, inter symphoniacos, plerumque versari, ac dies integros, quandoque & noctes, extrahere, tenerum Regem, egregie condocuerat: gementibus *Cardinale Strigoniensi*, & *Iohanne Bornemissza*, quibus pater, LVDOVICVM, formandum educandumque, moriens commendauerat, quod pessimis *Georgii* institutis, nequiuerint contraire. Plures, inter eas corruptelas, annos, Rex adoleuerat, tempore, ob Turcarum impressiones, omnium periculosissimo, cum SIGISMVNDVS, *vt morum* illa inquinamenta, a patruele amoliretur, auctor eidem exstitit, ne MARIAM sponsam, matrimonii iure domum ducere, ANNAM vero, in manus FERDINANDI tradere, cunctaretur. Placuit, ea *Poloni* suasio, cum proceribus aliis, tum *Bornemisszæ* cum primis, qui tenerum Regem, ab otiosis & inanibus voluptatibus, ad rem publicam, scrupulosius administrandam, reuocare nitebantur. Re, FERDINANDO nunciata, vtriusque nuptiæ, *Lincii*, tenuiore, quam pro regum dignitate, pompa, ob imminentis belli Turcici tempestatem, anno MDXX. mense *Iunio*, concelebratæ sunt. Aberat ab ea solemnitate LVDOVICVS. Itaque, *missis arbitris*, MARIAM, secundo Danubio, *Pisonium* deuehendam curauit; vbi eam pluribus diebus, opperiebatur. Editis heic quoque lætitiæ quibusdam signis, simulacrum nuptiarum, regio comitatui, exhibitum est. Quantacunque solemnitate peracta, Rex, cum coniuge, *Pisonio* mouens, per mediam *Cituorum insulam*, ab *Ambrosio Sárkány*, munificentissime habitus, *Budam* proficiscitur. Reliqua LVDOVICI ætas, domi forisque, inquieta cum esset, & hic, suorum factionibus, alibi, bello Turcico, infesta, nihil ab eo, in vrbem nostram, eximii beneficii, redundare potuit: diminutam certe, post *Mohácsianam* cladem, iam iam adnotabimus. Cæde enim audita, tametsi nondum satis comperto Regis interitu, MARIA, optimatum suasu, Buda, *Pisonium* fuga euasit, vt hinc, funestissimi prælii euentum specularetur. *Regina*, inquit ISTVANFFYVS, *(y.) cum Iohanne Antonio Burgio, legato Pontificio, ac* Thoma *episcopo Weszprimiensi,* Alexio Turzone, *ac* Iohanne Bornemisza, *nondum quidem satis comperto regis interitu, sed id, quod erat, multis indiciis suspicata, trepide se* Posonium *recepit, rerum suarum, maiori parte nauibus imposita, aduersoque flumine, vehi iussa.* Simul regina, metu, atque acerbissimo dolore, iuxta perculsa, *Pisonium*, cum fugæ comitibus, subiit, tota vrbe, trepidari cœptum est. Placuit

Ludouicum, semel vidit:

eius indoles a Georgio deprauatur:

suasu Sigismundi *patrui, nuptias adsmaturat:*

quæ absente Ludouico, *Lincii celebrantur:*

Maria, *secundo Danubio,* Pisonium, *vbi eam* Ludouicus *opperiebatur, aduehitur:*

nihil a Ludouico, *in vrbem nostram, profectum:*

eo casu, regina, Pisonium *confugit:*

y.) Lib. IX. p. 132, 25.

vrbs, ea tempestate, duobus templis parochialibus:

his, penes quos tutandæ vrbis, & præsidii potestas fuit, vti, quidquid ædificiorum, mœnia propius contingeret, sacra sint, vel profana, solo id æquaretur, vt hosti, si capta iam *Buda*, vrbem inuaderet, difficilior reddi posset oppugnatio. Tria, ad eam vsque ætatem, *Pisonio*, templa *parochialia*, fuere: In his princeps, *S. Martini*, hodie inauguratione Regum insigne: alterum *S. Michaelis Archangeli*; tertium *S. Laurentii Martyris*, extra pomeria vrbis, proxime, ad portas cognomines, adsita. Hæc ergo, admotis operis, in ea rerum perturbatione, opinione celerius, deiiciuntur, rudus, moenibus sarciendis, magna festinatione, adhibetur. Idem casus, duo *Xenodochia* prostrauit, alterum *S. Antonii Religiosorum Hospitalariorum*; alterum *S. Ladislai*, cuius procuratio ad vrbis magistratus pertinuit. Diffugerant, eodem pauore perculsæ, moniales *S. Claræ*, vacuo, post se relicto, cœnobio. Itaque, ne profanis vsibus sacrum ædificium contemeraretur, FERDINANDI, iam rerum potiti, iussu, *Xenodochiorum* alumni, isthuc illati fuere: dum, eiusdem Regis prouidentia, & pauperes suis sedibus, & sacræ Virgines, cœnobio, postliminio redderentur. Et pauperum quidem familiæ, domus, quæ ad ædem *S. Laurentii* pertinuit, eodem *S. Ladislai* nomine, destinata, breui, ad eum modum instructa fuit, vt alumnos quiret accipere. Sed alterum, *S. Antonii hospitale*, ingens hæc temporum iniuria, prorsus obliteraruit, vt iam vestigium eius instituti, ignoretur. Præter sacras ædes, ciuium quoque habitationes, ad glandis plumbeæ iactum, circumquaque, paucarum dierum interuallo, derasæ fuerunt, ne essent, hosti imminenti, *receptaculo*. Hodie, quæ est temporum, sub CAROLO VI. fortuna, non ædes modo sacræ, quæ tunc conciderunt, molibus, ad seculi nitorem factis, alio atque alio nomine, consurrexerunt; sed ipsa etiam fossarum, quæ muros *incingunt*, labia, solidis non minus, quam *venustis domibus*, inædificantur. *Feliciter!*

duobus item Xenodochiis, diminuitur:

derasæ ciuium quoque ædes:

quæ singula, hodie resurgunt multo magnificentius.



CA-

CAPVT IV.

PERIODVS PISONII AVSTRIACA,

Siue,

De Fatis Vrbis, sub Regibus Austriacis.

SYNOPSIS.

Pisonium, *post* LVDOVICI *interitum*, Ferdinando *adseritur: comitia, a* MARIA *vidua, & Palatino*, Pisonium *indicta: abrogato Iohanne*, FERDINANDVS *absens, rex declaratur: regii thesauri reliquiæ*, Pisonium *delatæ*, ANNAE *adtribuuntur: prima Pisonienſium, in Austriacos reges, fidei testificatio.* §. I.

FERDINANDI *in Hungariam aduentus: salutatur ab his, qui eum Pisonii opperiebantur: iureiurando Hungariæ se obstringit: Budam occupat; Albæ, rite inauguratur: Mariæ, apud Pisonienses, hospitium, & abitus.* §. II.

Solymanno, *Viennam obsidente*, Pisonium, *intemeratum mansit: quid ad liberandam Viennam, momenti* adtulerit: *Turcis demigrantibus, ab obsidione, nihil quidquam hosti in vrbem licuit.* §. III.

Post Solymanni fugam, quid in Hungaria gestum sit? Pisonii, *proceres coeunt: cur? eorum, ad Zápolytanos, litteræ:* §. IV.

FERDINANDVS *venit Pisonium: eius, ad animos alienatos, litteræ: pauci fructus, ob hostium vicinitatem: procerum noua, ad populares, epistola: eius efficacitas.* §. V.

Strigonii obsidio, classem Pisonienſem *pessumdedit: rei gestæ historia.* §. VI.

Belli, aduersus Solymannum, *adparatus: delectus, ab Hyppolyto Cardinali, sumtu Pontificis, instituti* Pisonii: *eius, litteræ: & aliæ, in eandem rem, Cancellarii, & Consiliariorum: irrita, tanti moliminis, expeditio, & cur?* §. VII.

Pacis inter FERDINANDVM & IOHANNEM, *tractatio*, Pisonii *cœpta: quibus arbitris: sine successu meliore: pace demum Vaczouiæ, denique Varadini, confirmata.* §. VIII.

Nihil quidquam postea, dignum commemoratione, præter comitia, gestum Pisonii *est: sit Archiepiscopi sedes: atque ærarii regii:* FERDINANDI *in vrbem, benignitas: fisci vrbani, quæ tunc fuerit opulentia.* §. IX.

Piso-

Pisonii, *sub* Maximiliano, *fortuna: eius inaugurationis, monimentum: noui, ad bellum adparatus: octennalibus induciis, terminati.* §. X.

Sedato bello extero, domi, noua rerum perturbatio, instruitur: consopita a Cæsare: eius, in Pisonienses, *propensio.* §. XI.

Rvdolpho *rerum potiente, quomodo se* Pisonium *habuerit? terræ motu percellitur: adfligitur pestilentia; nouoque iterum terræ motu: mox & funesto incendio; quod, verbis* Istvanffii, *describitur: Bocatii, de eo, poema.* §. XII.

Nouæ bellorum clades: ob vicinitatem, Pisonienſibus *formidatæ: vrbis, reiectis hostibus, incrementa: an nouis terræ motibus, tentatum sit* Pisonium? §. XIII.

Seculi XVII. exordium, pacis indigum: hanc Turcæ offerunt: fraudem, Christianis, moliti: Nicolai Pálffii *mors, & funus.* §. XIV.

Triennalis vrbis tranquillitas: terræ motus, & pestilentia: mox & gemino incendio, funestatur: Botskaianæ *seditionis initia.* §. XV.

Eius incrementa, damnosa Pisonio: *Bastæ, ad vrbem, cum exercitu, & colluuione alia, aduentus: quanto ciuium damno: eorum, in Cæsarem, fides: exercitus inquies.* §. XVI.

Pisonienſium, *ea æstate, mala:* Botskaianorum *incursus: atrox cum iis, pro vrbe prælium: iterata hostium impressio: pars suburbiorum incensa: hostes, ad internecionem deleti: minæ,* Valentini Hommonay. §. XVII.

Pace conciliata, refouetur Pisonium: *fraterna inter* Rudolphum, & Matthiam, *dissidia,* Pisonii *incipiunt: tantæ rei causſæ: & administri: fœdus, Hungaro-Austrio-Morauicum: expeditio, in Bohemiam suscepta:* Matthias, *coronam Hungariæ,* Rudolpho, *extorquet: eaque,* Pisonii *inauguratur: fit coronæ sedes* Pisonium. §. XVIII.

Matthiae, *in colenda pace, studium:* Illyésházii, *Palatini mors: comitia Pisoniensia:* Rudolphi, *aduersus* Matthiam, *querelæ: conciliata, inter vtrumque, concordia, & huius leges.* §. XIX.

Dissuitur eadem, & qua occasione: Matthiæ, *in regem Bohemiæ, inauguratio: legatio ad eum Turcica: Transiluanica: noua apud* Pisonienses, *comitia: Transiluanicæ turbæ, Hungariam, metu belli, percellunt:* Matthiæ *vigilantia: Achmetis, ad eum, feroces litteræ: Hungarici legati, illuc missi: eius comitii sententia: noui Turcarum oratores: ex pacis studiis,* Pisonii *celebritas.* §. XX.

Pax, cum Turcis, Viennæ redintegrata: quibus administris, atque conditionibus: Tyrnauiensis, *cum* Bethlenio, *concordia: leges: & arbitri.* §. XXI.

Quæ, ex gemina pace, in vrbem nostram, commoda, redundarint? Matthiæ, *de successore, tempestiua sollicitudo: Tschernini, ad Turcas, legatio: annus* 1616. *summis quibusque viris, fatalis:* Georgii Homonnay, *in Bethlenium molitiones: quomodo a Bethlenio: & Ordinibus acceptæ?* §. XXII.

Pisonii *res tunc obscuræ: Tschernini reditus: successionis* Ferdinandeæ *negotium conficitur: inauguratio* Pisonii *facta; haud sine omine: motuum Bohemicorum exordia: Cæsar, Molartum, Constantinopolim, legatum mittit: eius illic, cum Bethlenianis, concertatio:* Matthiae *mors: moti a* Bethlenio *tumultus, & eorum initia, atque incrementa.* §. XXIII.

Abest tunc ab Hungaria, Ferdinandvs, *ob imperialem inaugurationem: procerum, de sedandis motibus, rege adhuc absente, consultatio: nuncios, cum litteris, ad* Rédeyum *mittunt: eius, responsum insolens:* Bethlenius, *ex superiore Hungaria, cum exercitu, mouet: in vrbis nostræ conspectum venit: procerum, qui hic erant, sollicitudo: suppetiæ a Bouquoyo missæ: a Bethlenio, facta, in suburbia, impressione, conciduntur: arx, & vrbs, eidem traduntur:* Bethlenianæ *supplicationes: epulæ, & fastus.* §. XXIV.

Bethlenius, *sedem belli, in Austriam,* Pisonio *transfert, Viennamque territat: Hungari,* Haynburgenses *cædunt: iterumque, a Bouquoyo, & Dampierio, cæduntur: eadem* Rákóczii, *in Hungaria superiore, fortuna:* Bethlenius, *ab Austriaca expeditione,* Pisonium *redux, comitia indicit:* Ferdinandi, *aduersus eum, expostulatio.* §. XXV.

Bethleniani *comitii, frequentia: actus iniquissimi: verbis Bethleniani diplomatis, expressi: induciæ, sub eodem comitio, initæ: tabularum, quibus perscriptæ sunt, argumentum: ratas habet* Ferdinandus: Bethlenius, *quid de se, dato Cæsari diplomate, pollicitus sit?* Ferdinandi, *Augustalis in eum, munificentia.* §. XXVI.

Fœderis Bethleniano-Bohemico-Austriaci, historia: leges, & sancita mutuo, auxilia. §. XXVII.

Tabulas fœderis, Emericus Thur-

Thurzo, *ad* Fridericum, *in Bohemiam, defert: redditque Bohemiæ ordinibus, in solemni comitio: illic, magna adprobatione firmatas, refert in Hungariam:* Pisonii, *sub tempus induciarum, & moto, iterum bello, fata:* Dampierii, *in profligando* Bethlenio, *conatus: redduntur irriti: eiusdem in proposito, pertinacia:* Pisonium *oppugnat, mox & arci adsilit: glandeque plumbea prosternitur: præsidiariorum, in repertum cadauer, sæuities: oppugnationis ardor.* §. XXVIII.

Bethlenius, *ad Kőszögum, insigni clade adfectus, ad Bottyánum venit: exercitum* Pisonium *reducit:* Dampierium, *castrensi ritu effert: Bohemorum clades, perturbat consilia Bethlenii: is, Coronam,* Pisonio *abducit.* §. XXIX

Extorquendi, a Bethlenianis, Pisonii, *consilia: quibus rebus impedita: expeditaque fuerint:* Bethlenius, *de pace, cum* Ferdinando *agere incipit: conatu irrito: Bethlenius,* Pisonium, *validiori præsidio, communit: Dévénum; & Bouquoy stationes, infestat: a Tartarorum Chamo, litteras accipit: eique respondet, præter Christiani principis decus: Hungarorum, a Bethlenio alienatio.* §. XXX.

Bello, in Bethlenium *decreto,* Pisonium, *a Bouquoyo obsidetur: vrbs deditione: arx tridui oppugnatione, capitur:* Bouquoy, *ad obsidendum Vyvarinum profectio: & interitus.* §. XXXI.

Pisonium, *obsidione denuo cingendum statuit* Bethlenius: *ciues Pisonienses a Cæsarianis, armis exuuntur: suburbiis simul exustis: oppugnationis exordia: feruor: obsessi erumpunt: noua in hostes eruptio, successus egregii: clade accepta, aggeres deserunt* Bethleniani. §. XXXII.

Obsidione relicta, Cæsarianos, e castris prolicere studet Bethlenius: noua, de pace, consilia agitat: Niclasburgensis *hinc pacificatio sequitur.* §. XXXIII.

Ferdinandvs, *coniugem* Eleonoram, *in Sempronienſibus comitiis, inaugurari curat: redit Pisonium, sacrum Hungariæ diadema: noua, a* Bethlenio, *seditio commota: & huius prætextus: incrementa: grassationes, quadripartito susceptæ: infelix Cæsarianorum expeditio: quos ad Gödingam,* Bethlenius *arctissime obsidet: postea, fame enectos, adoriri parat: conatu irrito: adseruntur in libertatem: eius rei occasio: induciæ, cum Negromontano, initæ: noua, tractandæ pacis, tentamina:* Pisonium, *præsidio firmatum.* §. XXXIV.

Pax

Pax tandem conciliatur: sed infida: Mansfeldii, *in Hungariam aduentus: noui belli exordia:* Bethlenii *dolus: Zrinii mors.* §. XXXV.

Wallensteinii *otium: de belli summa, consilium: Eszterházii, aduersus* Mansfeldium, *expeditio: Cæsarianorum clades: Mansfeldianis vices redditæ: induciæ semestres: Mansfeldii abitus: pax tertium redintegrata, & huius leges: confirmatur a Transiluaniæ optimatibus.* §. XXXVI.

Pacis eius fructus, redundat ad Pisonium: Bethlenii *mors: quæ inde Transiluaniæ conuersio sit sequuta:* Rákóczius, *rerum potitus, belli quidpiam mouet: pace terminatum:* Pisonii *accessiones, & vnde factæ.* §. XXXVII.

Pisonii, *quid postea gestum? pacis Turcicæ, redintegratio: Turcarum ferocia:* Suecici *belli metus: Hungaros ad arma prouocat: Turcicis impressionibus reuocatos.* §. XXXVIII.

Noua, Rákóczii *seditio: eius incrementa: Cæsaris obluctatio:* coactus *ad* Pisonium, *exercitus:* Rákóczii *trepidatio:* Cæsariani, *Cassouiam obsidione cingunt: tractandæ pacis occasio, hinc enata:* Rákóczii *dolus malus: Cæsarianorum clades.* §. XXXIX.

Quæ hinc, Cæsaris, & Rákóczii fuerint consilia: noua pacis tractatio: redditæ Rákóczianis, vices: legatorum eius postulationes: pacem remorantur. §. XL.

Redit in Hungariam Rákóczius: *Suecis opem laturus, pace retrahitur: eamque migrat iterum, missis,* Thorstensohnio, *auxiliis:* Pisonii, *a Suecis, infestatio: confirmatur in fide Cæsaris, a Palatino: & Leopoldo Wilhelmo Archiduce:* Duglassus, *cum Transiluanis, Tyrnauiam occupat: & amittit: noua* Rákóczii, *in Hungariam, expeditio, & coadunatæ, cum Suecis, copiæ.* §. XLI.

Pisonienſium *pericula, & in Cæsarem fides: pax, cum* Rákóczio, *redintegrata: & publicis comitiis,* Pisonii, *stabilita: vrbis nostræ incendium: quid portenderit:* Ferdinando III. *filius* Leopoldvs *succedit.* §. XLII.

Turcarum impressiones: vrbem nostram haud contemerant: antequam in apertum bellum erumperent: acceptæ hinc cladis Pisonienſium *historia, altius repetita: Cæsarianorum in auerruncando bello, torpor.* §. XLIII.

Christiani exercitus paucitas: bellum in neruum, frustra, obnitente Goesio, erumpit: Hungari, & in his Pisonienſes, *ad arma, conuocati:*

vrbicorum, in eam expeditionem, adparatus: profectio, & totius prouincialis exercitus, lustratio. §. XLIV.

Vezirius, *Strigonium, magno cum exercitu, venit:* Pálffyus, *in easdem consilii rationes,* a Forgáchio, *illicitur: adsentiuntur prouinciales quoque: sera mox pœnitentia ducti:* Pálffii, *in eos, inuectiua: Vagum traiiciunt* Pisonienses, *a* Forgáchio, *ad Tardos-Keddum, accepti: eius, ad milites, oratio: prouincialium susurri: in hostes profectio: eius ordo, atque numerus cohortium: militum, in nocturna statione, fremitus: speculatorum indicia:* Forgáchium *permouent, vt receptui canat: contrait* Pioius: *cæleste ostentum visitur.* §. XLV.

Edicit profectionem Forgáchius: *hostis propinquitate, perturbatus, militem adloquitur: nomen* Iesvs, *a nostris inclamatum: nostri, hostem adgrediuntur: pugnæ ratio: funestus euentus: Christianorum atrox cædes: cæsorum numerus.* §. XLVI.

Quæ hinc calamitates sint consequutæ: Montecuculii *peruigil solertia: denuo euocantur ad arma Hungari: eorum excusationes:* Pisonienſium *accusatio: æquissimis rationibus, emollitur: Turcarum, obsesso* Vjvarino, *atrox, in prouinciam nostram, impressio: Lingoii, salutaris* Pisonii, *captiuitas: Montecuculus,* Pisonium, *exercitum subducit: Oroszvárum mox transgressus, adhuc* Pisonio, *præsidiarium militem repudiante: acceleratum inde vrbi periculum: frustra, a Montecuculo, implorant* Pisonienses *auxilium.* §. XLVII.

Quæ post captum Vjvarinum, Pisonii *fortuna fuerit: Cæsarea, post initam pacem, ad Turcas, legatio:* Veselenii, *de eadem pace, querelæ: & iacta, nouarum rerum, semina.* §. XLVIII.

Sequutorum hinc temporum, calamitates: Pisonienſium *mala: in Cæsarem fides intemerata: succumbunt Tökölianorum furori: rei gestæ historia:* Tökölii, *ad* Pisonium, *clades: hostium fuga & cædes.* §. XLIX.

Reliqua Pisonii mala: finem iis, Viennæ liberatio, adtulit: fœderatorum, in hoste insequendo, cunctatio: eorum, ad Pisonium, *statiua: Regis Poloniæ, in vrbem aduentus: Cæsariani, ad Vagum profecti: victis prælio hostibus, Strigonium capiunt.* §. L.

Vrbis nostræ, facta eo bello, accessiones: Rákóczianæ *seditionis mala: insignis ciuium, erga Cæsarem fides: redeunt vrbi, sub* Carolo VI. *sua halcyonia: capitis huius epilogus.* §. LI.

§. I.

§. I.



Pisonium, post Ludouici *interitum,* Ferdinando *adseritur:*

Vdovici II. interitus, vti Hungariam, mirum in modum confudit, diuersissimarum partium studiis; ita, Pisonivm, incorruptum adhuc, immo alienum a factionibus, Ferdinando I. adseruit. Nam, cum regni pars, si non potior, maior tamen, Iohannis *de Zápolya* rationibus se innexuit; *Pisonium* nostrum, ea fuit palæstra, in qua, pro successione Austriacorum, a saniore optimatum comitio, iustissimis rogationibus, decertatum est. Diximus, vulgata cladis Mohácsianæ fama, isthuc Mariam fugisse, partim, vt se periculo subduceret; partim, vt, si quid accideret, quo Ferdinandi fratris iura labefactari sentiret, id, per celeres nuncios, ad eum, in Bohemia agentem, perferri curaret. Et, *accidit sane*, vt, inualescente Iohannis factione, ante is quidem in regem inauguraretur, quam Ferdinandvs, de vindicando sibi, ex connubii pactis, regno, *cogitationem* susciperet. Mox, fama inaugurationis *Zapolyæ* dicta, ne quid longiore mora peccaretur, regina, missis, longe lateque, litteris, quibus *Stephanus Báthory, Palatinus,* suas coniunxerat, Status & Ordines, *Pisonium*, ad comitia, euocat. Confluxere, tanta frequentia proceres, *(a.)* quantam, in ea calamitate, vix sperauisses. Aderant nobilium quoque non pauci, & Liberarum vrbium quarundam, legati. Simul conuentus iniit, *Palatinus,* cui, inueteratæ simultates, cum Iohanne intercedebant, id ante omnia egit; vti, nupera eius inauguratio, publico comitio, irrita pronunciaretur: Ferdinandvs contra, æquissimis suffragiis, legeretur in regem. Quod & ita euenit; nam, Iohannes quidem, vitio, rex creatus; Ferdinandvs contra, absens adhuc, legitimus Rex Hungariæ, mira præsentium lætitia, declaratur. Tunc, & regii thesauri *(b.)* reliquiæ, quas *Iohannes Bornemissa,* nuper febri exstinctus, & *Alexius Thurzo*, Buda, cum fugiente regina, *Pisonium* aduexerant, Annae, sorori Lvdovici, & vxori Ferdinandi, adtribuuntur. Prima hæc *Pisonienſium* in *Austriacos Reges*, propensæ voluntatis, significatio fuit, eo quidem opportunior, quo pauciores aderant, qui vrbanis suffragiis, Ferdinando, velificarentur.

comitia, a Maria *vidua, & Palatino,* Pisonium, *indicta:*

abrogato Iohanne, Ferdinandus *absens, Rex declaratur:*

regii thesauri reliquiæ, Pisonium *delatæ,* Annæ, *adtribuuntur:*

prima, Pisonienſium, in Austriacos *Reges fidei testificatio.*

§. II.

Ferdinandi, *in Hungariam aduentus:*

Hæc, anno MDXXVI. mense Decembri, *Pisonii* gesta fuisse, annales referunt. Vsus, ea Hungarorum fide, ac propensione, Ferdinandvs, cum exercitu, adulta iam, anni se-

a.) Eorum nomina Istvanffvvs exhibet, Lib. IX. p. 137.

b.) Eadem fuga, Ecclesiæ quoque sacer thesaurus, *Pisonium* deportatus, duobus hic seculis custodiebatur, dum, adnuente Rege, ante lustri, & quod excurrit, interuallum, *Budensibus* restitueretur.

quentis, æstate, ipso die *S. Iacobi*, in Hungariam venit; sed *Pisonium* tunc non adiit. Ergo, qui isthic, e proceribus, nouum regem præstolabantur, facto militari agmine, ad eum consalutandum, ex vrbe prodeunt. Castra is, inter *Köptsenium* & *Laytham* amnem, patentibus campis, metaturus ferebatur. Huc, vbi *Palatinus*, cum insigni procerum, atque nobilium, manu, venisset, *Thomas Szalaházy*, antistes Veszprimiensis, FERDINANDO, publico nomine, & regiæ dignitatis fastigium, & auspicatum, in Hungariam, aduentum, gratulatus est: commendatoque ei regno, impensius rogauit, vti, interposito iurisiurandi sacramento, vetera gentis priuilegia, atque in his, *Decretum* ANDREAE Hierosolymitani, sarta tectaque se habiturum, sponderet. Id, cum nihil quidquam cunctatus, peregisset; edito, per castra, plausu, atque displosis tormentis, iterum iterumque, REX Hungariæ, salutatus est. Suscepta, *Budam*, cum exercitu, profectione, quidquid ob iter, vrbium arciumque, occurrit, in fidem recipit; quin *Budam* ipsam, decedente Iohanne, sine cæde, occupat. Toto illic bimestri morabatur, rebus ordinandis, vnice intentus. Mox *Budam* comitia indicit, IOHANNIS sequaces, seuero edicto, reuocat, tandemque *Albæ*, *Perénio*, coronam commodante, Nonis Nouembribus, ingenti procerum hilaritate, a *Paullo Vardano*, Archiepiscopo Strigoniensi, inauguratur. Dum hæc illic geruntur; MARIA, quæ, cum *Alexio Turzone*, & *Nicolao Oláho*, salutandi fratris gratia, *Ovárinum* vsque, suæ ditionis oppidum, progressa fuerat, *Pisonium* *(c.)* redit; siue, quia ita FERDINANDVS voluit, siue, quia *Pisonienses* capta hospitio, haud poterat fortunam belli, quod coortum postea est, tutiore loco, speculari. Id, non reperio, quam diu hic MARIA resederit. Ita vero existimo, perpetuam ei sedem isthic fuisse; dum *Solymannus*, ad obsidendam *Viennam*, cum exercitu aduentaret. Tunc enim, digressam hinc, *facile est augurari*. Abiit vero, *(d.)* *Lincium*, atque hinc, anno MDXXX. in Belgium, a Cæsare CAROLO V. ad gubernandas eas prouincias, euocata.

salutatur ab his, qui eum Pisonii *opperiebantur:*

iure iurando Hungariæ se obstringit:

Budam occupat; Albæ, rite inauguratur:

Mariæ *apud Pisonienses hospitium, & abitus.*

§. III.

SOLYMANNO, ad obsidendam Viennam, immani cum adparatu, profecto, *Pisonium*, inaccessum hosti mansit: vel, quod proficiscenti, vlteriori amnis ripa, obiiciebatur; vel, quia capta Vienna, quidquid vrbium, tota Hungaria, supererat, sine vllo exercitus dispendio, capi posse, confidebat. *Budenses* profecto mercatores, eius aduentu, & nuperæ cladis memoria, exterriti, cum aliorsum, tum in primis, *Pisonium* *(e.)* confugisse, certum est. Itaque, cum ab iniquissimo hoste, vrbes reliquæ, euastarentur; nostra hæc, quasi a tutelari quodam numine, protecta, vicinis erat perfugio. Non

Solymanno, *Viennam obsidente*, Pisonium, *intemeratum manet:*

s.) ISTVANFFYVS Lib. IX. p. 138, 35.

d.) Idem, Lib. XI. p. 173, 21.

e.) Conferatur ISTVANFFYVS Lib. X. p. 156, 27.

Non modo autem intemeratum mansit *Pisonium*; sed multum etiam momenti, ad liberatam obsidione *Viennam*, adtulit. Præfuere tunc arci, & vrbi, cum *idonea* præfidiariorum manu, *(f.)* *Iohannes Szalay*, & *Lupus Oeder.* *(g.)* Hi, non modo stationes suas, in ea trepidatione, cum regionem vniuersam hostis offunderet, atque impune euastaret, pro sua virili, mascule tutati sunt; sed classem etiam Turcicam, grandiores machinas, obsidenti Viennam *Solymanno*, subuehentem, magna clade, adfecerunt. Recitabimus rem, verbis PAVLLI IOVII: *(h.)* *Quum Solymannus*, inquit, *muralibus careret tormentis, ad id oppugnationis genus*, (actis cuniculis fundamenta subrui curabat) *via rectior, & potior, videbatur; vel ob id præsertim, quod, magno Viennensium commodo accidit*, Wolffgangus Hoder, *Posonio exiens, cum iusto tormentorum adparatu, expeditisque copiis, subeuntem, aduerso flumine, Turcarum classem, eo euentu adgressus fuerat, vt multa nauigia minora, demergeret, & lintres aliquot magnos, quibus maiora tormenta, ad oppugnationem mœnium subuehebantur, perforaret, atque demergeret, & Turcæ, amissis pluribus e numero sociorum naualium, multisque militibus, qui classi præsidio impositi fuerant, interfectis, insigni clade, adficerentur, paucisque suorum amissis*, Wolffgangus, *Posonium, victor rediret. Reliqua tamen barbarorum classis, vbi Viennam peruenit, primo impetu, pontes omnes, præcidit & diruit.* Hactenus IOVIVS. PETRVS de REWA, *(i.)* *Oederum*, præter rem, *classis præfectum*, pugnam autem, *nauale prælium*, adpellat. Neque enim classis, quæ nulla tunc *Pisonii* fuit; sed arcis, cum collega, *Iohanne Szalay*, vrbisque præfectus, a FERDINANDO isthuc collocatus fuit: prælium autem, non nauale is quidem, sed ripense, instituit. Præterquam enim, quod partim ex arce, partim ex vrbe, destinatis tormentorum ictibus, præteruectam classem hostium pulsarit; machinas, in insula, quæ vrbi obiacet, egestis e terra *suggestibus*, *ita* dispositerat, vt naues, aduerso flumine enitentes, globis emissis, ex *facili* potuerit transverberare. Quidquid eius sit, ponendum id est in felicitate *Pisoniensium*; quod, & *ipsi intacti* ab hoste mansere, &, saluti fuere Viennensibus, tyranno, alioquin, succubituris. Tametsi enim, *non ignoro*, varias, a scriptoribus caussas, solutæ obsidionis adferri; atque in his, eam præcipue, quod *Ibrahim*, purpuratorum SOLYMANNI princeps, serio rem haud gesserit, CAROLI CAESARIS, a quo muneribus euictum aiunt, fauorem demeriturus; tamen, prorsus existimo, muralium *(k.)* machina-

quid ad liberandam Viennam, momenti adtulerit:

f.) ISTVANFFYVS, Lib. X. p. 164.

g.) Fuit is ex gente, quæ iam *Comitum* ab OEDT, axiomate insignis est: vti mihi eius gentis decus, IOH. HENR. CHRISTOPHORVS ab OEDT, S. C. R. Maiestatis a Consiliis Aulicis, adseuerauit.

h.) Historiarum sui temporis, Lib. XXVIII. p. 287. *vbi* vitiose, pro *Oedter*, *Hoder*, legitur. Vtimur editione, *Basileensi*, A. 1567. forma *oct.*

i.) In Corona Regni Hung. Cent. VI. p. m. 72. Adnotauit hæc, ERASMVS FRANCISCI, in Germanico Tractatu, quem de *Obsidionibus Viennæ*, conscripsit, p. 127. seq.

k.) Nobiscum faciunt, plerique omnes scriptores, qui obsidionem hanc descripserunt, BESOLDVS, LEVENCLAVIVS, RIBISCHIVS, & ex nostris ISTVANFFYVS.

chinarum inopiam fuiſſe, quæ irritum fecerit laborioſæ oppugnationis ſucceſſum: id quod *Piſonienſibus* præſidiariis, iuxta & ciuibus, in acceptis ferendum; nunc vero, cum vrbis fata decoraque, expromimus, ſilentio inuoluendum haud eſt. A ſpe occupandæ vrbis deiecto SOLYMANNO, cum properata fuga, incenſis caſtris, demigraret; ea denuo vrbis noſtræ fortuna fuit, vt nihil in eam licuerit, furibundo, & ſanguinolento hoſti; credo, quod tyrannus, ſuæ, & exercitus, quem obſidio adtriuerat, ſalutis, quam alienæ cladis, ſtudioſior eſſe didicit. Diſerte HENRICVS RIBISCHIVS, *(l.)* qui in vrbe, obſidionis difficultatem, tolerauit: *Ipſe Cæſar, cum ſuis celerrime, reliquus exercitus, lento ſane gradu, vrbem, cui a ponte nomen eſt, ad Laitham fluuium ſitam, atque eius ſuburbium illæſum, præterierunt. Altenburgum vero, magno præſidio, occuparunt*: PRESBVRGVM *neglexerunt. Atque ita fugam corripuere, vt ego audiui, Budam vsque, & porro Belgradum.* Non ergo, per ripam Danubii, fugam, SOLYMANNVS tenuit, dum *Altenburgo* adpropinquaret. *Piſonienſes* fugientem non minus, quam ad obſidendum proficiſcentem, armati, & per vigiles, opperiebantur. Præceperant id animo Turcæ ipſi, ſe, & claſſem, cum impedimentis, & re tormentaria, in fugam coniicientes. Ita habet ISTVANFFYVS: *(m.) Claſſis*, inquit, *ſecundo Danubio deſcendit, eo conſilii decreto, vt inſulam, quæ e regione* Piſonii, *medio in flumine iacet, citeriore in ripa, curſum tenendo, celeriter præterueheretur, ne a* IOHANNE SZALAYO, *&* LVPO OEDERO, *loci præfectis, ſicuti eundo Viennam, ita in deſcenſu, aliquod detrimentum pateretur.* Hæc ille. Credo, eadem virtute, animis certe maioribus, carpſiſſe fugientem claſſem *Poſonienſes*, qua conuulſerant aſcendentem.

Turcis demigrantibus ab obſidione, nil quidquam hoſti in vrbem licuit.

§. IV.

TVrpi hac tyranni fuga, annus MDXXIX. nobilitatus eſt. Vt tamen, ſuſceptæ, tanto conatu, expeditionis, qualecunque pretium operæ feciſſe putaretur, cum *Budam (n.)* veniſſet, *Solymannus*, IOHANNEM, regem Hungariæ, conſtituit, datoque diplomate beneficiarium, fratrem & amicum adpellauit, adiunxitque ei *Grittum*, vt, mutuis conſiliis pararent, quæ confirmando regno, opportuna viderentur. Ea *Gritti*, ad clauum reipublicæ, admiſſio, funeſtis poſtea caſibus, Hungariam permiſcuit. Qui hinc ſequuti ſunt anni, mutuis, inter FERDINANDVM, & IOHANNEM, cladibus deterebantur; fruſtra inducias quærente, apud Tyrannum, FERDINANDO. Proin-

Poſt Solymanni *fugam, quid in Hungaria geſtum ſit?*

l.) In Epiſtola, ad HENRICVM STROMERVM AVERBACHIVM, Medicum & Conſularem Lipſienſem, A. MDXXIX. d. XXII. Nouemb. Wratislauia exarata, excuſa autem *Lipſiæ*, A. MDXXX.

m.) Lib. x. p. 164, 34. IOVIVS, l. c. p. m. 293. *Claſſis, totis Danubii ripis, omnes commeatus, & reliquarum rerum facultates, terreſtri agmini ſuppeditauit.* Scilicet, qua potuit, ſine iactura, nauſgare.

n.) IOVIVS, eod. libro, pag. eadem. ISTVANFFYVS, Lib. x. p. 166. & WOLFFGANGVS BETHLEN, Hiſtor. Lib. I. p. 54. ſeq.

Proinde, cum paſſim fama vulgaſſet, nouam *Solymannum*, expeditionem moliri, anno MDXXXII. euocato, in auxilia, CAROLO, de propulſanda hoſtis impreſſione, ſeriam cogitationem ſuſcepit FERDINANDVS. Ei fini, *Hungaros* proceres, qui in obſequio, & a conſiliis fuere, *Piſonium*, ad *Calendas Iunias*, conuenire iubet; vt optimates, qui adhuc IOHANNEM ſequebantur, miſſis, quaquauorſum litteris, ad officium reuocarent, atque præmiis illectos, abducerent a ſeditioſorum ſtudiis. Ignorauit hoc, tam ſalutare FERDINANDI inſtitutum, ſaltem eius non meminit, ISTVANFFYVS. Quo circa, initurum me gratiam, apud lectores, confido, ſi rem, adſcriptis, *Cancellarii*, & *Conſiliariorum* litteris, quarum plures, ex eius ætatis ſchedis, in manus noſtras deuenere, vti geſta eſt, expromſero. Ita vero, primum exemplar habet: *Egregie Domine, & Amice honorande! Salutem & amicitiæ commendationem! Quod his annis ſuperioribus, nulla inter nos amicitiæ & familiaritatis interceſſerint officia, nullæ, vltro citroque miſſæ ſint litteræ; exitialis hæc regni noſtri ſciſſio, in cauſſa fuit. Sed, cum perſuadere nobis nequeamus, Dominationem Veſtram, vel religionis, vel maiorum ſuorum, vel ſui ipſius, ita oblitam eſſe, vt Turcis, qui peculiares Hungarorum hoſtes ſemper habiti ſunt, ex animo fauerit; credimus eam, vel metu periculi, vel deſperatione defenſionis noſtrorum principum, ad hanc Turcarum, non dicimus, amicitiam, ſed ſimulationem ſocietatis, adactam eſſe. Pro fraterna, igitur, caritate, has ad D. V. dandas putauimus litteras. Cum intellexiſſent, Chriſtianiſſimus Romanorum Imperator, & Sereniſſimus Rex noſter, Turcarum Cæſarem, rurſus regnum hoc, & Germaniam vicinam, inuaſurum, vt ſunt religionis Chriſtianæ ſtudioſiſſimi defenſores, conuocarunt principes Imperii, atque expoſitis reipublicæ Chriſtianæ, & in primis, huius regni, periculis, ea, quæ optauerunt, auxilia, tum ab his, tum ab aliis Statibus, & Ordinibus, ſunt conſecuti; ſuarum quoque prouinciarum & regnorum vires, contraxerunt, ita, vt breui, fauente Domino, viſuri ſimus, tantas copias, tamque potentem, quem nec noſtra, nec patrum noſtrorum ætas, Chriſtianorum vidit exercitum. Nec contenti, huiusmodi copias, & vires comparaſſe, decreuerunt perſonaliter, tum Regia Maieſtas, tum Imperator ipſe* Romanorum, *huic ſanctæ, & felici expeditioni, præeſſe, & ea præſtare, quæ* in hac *ſumma neceſſitate, rei Chriſtianæ, debent, vel ex officio, vel ex pietate. Nemo deſperet, quin DEus O. M. religioſiſſimorum principum, ſanctiſſimos conatus, ſuo fauore ſit proſequuturus. Adeſt illa expeditio, quam nos, & maiores noſtri, votis omnibus efflagitauimus. Illud, vehementer nobis Hungaris eſt euitandum; ne, qui tot annos, cum hoc hoſte pernicioſiſſimo, quamuis non ſine noſtra clade, & ruina, fortiſſime tamen ſumus colluctati; nunc demum, Turcis blandiamur, cum DEus ille clementiſſimus, ineffabili miſericordia ſua, maximos, Chriſtiani nominis principes, tot populos, tot validiſſimas nationes, reique militaris peritiſſimas, in noſtrum præſidium, excitauit. Cauendum eſt, ne alienigenis, quam nobis, noſtra ſalus, & liberatio, carior videri*

Piſonii, *proceres coeunt: cur?*

eorum, ad Zápolytanos, *litteræ.*

possit. Sæpe nos, apud inuictissimum Imperatorem, Carolvm, *sæpe apud Maiestatem regiam, dominum nostrum clementissimum, apud ceteros principes, per litteras, per oratores, suppliciter contendimus; vt arma in Turcas, qualia nunc, diuina bonitate, parata sunt, compararent: adtritas esse vires nostras, regnum, magna ex parte, variis calamitatibus, accisum & exhaustum; fratres nostros, qui diuersarum sunt partium, non sua sponte, Turcis victoribus obtemperare. Quin etiam, ausi sumus, pro D. V. suisque amicis, spondere, quod, pari nobiscum desiderio, teneatur, vt aliquando communem patriam, ab importuna Turcarum tyrannide, liberam videre possint; fore etiam prædiximus, simul atque hæc optatissima, in Turcas, expeditio, procederet, D. V. & ceteros, vltro declaraturos, quam exosam, quamque infensam Turcarum gentem, semper habuerit. Tempus itaque adpetit, vt D. V. se verum Hungarum, id est, Christianum, e Christianis ortum maioribus, re ipsa exhibeat: rumpat insidiosam Turcarum societatem: consentiat, cum Christianis: redeat ad clementissimi Regis nostri, obedientiam: seruiat, per immortalem* Devm! *patriæ, ac religioni. Nam, ex eo tempore, quo Turcæ dominantur, nostrisque ceruicibus cœperunt imminere, nunquam, ad portum nostræ tranquillitatis, & liberationis propius accessimus. Nunc est diuinitus data occasio, qua Hungari omnes, redire ad mutuam concordiam, & discerpta hæc nostra membra, in vnum corpus coalescere, vni capiti obtemperare debeant. Parata est, D. V. apud Majestatem Domini nostri Regis, non solum, præteritorum omnium venia, & obliuio sempiterna; verum etiam, gratia singularis; si, cum eius Maiestate, cumque eius fratre, Imperatore Christiano, aduersus nefandam Turcarum nationem, pro fidei, & patriæ nostræ, defensione, arma capere, & ad eorum exercitus & castra accedere, non dubitauerit. Quod si D. V. suis sumtibus, magnum equitum numerum, ad hoc sacrum bellum, conducere grauatur, iuuabunt eam nostri principes, stipendio tanto, quanto optime contenta sit futura. Quidquid D. V. faciendum decreuerit, reddat nos, rogamus, quam primum, certiores. Suademus D. V. ex fraterna caritate, id, quod sibi priuatim honestissimum, patriæ vero communi, maxime vtile, ac salutare futurum, arbitramur. Quam rem, vt suis amicis, fratribus, vicinis, pari nobiscum studio atque ardore animi, persuadeat, rogamus. Valeat feliciter, Dominatio Vestra.* Posonii *XII. Iunii, A.* 1532. Quid epistola hac concinnius, quid, in regem, atque patriam, studiosius, inque populares, propensius, excogitari possit? non video. Illud mirere, nullam, totis litteris, mentionem Iohannis iniici. Et ita intererat prudentiæ; vt non tam Iohannes hostis designaretur, quam *Turcæ*, quorum ille viribus nitebatur. id quod, vti ad persuadendum, plus momenti; ita minus inuidiæ habuit, si qui forte, sanctissimo instituto, atque monitionibus, haud obsecundassent. Scilicet, operosa extra modum, ac prope impedita res est, dissociatas eiusdem gentis voluntates, reconciliare mutuo, & tunc, cum id videri posset, opportunum non minus, quam procliue.

§. V.

§. V.

VIx has dimiserant proceres, grauissimis quibusque viris, inscriptas, cum ipse Ferdinandvs, *Pisonium* accedit, vsurus, nouis monitionibus, si quid proficere posset, apud alienatos animos. Litteras eius, quod, & historiam eorum temporum, locupletare possunt, & vrbem nostram, tantarum rerum participem, illustrare, iuuat heic interseruisse. Ferdinandvs, &c. *Fidelibus nostris omnibus, & singulis, Dominis Prælatis, Baronibus, Comitibus, Egregiis, & Vniuersitati Nobilium, ac quibusuis aliis, possessionatis hominibus, Comitatus N. N. salutem & Gratiam! Quum primum intellexissemus, Turcarum Cæsarem, rursus regnum hoc nostrum, & prouincias vicinas, inuadere decreuisse, dedimus maximam operam, vna cum Sacratissimo Romanorum Imperatore,* Carolo, *Domino, & Fratre nostro, carissimo, vt ea vndique auxilia contraheremus, quibus, & hosti resistere, & regnum hoc, ab eius tyrannide, liberare, possemus. Vires itaque tantas comparauimus, vt speremus, Dei benignitate, non sine grauissima illius clade, ab hoc regno, & ceruicibus vestris,* Nos *eum repulsuros. Et, quoniam hostis accelerat, vosque periculo proximi estis, vobis, sub pœna perpetuæ infidelitatis, mandamus; vt mox, visis præsentibus; pro vestra, coniugum, & liberorum vestrorum, salute, proque fide, & religione Christiana, pro qua maiores vestri, tot annis, tam fortiter, contra hunc hostem, dimicarunt; equis, armis, omnique adparatu bellico, pro more, & consuetudine huius regni nostri, viritim parati esse, & ad eum locum & diem, quem proximis deinceps litteris nostris, significabimus, adesse debeatis: quo, vna cum sacratissimo Romanorum Imperatore, personaliter, cum tantis copiis, & viribus, venturi sumus, vt palam cognoscatis,* Nos, *non opes, non facultates, sed nec sanguinem* nostrum, *si poscet necessitas, dubitare, pro vestra salute, effundere: sentietisque,* Deo opitulante, *maximum, nostræ pro vobis, susceptæ sollicitudinis, emolumentum: & ob hanc præcipue causam, eundem Imperatorem; fratrem nostrum carissimum, ab vltimis Hispaniis, ad has longinquas se contulisse terras, vt vos, & Christianos reliquos, contra hunc, quem diximus, hostem, tueretur. Secus igitur ne feceritis. Datum* Posonii, *feria quarta post festum Beatorum,* Viti & Modesti *(o.) Martyrum, Anno Domini* 1532. Ita tunc Ferdinandvs; sed paruo certe fructu. Quia enim *Grittus*, suone arbitratu, an, seu *Iohannis*, seu *Solymanni* iussu, Strigonium, Turcarum simul auxiliis adiutus, oppugnabat; in tanta hostium propinquitate, hoc, quidquid erat, sanctissimæ voluntatis, surdis auribus, canebatur. Solymannvs interea, in campos *Mohácsianos*, atque hinc, dextro *Danubii* margine, lentis itineribus, ad *Sárvizum*, cum exercitu, venerat; diffuso passim rumore, *Viennam* peti denuo. Itaque, periculo, vti erat, ingraueſcente, iidem illi patres, qui de exercitu comparando, *Posonii*, iussu Regis, serio deliberabant, nouis litteris,

Ferdinandus *venit Pisonium:*

eius, ad animis alienatos, litteræ:

pauci fructus, ob hostium vicinitatem:

o.) Incidit in diem XIX. Iunii.

procerum noua, ad populares epistola:

Hungaros, in expeditionis societatem, inuitabant. Non possumus, quin eas quoque adscribamus. *Spectabilis & Magnifice Domine, & amice honorande! Salutem & nostri commendationem! Non arbitramur D. V. ignorare, quemadmodum Cæsar Turcarum, Viennæ adpropinquet, cui principes nostri, Imperator, & Rex, resistere, ac fauente Domino, manus cum eo conserere, decreuerunt. Scripsit autem ad nos regia Maiestas, vt fideles subditos suos, admoneremus; vt huiusmodi expeditioni interessent. Quamuis autem non dubitemus, D. V. pro sua, ac maiorum suorum, pietate, & virtute, vltro præstituram, patriæ, & religioni Christianæ, quod debet: tamen, nos quoque noluimus prætermittere, quin iussu Regis, ac pro nostra beneuolentia, eam admoneremus, & rogaremus diligentissime; vt, quæ ad bellum necessaria sunt, parata habeat, vt quum per Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum, aut ex eius mandato, per nos, rursus admonita fuerit, possit sine mora, cum aliis, quibus patria & religio Christiana chara est, in sanctam expeditionem proficisci. Non est autem, cur D. V. grauari debeat, si parumper extra fines patriæ, pro ipsius patriæ defensione, sit progrediendum; quum innumeri, quibus a Turca, nihil vnquam fuit timendum, principes, & proceres, ex longinquis regionibus, & ab vltima Hispania, suis sumtibus, ob amorem vnius fidei, & religionis Christianæ, certatim confluxerint. Et alioquin, multo facilius erit D. V. circa Viennam bellum gerere, quam si cogatur, vna cum equitibus, & peditibus, longius, ex debito, & veteri consuetudine regni, militare. Idem enim fructus nostræ liberationis optatissimus exspectandus est, siue in Austria, siue in Hungaria, hic nostri generis, hostis crudelissimus, conuincatur; eadem pernicies timenda, si principes Christiani; quod* Devs *prohibeat! victi fuerint. Magnificentiam Vestram, feliciter valere optamus.* Posonii *feria (p.) quarta, post festum assumtionis beatissimæ Mariæ Virginis. A.* 1532. Hæc illi, successu, quam antea, meliore, perscripserant.

eius efficacitas.

Solymannvs interim, suone, an, quod vero est similius, *Ibrahimi*, errore, ac suggestionibus, inductus, non, vti credebatur, ad expugnandum *Strigonium*, quod classe nostrorum nuper cæsa, adhuc fatigabat *Grittus*; sed relicto *Danubio*, sinistrorsum, iter flectit, vt ad tenue oppidum, *Kőszög*, tantum exercitum, adparatus tantos, inglorius prodigeret.

§. VI.

Strigonii obsidio, classem Pisoniensem *pessum dedit:*

Classis, quam nuper *Grittus* profligarat, *Pisonienſis* fuit; quod nos admonet, vt rem omnem, quomodo gesta fuerit, *(q.)* explicemus. Vrgebat, *Grittus* Strigonienses, hinc perpetuis tormentorum ictibus, illinc, qua murus procubuerat, etiam insultibus.

p.) Fuit dies XIX. Augusti.

q.) Breuiter, de ea pugna, Istvanffyvs Lib. XI. p. 176, 37, Fusius Pavllvs Iovivs, commentatus est, Lib. Hist. sui temporis XXX. quem ideo sequemur.

bus. Magnis, & animis, & viribus, se, mœniaque nostri defendebant præsidiarii; quin, factis eruptionibus, opera & machinas obsidentium, deturbabant. Cum tolerata, in plures dies, obsidio, præsentissimi *(r.)* periculi, a præfectis, iudicaretur; *Petrum Kis*, Quinqueecclesiensem, noctu egressum, *Pisonium*, vti proceres, qui tunc, isthic bellum curabant, suppetias rogaret, dimittunt. Hic, vbi, quo loco essent obsessorum res, *Thomæ*, Agriensi Episcopo, eidemque regio Cancellario, & qui cum eo fuerant, consiliariis, exposuisset; *Cacianerum*, vrbis Viennæ præfectum, hortantur; vt priusquam *Solymannus*, *Sauum* traiiciat, adductis Vienna, præsidiis, & demissa validiori classe, terra simul, & amne, obsessis opem ferre maturaret; spem ostentantes, fore, vt imbellis *Gritti* exercitus, conspectum nostrorum ferre haud possit. Fuit *Cacianerus*, sicuti in conserenda pugna, fortis, & impiger, ita non semper sobrius, ideoque, in suscipiendis consiliis, turbidus, & pertinax. Quod enim putabat, reuera, Viennam a Turcis denuo obsidendam destinari; vrbem, metu intempestiuo, nulla præsidii parte nudandam, censuit. Proinde, rescribit *Pisonienſibus*, vti veloces naues, quantas haberent, classiario milite, instruerent; breui, grauiora se nauigia, tormentis grandioribus referta, atque more triremium, exornata, subsidio, velocibus illis, submissurum. Nec mora. *Thomas*, suique collegæ, classem, quæ in *Pisonienſi* portu, sexaginta nauium fuerat, necessario adparatu, & milite instruunt, eique, *Corporanum*, natione Germanum, præficiunt, atque procul omni cunctatione soluere iubent; eo consilio, vt *Schüttam* præteruectus, opportuno ad castellum quoddam, loco, grauiores *Cacianeri* naues, præstolaretur. Dum hæc, ad *Pisonium* parantur; *Grittus* per speculatores, de hostium consilio, certior factus; classem & ipse, quam in obsidendo *Strigonio*, per stationes distributam habuit, contrahit, milite, remigibus, colubrinis tormentis, & Turcis, potissimum sagittariis, communit, vt, priusquam grauiores Viennensium naues, adessent, dignum sua gloria, facinus, ederet. Erant ei naues, numero, *Pisonianis*, ferme pares; gubernatorum vero peritia, & militum virtute, aliquanto inferiores. Vbi classiarios, ad præstandam gnauiter operam, seuere partim, partim præmiis propositis, *Grittus* cohortatus est; summo noctis silentio, aduerso amne, classem prouehi iubet. *Pisonienses*, iam vltra *Comaromium*, defluxerant; cum speculatores nautæ, crebris nunciis, nostros, de hostium aduentu, quem ex remorum pulsu, plane cognouerant, condocent. Fuit, inter nauarchas, *Pestanus* quidam senex,

rei gestæ historia:

r.) Præter rem, laudatus Iovivs: *Cum*, inquit, *rerum prope omnium inopia laborarent* obsessi, *& minus salubri aqua vterentur, pluresque morbi, plane sæuus, inuaderet, desperata salute, a* Posonianis *auxilia, vexillo & fumo interdia, & noctu ignibus, petere cæperunt.* Istis certe signis, in tanta terrarum, quæ inter *Pisonium*, & *Strigonium*, intercapedo interest, nec quidquam *Posonianos*, de sua calamitate, monuissent: propius accedit ad fidem faciendam, *Comaromienses*, ita monere potuisse, quinque milliaribus, in occidentem seiunctos,

ſenex, vir naualium, in Danubio, præliorum experientiſſimus. Is, rei, vti euenit, præſagus, *Corporanum* monet, a conflictu abſtineat, & dum integrum ſit regredi, proras *Piſonium*, ex templo, conuerti iubeat; ſe, ne quid recedentibus, ab hoſte, cladis inferri poſſit, omni ſtudio, curaturum ſpondet: hoſtes quippe, niſi cum ſpe, & veluti rebus exploratis, haud auſuros fuiſſe contraire: proinde, facto receptu, maiores *Cacianeri* naues, exſpectandas videri. At, *Corporanus*, ingenio ferox, ad *Peſtani* monita, haud quidquam adtendens; ſiue, quod flagitioſum putaret, non exſpectare hoſtem, vltro ſubeuntem, præliumque poſcentem; ſiue, quod ſuorum virtuti nimium confiſus, aduerſariorum vires, ſtulte deſpiceret. Ergo, pugnæ ſignum editur, diuiſaque, in tres acies, claſſe, primus in hoſtem *Peſtanus* inuehitur, tanto impetu; vt quatuor *Zápolitanorum* naues, vno velut ictu, ſubmergeret. Excipiunt *Turcæ*, noſtrorum incurſum, confertis nauigiis, impauidi. Hæſere mutuo claſſes, iamque dimiſſis remis, contis, & gladiis, paſſim res geri cœpit. Accedebant, ad prælii atrocitatem, perpetuæ tormentorum diſploſiones, quibus ingens vtrinque ſtrages, edebatur. Quin, & nebulæ, quas ſub diluculum, amnis exhalauerat, fumo permiſtæ, vſum oculorum ademerant: vt non tam, nauigare, quam fluctuare præliantes, viderentur. *Piſonianis*, ea res, cum primis exitio fuit, quod ſol eos, aduerſa regione oriens, ſparſis radiis obcæcauerat. Simul vero diſcuſſæ nebulæ, diem fecere luculentiorem; *Turcæ*; tantum glandium, iuxta & ſagittarum imbrem, emittunt, vt vlteriorem eorum impetum noſtri, ſuſtinere nequeuntes, in apertam hi, ſed aduerſo flumine, difficilem fugam, effunderentur; illi, adpulſis, ad ripas, nauibus, tumultuariam excenſionem facerent; vtrique autem, ingenti clade, ab imminente hoſte, adficerentur. *Corporanus*, tantæ ſtragis auctor, amiſſo *Peſtano*, cum tredecim nauibus, profugit. *Ex mille*, & ſeptingentis viris, qui in *Piſonienſi* claſſe fuerunt, fere pars quarta interiit, ceteri, terreſtri itinere, euaſerunt; quin, & ex captiuis nonnullis, haud multo poſt, ab hoſtibus dimiſſi, *Piſonium* ſunt reuerſi. Hæc, cum *Piſonienſi* claſſe, geſta tunc fuere, non ſine ciuium noſtrorum, qui in ea, vel militabant, vel certe nautarum fungebantur miniſterio, inſigni iactura.

§. VII.

Belli, aduerſus Solymannum, *adparatus:*

DVm hæc fiunt, non CAROLVS modo Cæſar, & frater ſuus, FERDINANDVS; ſed Pontifex etiam Romanus, delectus, ad bellum hoc ſacrum, paſſim inſtitui curant, ſumtuoſiſſimos. Miſſus in eam rem, *Hyppolytus Medices, Cardinalis, (s.)* qui primum Ratisbonam, ad Cæſarem, inde Vindobonam, ingenti cum comitatu, magnaque pecuniarum vi, aduenerat. Hic demum, cogendis octo

s.) Eius laudes, videſis apud IOVIVM, Lib. XXX. poſt initia, p. m. 415. ſeq.

octo millibus Hungarorum equitum, multum & operæ, & auri, impendit. Fuere tunc, deſerto *Iohanne*, in FERDINANDI partibus, *Valentinus Turcus*, & *Paullus Bakitſch*, hic Triballus, ille Hungarus, ſtrenuiſſimi duces. Horum vtrique, *Hyppolytus*, ſingula vexilla, de manu tradidit, honoris partim, partim bellicæ virtutis auctoramenta. Picta in his, imago CHRISTI, de cruce ſuſpenſi, fuit, eo adſpectu; vt vel ferreis pectoribus, in ſacram expeditionem emolliendis, ſuffectura crederetur. Addit *Cardinalis*, dona quoque militaria, veſtes purpureas, auro illuſas, ſicas Italicas, affabre factas, torques item, vnionibus diſtinctos. quæ ſingula, ita accepere duces, vt *Hyppolytum*, generoſiſſimo equo, Hungarico item, magni pretii, acinace, & ipſi donarent. Delectus hæc initia, apud Viennenſes cœpere, *Piſonium* mox propagata. Huc enim, *Camillum Campagnam*, (Campegium IOVIVS adpellat) & *Martinum Agrippam*, quæſtores ſuos, cum poteſtate, ſeneſcente Auguſto, miſerat. Simul *Piſonium* acceſſere, datis quaquauorſum, ad militares viros, litteris, delectus agere *incipiunt*. Non poſſum, quin litteras, quibus claſſicum cecinere, ex vetuſtis ſchedis, hic adtexam. Sic autem habent: *Magnifice Domine, & amice honorande! Salutem & noſtri commendationem. Cum nos huc miſſi fuerimus*, a Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino noſtro, Domino Cardinali de Medicis, *legato, ad S. Cæſaream Maieſtatem, & Sereniſſimum Regem veſtrum, eo deſtinato, vt quam plures poterimus habere Huſſarones, & equites, leuis armaturæ, huius veſtræ nationis, S. Romanæ Eccleſiæ iam diu deuotiſſimæ; nomine Sanctiſſimi Domini noſtri, ad ſeruitia dicti Sereniſſimi Regis, contra Turcas, hoſtes communes, conſcriberemus: nos, hiſce noſtris litteris, D. V. commonefaciendam duximus, & rogandam, vt, ſi pro ſalute huius regni Hungarici, pro defenſione reipub. Chriſtianæ, huic ſanctæ, & neceſſariæ expeditioni, adeſſe voluerit, ad nos, huc* POSONIVM, *quanto citius, cum maiore equitum numero, accedere feſtinet, ſtipendium a nobis, ſingulis menſibus, florenorum quatuor Hungaricorum, pro ſingulo equite, acceptura, quemadmodum ceteris a nobis Viennæ, perſolutum eſt. Nos enim Illam*, (Dominationem V.) *octo dies a dato præſentium, hic exſpectabimus, quibus elapſis, Viennam reuertemur: quo circa etiam D. V., amicos & vicinos, de hoc certiores reddat, vt* DEO *adnuente, omnes, auſpiciis, Sanctiſſimi Domini noſtri, & tantorum principum, ad debellandos inimicos Chriſtiani nominis, non quidem tantum veſtri, eo frequentiores & lætiores, concurrant. Datum* POSONII. *IV. Sept.* A. 1532. *Deditiſſimi amici,* CAMILLVS CAMPAGNA, MARTINVS AGRIPPA, *Commiſſarii.* Hæc illi, haud quidem ſine fructu, ad Hungaros, perſcripſere; eo quod, iam ante, iidem illi Regis conſiliarii, quorum litteras ſupra recenſuimus, noua iterum epiſtola, aditum quæſtoribus Pontificis, paſſim apud Hungaros, præſtruxerant. Epiſtolæ verba, iſta ſunt: *Magnifice Domine, & Amice! Salutem & noſtri commendationem. Scripſeramus, iuſſu Regiæ Maieſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, his diebus, ad Domina-*

delectus, ab Hyppolito Cardinali, *ſumtu Pontificis, inſtituti* Piſonii:

eius quæſtorum, ad Hungaros, litteræ:

& aliæ, in eandem rem, Cancellarii & conſiliariorum:

minationem V. vt, quæ bello neceſſaria ſunt, parata haberet, & quum rurſum per Regiam Maieſtatem, aut nos, admoneretur, proficiſci in expeditionem poſſet. Nunc, Commiſſarii Reuerendiſſimi D. Cardinalis de Medicis, legati Apoſtolici, qui Huſarones, ad ſeruitia Regiæ Maieſtatis, ſtipendio ſummi Pontificis, conducturi ſunt, cum pecunia, Poſonium adpulerunt. Rogamus igitur D. V. & iuſſu Regiæ Maieſtatis, monemus, vt mox, acceptis præſentibus, huc veniat, actura, cum dictis Commiſſariis, & nobiſcum, de numero equitum, & acceptura, ad eosdem, pecunia. Dabuntur autem in menſem, quatuor floreni Hungarici: præterea, illi, qui centum habiturus eſt equites, centum floreni ad menſem. Ea eſt præſentis belli ratio, vt ſi nihil ſtipendii numeraretur; tamen, in illud proficiſcendum eſſet, ſuis impenſis, omnibus, quibus patria, religioque Chriſtiana, cordi eſt. Dominationem V. feliciter valere optamus. Posonii, *feria III. proxima poſt feſtum B. Bartholomæi Apoſtoli, A.* 1532.

Irrita, tanti molimi-nis, expeditio, & cur?

Tantis adparatibus, magnus quidem exercitus, in caſtra Cæſaris, ad Viennam poſita, confluxit; *ducenta enim, & ſexaginta* armatorum *millia* fuiſſe, Iovivs *(t.)* auctor eſt; ſed, adeo profectum nihil eſt, vt vix vnquam ſegnius, aduerſus Turcas, rem geſtam, ſcriptores meminerint. Nam, dum *Solymannum*, cum vniuerſo exercitu, ſi conſilio atque concordiæ, locum dare voluiſſent duces, procliue fuiſſet delere; ſatis, pretium operæ relatum exiſtimabatur, quod *Caſſonum*, ſanguinolentum prædatorem, cum XV. millibus, ad internecionem ceciderint. Sed nos, res, in vrbe geſtas, proſequamur.

§. VIII.

Pacis, inter Ferdinandum, *& Ioannem, tractatio,* Piſonii *cæpta:*

POſt irritos belli, qui *Piſonii*, vti prolixe diximus, facti fuerant, adparatus, pacis iterum conſilia, mutuo, diſſidentium regum, Ferdinandi, & Iohannis, *conſenſu, agitari in* vrbe cœperunt. Diſcedente inglorio *Solymanno*, cum a Turcicis auxiliis deſertum ſe, Iohannes cerneret, metueretque, ne reliquias exercitus, quæ non ſpernendæ, in partibus Ferdinandi manſerant, aduerſum ſe, *conuerteret*, & cum *Buda*, tum *Hungaria* omni, exturbaretur a Ferdinando; collatis, cum *Gritto*, & quos in obſequio habebat, ſententiis, pacis, quæ fouebat, conſilia, exponit. Ab vniuerſis, ea, quin, vti ferebatur, a *Solymanno* ipſo, & *Ibraimo*, adprobabantur. Itaque, vt res quam primum conficeretur, *Hieronymus Laſcus (u.)* A. MDXXXIII. ad Ferdinandvm, cum mandatis, mittitur; annuas inducias, ſaltem ſemeſtres, quam primum conciliaret; quibus initis, ad Cæſarem, vbi vbi eſſet, firmandæ pacis cauſſa, proficiſceretur. Et, annuas quidem inducias, facile a Ferdinando, impetrauit, ad Cæſarem autem

t.) Eius fide, Istvanffyvs quoque nititur, Lib. XI. p. 182. Iovivs, qui cum *Cardinali Hyppolyto*, ei bello interfuit, ſcite, rem omnem, Lib. XXX. explicat. Vbi monendus eſt lector, ignoratione Hungaricorum cognominum, male *Balthaſarem Bánffyum*, adpellari *Pamphilum*. Numerum exercitus, p. m. 450. definitum legas.

u.) Istvanffyvs Lib. XII. initio.

tem abire, prohibitus eſt: magna quidem Iohannis indignatione, ſed, qui maioris auerruncandi periculi ſtudio, iniuriam, vti interpretabatur, diſſimulans, qualemcunque eam conditionem, lubens accepit; egregie poſtea, ad lites, quæ interceſſerant mutuo, *Strigonii*, ab arbitris dirimendas, collocatam. Ac, dederunt omnino, prorogatæ, in annum ſequentem, eædem inducіæ, opportunam, ſi æquiores paciſcentium fuiſſent animi, conciliandæ tranquillitatis, occaſionem. Cum enim, & Ferdinandvs, Conſtantinopoli, Clemente Papa in primis adlaborante, de pace, cum *Solymanno* ageret, neque id Iohannem lateret; tentandum & ipſe Ferdinandvm ratus, per internuncios, facile impetrauit, vt, ſi vellet, ad Cæſarem in *Hiſpaniam* legatos mitteret, cuius arbitrio, pax inter reges, conciliaretur. Ei muneri obeundo, *Franciſcus*, *Colocſienſis Archiepiſcopus*, a Iohanne deſtinatus, Carolvm, emenſis, terra marique, itineribus, adiit, eumque permouit; vt ſe inter diſſidentes, medium interponeret. Reſpondit enim Iohanni Cæſar, vti legationem ſibi gratam fuiſſe acceptamque, ita operam daturum, vt fratrem, ad ineundam, quam primum, pacem, inducat. Ergo, *Franciſco*, ex Hiſpaniis reduce, *Piſonium* noſtrum deſignatur, vbi de pacis conditionibus, miſſis vtrinque arbitris, ageretur. Venere, e Cæſarianis, *Iohannes Archiepiſcopus Lundenſis*, & *Cornelius Scepperus*, viri graues, & prudentia vterque ſingulari. Vix illi Viennæ, Ferdinandvm ſalutauerant; cum acceptis mandatis, *Piſonium*, ad conditum diem deſcendere, iubentur. Huc, & *Franciſcus*, nuper, a Carolo redux, cum collegis, *Stephano Broderico*, *Hieronymo Laſco*, & *Verbóczio*, ſine mora, acceſſere. Collatis, de induciis, deque pace, & huius conditionibus, ſententiis, diu multumque, ſed nullo operæ pretio, diſceptatum eſt: dum interea Ferdinandvs, a Hieronymo, *Iadrenſi Dalmata*, quem poſt ſolutam *Kőſzögi* obſidionem, *Conſtantinopolim miſerat*, plane docetur, inducias Turcicas, quibus conciliandis hucusque inſudaſſet, iam iam coalituras. Quo intellecto, Iohannes, irarum plenus, legatos *Piſonio*, ex templo reuocat. A diſcedentibus, ægre impetrauere Cæſariani; vti *Brodericus* ſecum relinqueretur, donec Ferdinandi mentem penitus cognoſcerent. At, legatis Budam reuerſis, Iohannes, eum quoque, *Piſonium*, ſine mora relinquere, & ad ſe redire iubet. Diſſipato, ad eum modum, *Piſonienſi* conuentu, pacis tunc tractatio, non item conſilia, dimiſſa ſunt: quippe quæ, iuſtis omnino conditionibus, *Váczіæ*, anno demum MDXXXV. & *Varadini*, anno MDXXXVIII. penitus confecta eſt.

quibus arbitris:

ſine ſucceſſu meliore:

pace demum Vaczouiæ, *denique* Varadini, *confirmata.*

§. IX.

Nil quidquam poſtea, dignum com.

COmpoſita, cum Iohanne, pace, eoque anno MDXL. e viuis ſublato; tametſi annis XXIII. ſuperſtes fuerit Ferdinandvs; tamen *Piſonii*, præter comitiorum frequentiſſima ſolemnia, quæ

memoratione, præter comitia, geſtum Piſonii *eſt:*

capite ſequente, recognoſcemus, & MAXIMILIANI, primam omnium, quæ hic celebrata eſt, inaugurationem, nihil magnopere memorandum, accidit. Ad hanc ætatem, translatam iſthuc, *Strigonienſis Archiepiſcopi*, ſedem, ISTVANFFYO *(v.)* præeunte, referimus. Cum enim, anno MDXLIII. *Solymannus*, fulminis inſtar, Hungariam denuo peruaſiſſet, iamque Valponem, Soclóſiam, & Quinqueeccleſias, in ſuam redegiſſet poteſtatem; ad expugnandum *Strigonium*, cuius claues antea, ex pacis conditionibus, tradendas poſtularat, animum adiecit. Eius conſiliis, præceptis animo, PAVLLVM VARĐANVM, iam antea arce egreſſum, *Piſonii* ſedem figere iuſſit: qua de re ſuo loco. Iſtud certum eſt, vti *Strigonium*, poſt inuectam Turcicam impietatem, extra modum fœdatum fuit; ita *Piſonio*, ex tanti præſulis hoſpitio, plurimum celebritatis fuiſſe conciliatum. Eadem illa tempeſtate, ærarium quoque regium, *Cameram* vocant, vrbi illatum eſt; inſigni omino ciuitatis acceſſione. Alioquin, toto, quo rebus potiebatur, tempore, mirifice *Piſonium* FERDINANDVS fouiſſe perhibetur. Sane, cum in Hungaria agendum ſibi fuit; nuſpiam lubentius, quam *Piſonii* diuerſabatur. Eam ob rem, cum immunitatibus aliis, tum iuribus emporii, quæ a SIGISMVNDO ciues acceperant, ſed labefactari a vicinis, intellexerat, donandos exiſtimauit: ſicuti eam benignitatem, regiæ tabulæ, anno MDXXXIV. editæ, quæ ſunt in vrbis ſcriniis, loquuntur. Profecto, regnante FERDINANDO, tantopere *Piſonium* opibus domeſticis efflоruerat, vt ſemel iterumque, mutuato Regi ære, eius, in Turcis propulſandis, neceſſitates, ſubleuarit. qua felicitate, & ſub MAXIMILIANO, atque RVDOLPHO, adhuc perfruitam fuiſſe vrbem, ex ſyngraphis, & ſubductis rationibus, quæ exſtant in curia hodieque, cognoſci poteſt: quod ſane, in illa temporum difficultate, prodigii eſt ſimile; memorandum tamen, vt, *cum ea rerum copia* exciderimus iam pridem, *poſteros*, *iucunda hac recordatione*, in ſpem ditiorum temporum, erigamus.

fit Archiepiſcopi *ſedes:*

atque ærarii regii:

Ferdinandi, *in vrbem benignitas:*

fiſci vrbani, quæ tunc fuerit opulentia.

§. X.

Piſonii, *ſub* Maximiliano, *fortuna:*

SImul, e viuis exceſſit FERDINANDVS, quod anno MDLXIV. die *S. Iacobi*, euenit; duplici bello, *Tranſiluanico* altero, altero *Turcico*, MAXIMILIANVS implicitus fuit. Vtrumque illud, remotius gerebatur, quam vt potuerit res *Piſonienſium* perturbare. Itaque, & tunc in vrbe noſtra, tuta fuerant omnia, cum citerioris, & vlterioris Hungariæ pars eximia, perpetuis bellis euaſtaretur. Certe, ſi temporaria, commigrantis vltro citroque, militis Germanici ſtatiua, quæ pone vrbem noſtram frequenter habebantur, excipias; nil quidquam *Piſonio*, cum vtroque eo bello, negotii fuit. Iſtud ſilentio prætereundum haud eſt: inauguratum *Piſonii* MAXIMILIANVM, vt ſuæ in vrbem voluntatis documentum ad poſteros exſtaret; turrim prætoriam,

eius inaugurationis, monimentum:

v.) Libro XV. p. 262, 8. Vide infra, Hiſt. Vrb. Poſon. Cap. V. Art. VI. §. I.

toriam, quæ tunc, forte inſtaurabatur, liberali ſumtu, conſummandam, curauiſſe: nuper nunc vero denuo ob vetuſtatis vitia, rimasque, quas egerat, deiectam, faſtigatam. Anne vero, otioſum prorſus, clades patriæ, *Piſonium* ſpectabat? Immo, publicum quaſi Hungariæ prætorium fuit, vbi ſeptena comitia, nunc belli, nunc pacis cauſſa, coacta fuiſſe legimus. Nondum *Solymannus*, anno MDLXVI. ad expugnandum *Szigethum*, mouerat; cum CAESAR, gemina comitia, ad eundem fere diem, Auguſtam Vindelicorum, atque *Piſonium*, indixit. Vtrobique, de Hungaria defenſanda, auerruncandoque, ab orbe Chriſtiano, quod hoſtis minabatur, excidio, ſerio actum; apud Germanos potiſſimum; qui contracto numeroſo peditum equitumque exercitu, in Hungariam venerant, inſignem in hoſte ſtragem edituri; niſi, ita fuiſſet in fatis, vt annus ille funeſtus eſſet patriæ; illinc quidem *Szigetho*, *Gyula* hinc, interceptis. MAXIMILIANVS certe, cum Germanis, *Carolo*, & *Ferdinando*, ipſe in caſtris, quæ ad *Iaurinum* metatus *fuerat*, *præſens*, metu late ſparſo, tempeſtiue obſtitit, ne furor hoſtium latius *(x.)* ſerperet. Sequente anno MDLXVII. eadem cura, & Cæſarem, & patres conſcriptos, *Piſonii* exercuit; dum octennales induciæ, quas *Antonius Verantius*, & *Chriſtophorus Teüffenbachius*, legati, Conſtantinopolim miſſi, cum *Selymo*, pepigerant, *(y.)* promulgarentur.

noui, ad bellum adparatus:

octennalibus induciis, terminati.

§. XI.

BEllo, foris compoſito, ſaltem aliquantiſper ſedato, domi, ſeu *Iohannis Sigismundi* factione, ſeu irrequieto quorundam procerum, patriæ conuellendæ ſtudio, nouorum tumultuum faces, ſufflabantur: quas tamen Cæſaris prouidentia, ante reſtinxit, quam *in flammam erumperent*. Sed nos rem eam, quomodo, inſtructa, geſta, prodita, caſtigataque *fuerit*, *in comitiorum* hiſtoria, recenſebimus. Dum ſeuerioribus, vti erant, curis diſtinetur MAXIMILIANVS; ſimul vetera emporii iura, *Piſonienſibus*, quaſi aliud ageret, iterum confirmat. Ingens monetæ *Polonicæ* vis, in Hungariam, haud ſine regionis intertrimento, ſe inſinuauerat: quæ, vt arceri a commerciis poſſet, *Loca*, vt vocant, *Depoſitionum*, vetera illa, & regiis diplomatibus deſignata, redintegratis ex æquo iuribus, denuo conſtituebantur. Sanctionis *(z.)* verba hæc ſunt: *De moneta Polonica & damnis, quæ ex eius vſu in Hungaria proueniunt, viſum eſt eius incommodi remedium, vix aliud præſentius inueniri poſſe, quam ſi in partibus regni ſuperioribus, reſtituantur veterum depoſitionum loca. Quapropter decretum eſt, vt vetera ipſa depoſitionum loca, qualia ſunt verſus Poloniam, Caſſouia, Eperies, Leutſchouia, Bartffa, Kèsmark; filialia vero Homonna, Varano, Stropko; verſus Auſtriam autem* POSONIVM *& Sopronium; ac verſus Morauiam, Tyrnauia; in Sclauonia denique, verſus*

Sedato bello extero, domi, noua rerum perturbatio, inſtruitur:

conſopita a Cæſare:

eius, in Piſonienſes, *propenſio:*

x.) Eius anni hiſtoriam, lege apud ISTVANFFYVM Lib. XXIII. toto.

y.) Idem: Lib. XXIV. p. 507, 25.

z.) Decreto anni MDLXIX. Artic. XVIII.

Styriam, Zagrabia & Varasdinum, cum aliis locis, quæ in hac parte priuilegiata esse dignoscuntur, in posterum obseruentur, secundum vniuscuiusque loci consuetudinem & priuilegium, quæ Sacræ Suæ Maiestati produci debebunt, quo visis illis, huic rei, tanto melius consulere possit. Dici nequit, quantopere ab Hungaris, numi peregrini fastiditi semper fuerint. Hos certe, qui inuehere in regnum sustinuerint, nunc igne *(a.)* exurendos, nunc plectendos *(b.)* capite, statuerunt. Id, vt facerent, adulterato exterorum ære, quod passim incautis obtrudi cognouerant, inducti sunt. Submoueri profecto a regni finibus efficacius, hoc, quidquid fuit, corruptelæ, haud potuit, quam iis locis, vbi, inuectarum peregre mercium, emporia fuerant. Ceteroquin, haud sibi defuisse *Pisonienses*, in prisco illo iure adserendo, eo minus ambigendum est; quo, antiquioribus diplomatibus, eam prærogatiuam, a SIGISMVNDO, atque MATTHIA, & nuper, a FERDINANDO I. collatam, confirmatamque habebant. Reliqua, MAXIMILIANI tempora, tametsi bellis infesta fuerunt, propemodum perpetuis; tamen, vrbi nostræ, adeo nihil illatum damni est; vt visa sit etiam, opibus, numero ciuium, publicis priuatisque ædificiis, increscere. Id ego, præter fidelem sollicitamque reipublicæ, a magistratibus, qui tunc rebus præerant, administrationem, creberrimis comitiis, iudiciisque publicis, quæ isthic, magna popularium concursatione frequentabantur, adtribuerim. Adde, fructuosa, cum limitaneis, commercia, modica tributa, vini item, cuius cultu semper valuere *Pisonienses*, ob vinetorum, apud vicinos, paucitatem, eximium pretium. Quæ singula, opulentam adeo vrbem fecerant; vt haberet, vnde regibus optimis, si necesse esset, mutuam pecuniam daret.

§. XII.

Rudolpho *rerum potiente, quomodo se* Pisonium *habuerit:*

EAdem vrbis fata, & sub RVDOLPHI initia fuerunt, quæ MAXIMILIANO decedente. Violauerant *Turcæ*, nondum mortuo Cæsare, *(c.)* inducias, *Kékőino* hinc, illinc *Zrinia*, natali eius gentis arce, perfide occupatis, eratque metuendum, ne, si id porro impune liceret hosti, magna finium iactura fieret. Itaque, cum RVDOLPHVS, suarum partium esse intelligeret, ferocienti hosti contraire, *Pisonium*, anno MDLXXVIII. prima comitia, ad *Calendas Februarias*, indixit; vt, & censu impetrato, & ordinibus, ad militandum excitatis, bello gerendo, parem se præstaret: *Carolum* certe, & *Ernestum*, Archiduces, rebus militiæ administrandis, frustra reluctantibus *Hungaris*, ita præfecit; vt, hic quidem *Hungariæ*; *Croatiæ* & *Sclauoniæ* terminos ille tutaretur. Sed *Turcæ*, ne induciarum temeratores viderentur, tametsi finitima passim castella, nec opinantibus nostris, adimerent; a bello tamen, aperto eo, se abstinuerunt. Inte-

a.) Vide A. MDXXV. Artic. XXIII.
b.) A. MDXXVI. Art. XXXV. seqq.
c.) Annus ei emortualis MDLXXVI. fuit.

Interea, *Pisonii*, haud quidquam, præter frequentia comitia, agebatur, vario quidem, vti infra dicemus, euentu. Geminus hinc terræ motus vrbem nostram, maiorem in modum perculit, quin, rimas passim, in ædibus, ruinasque dedit. *Calendis Ianuariis*, inquit historicus, *(d.)* POSONII, *Zagrabiæ, multisque aliis, Pannoniæ, Illyricique partibus, ingentes terræ motus exstitisse nunciabantur. Tum vero, Viennæ adeo tremuerat, vt aliquot in vrbe domus, repentino vitio facto, ruinam minarentur, & turris illa alta, sumtuosissimi, & elegantissimi operis, non sine grauissima vicinorum formidine, collapsura crederetur: cuius aliquot turriculæ, haud modica tectorum strage, decidissent.* Eundem hunc terræ motum, qui anni MDLXXXVI. exordia funestarat, dira pestilentiæ contagio, magna passim mortalium strage edita, fœdauit. Nondum in obliuionem venerat, portenti memoria; cum eadem calamitas, vrbem adflixit denuo. Verba iterum ISTVANFFII *(e.)* dabimus: *Per eosdem dies*, inquit ad annum MDXC. *terra, vehementi impetu, multis in locis, tremuit; ita, vt, Viennæ, &* POSONII, *Tyrnauiæque, & propinquis in locis, ac in Illyrico, Zagrabiæ, & non procul a mari, Segniæ, non sine ingenti mortalium formidine, collapsis plerisque ædificiis, moueretur.* His terræ motibus, turris prætoria, rimas *Pisonii* fecit, ab imis fundamentis, ad fastigium vsque, lato hiatu, productas. Vix ad se redierant, perculsi metu ciues; quum, quid portenderet illa terræ concussio, infesta alterius vis elementi, magna eos vrbis vastitate, condocuit. Nimirum, fortuitus, ex angiportu, in quo officinæ fabrorum *(f.)* serrariorum tunc erant, non procul a superiore porta, meridiano tempore, subortus ignis, vsque adeo immani violentia debacchatus est, vt præter sacrarum Virginum cœnobium, templumque *D. Claræ*, eodem igne correptum, ac concrematum, tota fere vrbs, *paucissimis domibus* exceptis, cuncta, terribili velocitate populantibus *incendiis*, *conflagraret.* Mansit tamen, ope numinis, intactum templum maius, *D. Martino* sacrum, & *Franciscanorum* sodalium collegium, cum templo; domus item Archiepiscopi, cum sacello *D. Ladislai* regis, ac prætorium vrbis: ceteris omnibus, priuatis publicisque, eodem igne, quam citissime *consumtis.* Mox, iuuantibus ventis, suburbana etiam ædificia, ad montis radicem, cui arx imposita est, & adtiguas, versus ortum solis, domos, inflammauit, & momento temporis, miserabili vastitate atque strage, absumsit. Quod si, repentinum istud atroxque incendium, nocturni temporis obscuritate, erupisset; res & fortunas, miserrimæ vrbis, longe maiore, procul dubio, cladis mole, adflixisset: quando scilicet, peruagantibus vbique, summa rapiditate, flammis, non tam facile, vt interdiu, remedia, ad restinguendum adferri potuissent. verba

terræ motu percellitur:

adfligitur pestilentia, nouoque iterum terræ motu:

mox & funesto incendio, quod verbis Istvánffii *describitur:*

 sunt

d.) ISTVANFFYVS, Lib. XXVI. p. 563, 41.
e.) Ibidem, p. 589. ORTELIVS ad eundem annum plures terræ motus obseruatos fuisse, meminit, atque hunc, de quo nobis sermo, *V. Septembris* die, euenisse scribit, in *Chronico Bellorum Hung.* P. I. p. 124, seq.
f.) Est ei hodieque vulgare nomen, *die Schlosser-Gasse.*

Bocatii, *de eo, poema.*

ſunt ISTVANFFII. *(g.)* Cecinit, vrbis hanc cladem, IOHANNES quoque BOCATIVS: *(h.)*

Clara Tuos, inquit, PRESBVRGA *lareis, quo tempore paſſim*
Flamma voraſſet edax, tua mœnia forte viator,
Adſpexi, indoluique furens, quod Mulciber vrbem
In tantam laxis ſeſe immiſiſſet habenis.
Quando igitur factum eſt; fer, POSONIS *inclyta! ſiluas*
Conſule vicinas, ac pegmate ſaxa reſarci.
Hoſpita conciliis, da tecta, & fornice ſtructo,
Indulge hoſpitio; quum te hoc dignetur honore
CAESAR, *& heic grauium coeant commercia rerum.*

§. XIII.

Nouæ bellorum clades:

TRiſtia iſthæc, fœdaque omnia, bellum excepit, mutuis poſtea cladibus, atque *Iaurini* diſpendio, adminiſtratum. *Muratis*, id, atque, eo mortuo, *Mahomedis* auſpiciis, ductu autem *Sinanis*, gerebatur, præſentiſſimo *Piſonienſium* periculo, ſi rapto, ſub iugum *Iaurino*, *Comaromium* quoque, acri tentatum obſidione, ſub ſuam poteſtatem, tyrannus miſiſſet. Ac trepidatum profecto fuit, ne vrbi, ex nupero incendio nondum redintegratæ, ſi res porro, infeliciter caderent, hoſtis immineret. Factum eo metu eſt; vt non interiora modo vrbis, ſed moenia in primis, quæ paſſim vitium fecerant, ſumma cura ſtudioque, reædificarentur: breuique adeo profecerint operæ, vt nouo vrbs habitu, opportunitatibus nouis, perculta, toto demum decennio, comitiis, maiore, quam antea, confluentium opportunitate, frequentari *potuerit*. Turcis, *Strigonio* primum, *Iaurino* poſtea, deiectis, diminuta eſt periculi reformidatio, neque *non ita locupletari cœpit Piſonium*; vt acceptæ, ante octennium, ex incendio, cladis, obliuiſci poſſe putaretur. Exeunte ſeculo, noui terræ motus, Auſtriam, atque vlteriorem Hungariam, concuſſerant. *Eodem tempore*, ſcribit ISTVANFFYVS, *(i.) variis in locis Pannoniæ, & Illyrici, ac Viennæ, & tota Auſtria, terræ motus ingentes fuere, vt plerisque in oppidis, collapſæ turres, ac multæ priuatorum hominum ædes, vitio in parietibus facto, incredibile detrimentum acceperint; quod poſtea, maximis ſumtibus fuit reſarciendum.* Anne vero, eodem periculo, *Piſonium* quoque tentatum fuerit, non habeo dicere; tametſi, ob locorum vicinitatem, & ſuperiorum annorum exempla, pronum ſit ſuſpicari. Seculum certe XVI. integrum, ſicuti per vniuerſam Hungariam, calamitoſum fuit extra modum; ita, non vna conuerſione, *Piſonium* perturbauit: tametſi haud diffiteamur, ex aliarum vrbium vaſtitate, non vnam, vrbi noſtræ, factam fuiſſe acceſſionem.

ob vicinitatem, Piſonienſibus *formidata:*

vrbis, reiectis hoſtibus, incrementa:

an nouis terræ motibus, tentatum ſit Piſonium?

§. XIV.

g.) Lib. XXVI. extremo.
h.) Hungaridum Lib. II. p. 146.
i.) Lib. XXXI. p. 742, 21.

§. XIV.

Seculi XVII. exordium, pacis indigum:

INierat ſeculum XVII. ingenti ſpe temporum meliorum. *Piſonio* ſane, nihil ad felicitatem deerat, quam pacis, cuius tunc indiga fuit *Hungaria* conſtans vſura. Agebantur hic comitia, quæ MATTHIAS Archidux moderabatur, iam tum ad IV. Nonar. Februarii, indicta. Cum in commune ab optimatibus conſulitur; adeſt, *Turcarum* legatio, rogitans, vti pacis conditiones, a ſuo perſcriptas imperatore, optimates, Cæſari curarent reddendas. Sed, Ordines, fraudulentam, ſicuti erat, legationem exiſtimantes, *Piſonium* non admiſerunt; *Szentgyörgyino*, vrbicula vicina deſignata, vbi tantiſper ſubſiſteret, dum, quid ſibi vellet, liquido intelligeretur. Accepere conditionem *Turcæ*, miſſisque, die XVII. Martii, per *Benedictum Pográny*, *Sultani*, quas holoſericeæ capſulæ incluſerant, litteris, conceptiſſimis precibus Status rogauerunt; vti pacis leges, ab Imperatore ſuo oblatas, RVDOLPHO, pro eo, ac decet, atque ſua omnium intereſt, commendarent. Et capſulam quidem, litteris onuſtam, ſine mora, *Viennam* ad MATTHIAM, patres dimiſerunt; quibus excuſſis, ſatis adparuit, inſidias moliri *Mahometem:* quippe qui, nihil ageret aliud, quam vt Cæſarem, gentemque vniuerſam, pacis exſpectatione ſuſpenſam, a curis, gerendi porro belli, auocaret, atque incautos *(k.)* opprimeret. Itaque, *Turcis*, vnde venerant, redire iuſſis, legatio ea in irritum cecidit. Idem iſtud ver, NICOLAO PALFFYO ſtrenuiſſimo duci, emortuale fuit. De eo, præter comitiorum *Decreta*, *(l.)* ISTVANFFYVS: *(m.)* conſulendus eſt. quem vtrumque locum, dedimus alibi. Elatus eſt *Piſonii*, militari pompa, inque æde *S. Martini*, conditus, *vbi eius epitaphium*, infra exhibendum, hodieque legitur.

hanc Turcæ offerunt:

fraudem Chriſtianis moliti:

Nicolai Pálffii *mors & funus.*

§. XV.

Triennalis vrbis tranquillitas:

TRiennium hinc conſequutum eſt, cum tranquillum vrbi noſtræ, tum crebris, de *Turca*, partis victoriis, nobilitatum. Alia omnia in Tranſiluania fuere, intus quidem inſano procerum ambitu, quem turpis *Sigismundi* inconſtantia, exacuerat; extus vero, a *Michaele Wajvoda*, perturbata. Vtrorumque motus conſopiturus, *Baſta*, militari licentia, & auaritiæ corruptelis, tametſi victor, peſſundabat omnia. Quibus rebus factum eſt; vt conflatæ illic, & in Hungariam effuſæ tempeſtates, cladem, non minus regioni, quam *Piſonio*, intulerint, multis poſtea annis, haud reparandam. Triſtes hos euentus, *(n.)* peſtilentiæ contagio, & terræ motus, anno MDCII. præceſſerant; tanta vtrobique vehementia, vt hi quidem, ædes paſſim conquaſſarent; illa, in homines, iuxta & pecudes, magnis editis ſtragibus, ſæuiſſime graſſaretur. *Piſonium* certe, vtrisque malis adflictum fuiſſe, priuatæ, eiut ætatis hominum ſchedæ, loquuntur. Quin, nec ab

terræ motus, & peſtilentia:

k.) ORTELIVS, Parte I. p. 270. b. ſeq.
l.) Lege omnino A. MDXCIX. Articul. XLVIII.
m.) Lib. XXXII. initio.
n.) ISTVANFFYVS, Lib. XXXIII. p. 793, 19.

ab incendiis immunem, iisdem annis, vrbem fuisse, legas, non tam quidem illatis damnis, quam sinistrissimis ominibus, memorandis. Coiuerant anno MDCIV. ad III. Non. Februarii, ad concelebranda comitia, Status atque Ordines. Huc & MATTHIAS Archidux, insigni cum comitatu, XIV. *Calendas Apriles*, accesserat. Occurrebant ei, solemni ritu accipiendo, optimates; quin & ciues, ex more, per vici latera, qua incessurus erat, armati constiterant; iamque, ab vrbis magistratibus, ante *Wedricianam* portam, salutabatur princeps; cum, nec opinatum incendium, in ea platea exoritur, quæ, a porta *S. Laurentii*, longiore vico decurrit. Quo viso, pompa omnis, ex templo dissita est, omissæque sunt festiuæ exsplosiones; dum interea MATTHIAS, cum eo, quem adduxerat, comitatu, arcem propere subiit. Puncto temporis, decem ædes, cum turris, quæ portæ illi, imposita est, fastigio, conflagrauere. Sed abitum quoque Archiducis, incendium, ad *Wedricianam* portam, subito exortum, perturbauit. Vtriusque meminit ISTVANFFYVS. *(o.) Acciderat, vt eo die, quo Posonium veniret* MATTHIAS, *ortum fortuito, in vrbe incendium, aliquot ædes & tecta, ac contignationes turris, portæ Laurentianæ supereminentis, absumeret; & quando absolutis comitiis, reuerti Viennam vellet, alio, ad portam Martinianam, loco, subitus iterum ignis, e domo cuiusdam fabri lignarii, erumperet: sed paullo post, adcurrentibus vicinis, extingueretur: multique inde, rerum futurarum auguria, captarent, ac incendia reipublicæ ominarentur. quæ, paullo post, cum insigni rerum perturbatione, secuta sunt.* Atque ita omnino euenit. *Stephanus* nimirum *Botskai*, Turcarum fretus patrocinio, *Transiluaniam*, ad se rapuerat. Ei facinori, vti præsidia foris compararet, iustum ex Hungaris *Haidonibus*, exercitum, festinato collegit. quo promoto, atque multitudine, rapinarum auida, certatim, ad noui hominis castra, confluente, *Cassouiam* vsque procursum est. Ingentia, breui tempore, incrementa seditio ea cepit, verendumque erat; ne opinione celerius, *Hungariam* vniuersam corriperet. Quo circa, *Basta*, qui iam in Hungaria militabat, cum XV. millium, exercitu, iussus obuiam procedere, id pretium fecit operæ; vt *Botskaianos* quidem, ad *Oszgyánum*, duce *Némethio* capto, insigni clade adficeret, reciperetque in Cæsaris fidem Eperiesinum; quin *Botskaium* ipsum, iam Turcicis adiutum auxiliis, profligaret; sed, quia milites eius, laxiori adsueti disciplinæ, rapinis, ea quoque infesta reddiderunt, quæ *Botskaiani*, intemerata forte reliquerant; incendium, adeo non restinxit, vt id potius, admotis quasi follibus, in immensum sufflarit.

mox & gemino incendio, funestatur:

Botskaianæ seditionis initia.

§. XVI.

Eius incrementa, damnosa Pisonio:

INualuit ergo rerum ea perturbatio, cumque regnum, qua Cæsari parebat, prope vniuersum peruasisset, *Pisonium* simul, multis malis adfecit. *Basta* nimirum, ex superiore Hungaria, hostium non

o.) Inibi, p. 806, 28. Adde ORTELIVM Parte I. pag. 352. b.

non minus infestatione, quam consternatione suorum, retrocedere coactus, isthuc venit. Adscribemus historiam, verbis ISTVANFFII expressam. *Basta* inquit, *non se amplius, tumultuantes, stipendia poscentes milites, verbis sedare posse, animaduertens, ne ab illis dilabentibus, solus relictus, hosti obiiceretur; pecunia vero, ab ærario præfectis, nuspiam mitteretur; promoto, ex hibernis, Leuochiaque, exercitu, via militari, per Luptouianos, & Turocianos facta, Bajmóczium, atque inde Gálgóczium, peruenit: quod adhuc a Thurzonibus, in fide Cæsaris retinebatur. Nec diu ibi moratus, quod eius antecedentis vestigiis, vbique perduelles insistendo, ac minutiores etiam pugnas, nonnunquam miscendo, instarent; nec ab iis circumueniri, aut Vago & Danubio intercludi vellet, retrocedendo semper, & terga obuertendo,* POSONIVM *venit, cum amplius X. millibus militum. Ceteri enim, partim variis in præliis, cæsi aut capti, partim, morbis exstincti, partim, relictis signis, hinc inde dilapsi erant. Quos, tanta inutilium hominum, per pagos superioris Hungariæ, vi & metu, ad seruitia militum, ac castrensia ministeria, coactorum, turba, ac impedimentorum iumentorumque multitudo, sequebatur, vt exercitus numerum superaret: & equorum duntaxat, ac minoris pecoris greges, ibidem direpti, & vi abacti, supra XX. millium capitum esse censerentur.* Hæc ea tempestate, *(p.)* vrbi, cum exercitu, colluuies incubuit, iam antea a *Botskaianis*, multis modis infestatæ. Id remedii loco fuit, quod multitudo, intra vrbem, haud admissa, foris castra metari debuit. Quibus, a *Danubii* ripa, ad vinetorum vsque radices, ritu militari, fossa præcinctis, diu, se continuit. Hinc demum, multæ, in vagabundos circumquaque *Botskaianos* procursiones factæ, multæ item, varia fortuna, acceptæ impressiones. Haud quidquam vero a *Basta*, & consilii, & militum, impote, agebatur, quod non esset cum ciuium damno coniunctum. Audiendus est iterum ISTVANFFYVS, *(q.)* ne quid a nobis, iniuria, summo alioquin duci, obiectari videatur. BASTAE, inquit, *& exercitus aduentu, quantum spes & animi, consternatorum metu ciuium, leuati (r.) videbantur, tanto maiori eis detrimento cessere. Nam, præterquam quod ab hostibus, tam ex insula Sallóközia, frequenter, vsque ad suburbia excurrentibus, infestabantur; tum vero, Vallones, Thraces, ac Germani milites, partim hortos suburbanos, partim vineas, quarum reditibus, ipsi se sustentare solebant, fructibus, vel nondum satis maturis, insatiabili ingluuie consumtis, peruastare non cessabant; & quod super erat, confractis sepibus, & maceriis distractis, equis & iumentis depascenda, relinquebant; gementibus, sua damna, nec sine fletu adspicientibus ciuibus: & Basta, si pro compescenda militum licentia adiretur; parcendum*

Bastæ, *ad vrbem, cum exercitu, & colluuione alia, aduentus:*

quanto ciuium damno:

p.) Exstat, in vrbis prætorio, tabula, in qua, hic *Bastæ* aduentus pictus est, a *Iohanne Offner*, iudice, suspensa. Legesis ISTVANFFYUM, Lib. XXXIV. p. 826, 7.

q.) Eodem loco, & pagina, linea 22.

r.) Festiuis exsplosionibus, acceptum a ciuibus fuisse, memorialis tabula, quam diximus, indicio est. Scilicet: *Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*

eorum in Cæſarem fides:

esse insolutis milibus, respondente. His, circumuenti difficultatibus, *Pisonienses*, fidem CAESARI, non minus intemeratam seruauerunt, quam si iniquissimi belli, nulla ad eos calamitas, pertigisset. Dum ad *Pisonium* hæret *Basta*;

exercitus inquies.

noua, in exercitu, seditio oritur, stipendia, quæ tunc menses duodecim dissoluta haud fuerant, milite, impatientius deposcente. Neque a tumultu miles se abstinuisset; nisi *Collonitschii*, *(s.)* singularis, in sedanda multitudine, prudentia, maturius intercessisset. Nimirum, anni stipendia, ad octomestres pensiones reducta, die XXVI. Maii, dissolui cœperunt, parte reliqua, exeunte *Iulio*, exsoluenda.

§. XVII.

Piſonienſium, *ea æſtate, mala:*

TOta hinc æstas, inter confertissimas ærumnas, *Pisonienſibus* abiit. Vsu didicerat *Basta*, ægre militem, tametsi munitis castris, ab hostium incursionibus, defensari posse. Igitur, relictis, quæ extra vrbem habuerat, statiuis, exercitum, intra mœnia collocat. Quo aduerso *Botskaiani*, eo ferocius vrbem lacessere, carpere suburbia, infestare vineaticas operas. In primis, graues *Pisonio* fuerunt, *Tyrnauienses* subsessores. Hi enim, exercitu sex millium, ex Hungaris atque Tartaris, *Benedicto Buchio* duce, coadunato, concrematisque, ex itinere, *Semptzio*, *Cseklesio*, *Bazinio*, *St. Georgio*, vicisque obuiis, *Pisonium* irrumpunt, neque insultare ante desinunt, quam Germani, Thracesque, vrbe proruentes, pugnæ potestatem facerent. Fit atrox prælium, certamine, multis vtrinque cadentibus, a hora postmeridiana quarta, vsque ad vndecimam noctis, protracto. In ea pugna *Szava*, Temesuariensis Thracum ductor, vir militaris, Bastæque fidus, atque ideo *in paucis carus*, sagitta, a Tartaris, ictus, *magno exercitus dolore*, interiit. Reiecti, ad vltimum hostes, *Tyrnauiam*, vnde venerant, frementes abiere. Vix horum furor repressus fuerat; cum *Matthias Somogyi*, quadringentorum militum manu stipatus, in eam suburbii regionem irrumpit, quæ *Rétsia* intrantibus, obuia est, eaque incensa, desultorium, cum Germanis militibus, acre tamen prælium, committit. Et ignem quidem *Basta* restingui haud permisit; quod eam suburbii partem, instruendis insidiis per quam idoneam, ipse, ni id hostis prior fecisset, exusturus fuerat, in hostes autem, tantillo numero, suorum virtuti insultare ausos, *Vallonum* turmas, immisit, qui ab vrbe submotos, circumuenirent. Quod & ita cessit. Nam, cum illi pugnantes, pedem paullatim referunt, in ripam Danubii impulsi, ad internecionem cæduntur, paucis, qui transnato amne, saluti consuluerunt, elapsis. Cecidit ea pugna *Georgius Maky*, legatus *Somogyii*, vir oppido strenuus, dignusque, qui æquiore in militia, vitam sanguinemque profudisset.

Botskaianorum *incursus:*

atrox cum iis, pro vrbe, prælium:

Iterata hostium impressio:

pars suburbiorum incensa:

hostes ad internecionem deleti:

s.) Legesis ORTELIVM, loco cit. p. 387.

fudisset. *(t.)* Capto dein *Ujvarino*, cuius obsidione, tota propemodum æstate, distinebantur *Botskaiani*, & *Basta*, cum exercitu hinc digresso: *Valentinus* quoque *Homonnay*, summus militiæ dux, *Pisonio* imminere parabat. Reperi, in eius ephemeridibus, in quas *Ujvariensis* obsidionis actus retulit, minaces, ad ciuitatem nostram, litteras dedisse. Verba Hungarica sit habent. *Ma*, *XXVIII.* Octobris, *irtam Posony Várossának-is levelet, ha szép szóval meg nem adják magokat, és ő Felségéhez nem hajlonak, az Ujvári ágyúkat reájok vitetem, a' felett, mind Törökkel Tatárral rajtok leszek, 's-mind le vágom őket.* Id est: *Dedi hodie ad vrbem Pisonienſem litteras, niſi verbis mitioribus ad deditionem ſe paſſi fuerint adduci, principisque mei partibus voluerint accedere, tormentis Ujvarienſibus, me eos adorturum, quin Turcis Tartarisque accitis, moturum aduerſum eos, omnesque & ſingulos, decollaturum.* En bruta fulmina! Certe enim, fulgura hæc, adeo nihil tempestatis prolicuere; vt sextiduo post, nimirum III. Nonas Nouemb. vindemiales, cum vrbe, inducias, pacisci, nihil dubitarit *Homonnayus; Botskaium* suum, in campos *Rákos*, salutandi *Vezirii* caussa, postea sequutus.

minæ Valentini Homonnay.

§. XVIII.

ATque, in hanc quidem fortunam, annus MDCV. vrbem induerat. Pace dein, missis, vltro citroque, legationibus, anno MDCVI. hinc *Vindobonæ*, cum *Hungaris*, illinc cum *Turcis*, ad *Zitvæ* confluentem, æquis legibus, *(u.)* conciliata, simul *Pisonienſium* calamitas, resedit: ad quos, publicæ huius felicitatis fructus, *eo magis* pertinuit, quo iniquioribus damnis, nuperum bellum, an *tumultus? miseros* adfecerat. Vix hi motus consopiti fuerant; cum glisscente, *inter fratres*, RVDOLPHVM atque MATTHIAM, simultate, bellum, ciuili quouis deterius, conflatum est, iam iam, in apertam flammam erupturum; nisi rerum arbitri, adsidua, salutarique opera, *(v.)* subditas faces, tempestiuius exstinxissent. Tantorum moliminum, post tractos, in obsequium, a MATTHIA, Austriæ ordines, *Pisonii* iacta sunt fundamenta. Rumor in vulgus emanauerat, statuisse RVDOLPHVM, neglecto MATTHIA fratre, FERDINANDVM patruelem, qui *Græcii* dominabatur, imperii, atque regnorum successorem, impetratis populorum suffragiis, constituere. Cui auditioni, id præstruebat fidem; quod bina, Romani Imperii, comitia, eidem FERDINANDO, nec salutato MATTHIA, administranda commiserit. Istis ille rebus commotus, fratris consilia, quacunque posset ratione, anteuerte-

Pace, conciliata, refouetur Pisonium:

fraternæ, inter Rudolphum, *& Matthiam diſſidia,* Pisonii *incipiunt:*

tantæ rei causſa:

t.) Vtramque hanc impressionem, ISTVANFFYVS meminit, Lib. XXXIV. p. 828, 22. Plures, apud ORTELIVM leguntur, Parte II. p. 386. seqq. quas longum foret percensere. Adde, & KHEVENHILLERI Annales Ferdinandeos, ad hunc annum.

u.) Exstant eæ, inter Regum Hungariæ Decreta, p. III. seqq.

v.) Fuere hi, *Saxonis* & *Brandenburgi*, legati, *Franciscus* item *Dietrichstein*, Olomucensis Episcopus, & Cardinalis.

& administri:

uertere conſtituit. Hæc animo verſanti, *Illyésházius*, nupera Viennenſi legatione, penitus cognitus, frigidam ſtrenue adfundit, operamque, cum ſuis clientelis, quas & multas, & potentes habebat, pollicetur, fore; vt, ſi coronam, quam in poteſtate habebat RVDOLPHVS, ei poſſet e manibus extundere, in regem Hungariæ inauguraretur. Adriſit ea conditio principi, dabatque ſe, rei perficiundæ, prona occaſio: quod, & Cæſar, abdicata fere Reip. cura, intra parietes, priuato ſimilis, deliteſceret; & *Botskaianæ* ſeditionis, ſparſæ, per ſuperiorem Hungariam, reliquiæ, obtentui eſſe poterant, cur ab *Archiduce*, miles conduceretur. Ita ſe res habebant, cum elaborante *Illyésházio*: miles, paſſim conſcribi cœpit, ipſe autem MATTHIAS, Calendis *Ianuariis*, anno MDCVIII. rigidiſſima hieme, *Piſonium* venit; vt *Hungaros* quoque, iam ante, eo conuenire iuſſos, monſtratis Auſtriacorum diplomatibus, ſuis rationibus innecteret. Multi, id facere, nefas ducebant; poſtremo tamen, maiorem in modum connitente, *Georgio Turzone*, cui res omnis patefacta creditaque fuit, vniuerſi conſenſere; præter *Franciſcum Forgáchium*, nuper, *Nitriæ* epiſcopum, nunc ſummum *Strigonienſium* præſulem, atque iisdem diebus, a Pontifice Romano, purpura ornatum. Exſtant, inter adparatus noſtros, quos ad *Hiſtoriam* patriam collegimus, *Hungarorum* non minus, quam *Auſtriæ* vtriusque, atque *Morauiæ*, tabulæ. quarum priores *Piſonii*, I. die menſis Februarii A. MDCVIII. *Morauicas* autem, quibus ſingulorum fœdera connectebantur, *Euanchichii*, anno eodem XIX. Aprilis, ſignatas, video. MATTHIAE, & Hungarorum legati, hi fuere: *Valentinus Lépes*, electus Epiſcopus Veſzprimienſis; *Petrus Révay de Réva*, Supremus Comitatus Thuroczienſis Comes; vterque Cæſari a conſiliis; *Stephanus Pálffy*, de Erdőd, Supremus Comes Comitatus Piſonienſis, & arcis eiusdem Capitaneus; *Andreas Oſztroſitz*, de Gilletincz & Illava; denique, *Theodoſius Sirmienſis*, de Karom. Argumentum fœderis, vt verbis paciſcentium vtamur, iſtud fuit: *Quodſi*, inquiunt, *temporis ſucceſſu, præter vel contra tranſactionem Viennæ, & Turcarum, nuperrime concluſam, quam ſeruare intendimus, vel qualemcunque aliam ob cauſſam, iuſtam & legitimam, nobis, regnis, prouinciis & patriis noſtris, aut eiusdem commembris & confœderatis, hoſtis aut turbator aliquis ingrueret. Ex tunc Sereniſſimum Archiducem, & omnes ſtatus & Ordines, tam Regni Hungariæ, quam Archiducatus Auſtriæ, Inferioris & Superioris, & nos, memoratos, Status & Ordines Marchionatus Morauiæ, mutuis auxiliis & ſuppetiis, commembris & confœderatis, non defuturos; ſed tamquam in communi periculo, nos, & noſtros omnes, & ſingulos, ratione pacis & confœderationis huius, intereſſatos, defendere, iuuare, ac propterea ſimul viuere ac mori, teneri & obligatos eſſe. In cuius rei fidem &c.* His, fœderatorum præſidiis, ſuffultus *Archidux*, exercitu, quem ex *Auſtriacis*, & *Hungaris*, comparauerat, in *Morauiam* promoto, ipſe, *Vienna*, in

fœdus, Hungaro-Auſtrio-Morauicum:

expeditio in Bohemiam ſuſcepta:

in expeditionem proficiſcitur, (x.) & ad *Znoynam* confidet. Neque CAESAREM, hæ fratris molitiones, latebant: quippe quas, *Adolphus Althanius*, relicto Archiduce, eidem clam matureque ſatis, nunciauerat: ſed ipſe, lentis *vſus* conſiliis, quod otii, quam bellorum eſſet amantior, hæſit in ambiguo, dum *Morauiam* omnem, in eandem fœderis ſocietatem, MATTHIAS implicuiſſet. Tanta virium acceſſione, audentior factus, Bohemiam ingreditur, ordines, quorſum ſua hæc impreſſio faceret, publicis litteris condocet, cumque exercitu, nemine ad reſiſtendum parato, *Chaslauiam* primum, inde *Colinium* vltimo, in *Pragæ* conſpectum, venit. Tunc vero, quid Cæſarem facere vellet, per legatos, *Franciſcum Dietrichſteinium*, Olomucenſem Epiſcopum & Cardinalem, atque *Carolum Zerotinum*, liberrime exponit: legatis demum, vltro citroque, commeantibus, quum, quomodo ſe expediret CAESAR, non ſuppeteret, armatis MATTHIAE precibus, locum dedit; corona ſimul Hungariæ, cum clenodiis, d. XXVII. Iunii, per *Cardinalem Dietrichſteinium*, reddita; vt ea, ab Hungaris, ſacramento, quo RVDOLPHO obſtricti fuere, ſolutis, libere inauguraretur. Felici adeo expeditionis ſucceſſu, lætus MATTHIAS, Viennam, cum MAXIMILIANO fratre, die XIV. Iulii, rediit, *Piſoniumque*, vti cœpta perficeret, comitia in proximum auctumnum, indixit; *Illyésházio* interea, res, pro MATTHIA, in ſuperiore Hungaria, ex animi ſententia, adminiſtrante. Cum dies, comitio præſtitutus, adfuit; MATTHIAS, *Haynburgum* venit. Nondum confluxerant copiæ, quas proceres, accipiendo regi, deſtinauerant: quare, diem illic vnum alterumue haud inuitus, ſubſtitit. At, vbi ad honeſtandam pompam, parata fuere omnia; *Nicolaus Istvánffyus*, & *Stephanus Pálffy*, cum *duorum millium*, nitidiſſime inſtructa manu, ab Ordinibus mittuntur, *qui principem*, vti *Piſonium* accederet, conceptis verbis, rogarent. *Eo comitatu circumfuſus*, die XXII. Octobris, magnis vbique lætitiæ ſignificationibus editis, vrbem, arcemque *Piſonienſem*, ſubit; mox, quod e re fuit, cum Ordinibus, ante decernit, quam priſco ritu, inauguraretur. His ſolemnibus, ad diem *S. Eliſabethæ*, ingenti prouincialium adplauſu, ac voluntatum, *in nouum principem*, inſigni propenſione, peractis, nouisque latis legibus, non ante e comitio diſceſſum eſt, quam regium diadema, Statibus redderetur, crearenturque, ei cuſtodiendo, duumuiri: quorum alter, *Petrus de Réva*, alter *Stephanus Pálffy*, fuerat. Tunc ſedes Coronæ perpetua, *Piſonii* deſignata fuit, magna quidem, vti neceſſe fuit, prouidentia; ſed cuius tamen rationes, ſequuti motus, perturbauerunt, ad eum modum vt *Piſonio* detracta, *Vetuſolium*, hinc *Etschedinum*, deportaretur.

Matthias, coronam Hungariæ, Rudolpho extorquet:

eaque, Piſonii inauguratur:

fit corona ſedes Piſonium.

x.) Fuſe, rem omnem, quemadmodum geſta eſt, KHEVENHILLERVS narrat, Annalium Ferdinandeorum, Tomo VII. p. 8. ſeqq.

§. XIX.

Matthiæ, *in colenda pace, ſtudium:*

MATTHIAS poſtea, omnem nauauit operam; vt vicennales induciæ, quas, ad *Sitvæ*, quemadmodum meminimus, confluentem, auſpiciis RVDOLPHI, pepigerat, quasque CAESAR, cunctanter nimis adprobabat, ratæ eſſent, haberenturque intemeratæ. Itaque, legatos Turcarum Imperatoris, qui anno MDCIX. *Viennam*, atque inde *Pragam*, acceſſerant, non modo placidus accipit; ſed etiam anno ſequente, a Cæſare reduces, ineunte Menſe Martio, donis excultos, dimittit. Moritur interea, STEPHANVS ILLYESHAZY, ſuperioris anni comitio, poſt longam eius muneris ceſſationem, in *Palatinum*, mirifica prouincialium, iuxta & Regis, conſenſione ſublectus. Id, ne cum rei Hungaricæ detrimento coniunctum eſſet; ſollicite cauendum, MATTHIAS exiſtimauit. Optimatibus igitur, quorum conſiliis vti conſueuerat, Viennam euocatis, *(y.)* in commune conſulit, vtque comitia *Piſonium* indicantur, denuo conſtituit. His rite finitis, atque *Georgio Thurzone*, Palatini dignitate ornato, noua, MATTHIAM, ſollicitudo adfecit. Pœnitere cœperat RVDOLPHVM, quod tanti regni, & prouinciarum iacturam feciſſe, fraternis precibus, & armis, coactus fuerit. Itaque, collectam inde offenſam, arceſſitis ad ſe, *Ferdinando* Græcenſi, Electoribus item, *Moguntino, Colonienſi, Treuirenſi*, atque *Saxone*, multa de fratre queritur, opem eorum officiaque implorat; vti fratrem MATTHIAM, æqui iuſtique admonitum, ad Auſtriam, Morauiamque reddendam, inducant. Res primum Pragæ, diſputari cœpta; cum difficilem habitura ſucceſſum videretur; quod miſſi a MATTHIA arbitri, vix quidquam acturos ſe, niſi rege conſcio, & mandante, edixiſſent, placuit, legatos *Viennam* mitti, qui cum MATTHIA, coram agerent. Delecti ad id munus fuere: Elector Colonienſis; Ferdinandus Archidux; atque Dux Brunſuicenſis. His, V. Idus Iulii, Viennam adpropinquantibus. MATTHIAS, ſplendido cum comitatu, obuiam proceſſit. Altera, poſt aduentum die, mutuo conſultari cœptum eſt, ſed conatu, diu irrito: quod & CAESAR, ſuas partes tueretur; neque MATTHIAS, acceptas ſemel in fidem prouincias, reddere vellet. Multa interim, beniuolentiæ ſignificatione, accepti legati, ſubmotis, quæ ſe pertinaciter ingerebant, fraternæ concordiæ, impedimentis, has tandem leges rogauere: RVDOLPHVM, Matthias *Cæſarem, & Domus Auſtriacæ ſeniorem, agnoſcito; offenſam, qua adfecerit fratrem, deprecator; eidem, duo millia vrnarum vini, florenos item centum mille, in annos ſingulos, pendito; Cæſare inuito, bellum Turcis ne indicito; in ſeditioſos, fratrum vterque, mutuam ſibi opem ferunto; fœdera, niſi conſcio* RVDOLPHO, *ne ſancito; exerci-*

Illyéshá-zii, *Palatini, mors:*

comitia Piſonienſia:

Rudolphi, *aduerſus* Matthiam, *querela:*

conciliata, inter vtrumque concordia, & huius leges.

y.) Fuere ii: *Franciſcus Forgách*, Cardinalis; *Valentinus Lépes*, Epiſcopus Nitricenſis, idemque Cancellarius; *Demetrius Naprágy*, antiſtes Iaurienſis: Comes *Georgius Turzó*; *Sigismundus Forgách*; *Thomas Szétsy*; *Petrus Révai*; *Andreas Dóczy*; *Thomas Vizkeleti*; *Stephanus Pálffy*; & *Iohannes Lippay*. ORTELIVS Part. II. p. 22. b. ad d. 14. & 15. menſis Iulii.

exercitum, menſis interuallo, vterque exauctoranto; propugnacula limitanea, Hungaricis & Germanicis præſidiis, muniunto; his contraire auſos, munerum procuratione, amouento; ſanctionem hanc, Electores & Principes, Pragæ tunc agentes, ratam habento; Tyrolis portio, quæ in MATTHIAE *fuit poteſtate, Cæſari traditor.* His, ad eum ſancitis modum, legati ad Cæſarem redeunt, cumque MAXIMILIANVS, & FERDINANDVS, Archiduces, illatam iniuriam, MATTHIAE verbis, genibus poſitis, deprecari volunt: a Cæſare, inhibiti ſunt, grauiſſimis verbis interſerente; *nolle ſe, vti ad poſteritatem exſtet exemplum; fuiſſe Archiducum Auſtriæ quemquam, qui flexis genibus, delicti a Cæſare veniam petierit.* Itaque, conſidere iuſſos, læto vultu, hilarique ſermone, quaſi nihil offenſus, aliquantiſper detentos, non minore beniuolentia, a ſe dimiſit. quorum ille quidem in Tyrolim, Græcium iſte, continuatis itineribus, abiere. *(z.)*

§. XX.

Diſſuitur eadem, & qua occaſione:

DVm fratres, ſublatis odiorum, vti credebant omnes, fomitibus, reconciliantur; non ſine diuino munere, pacata, in *Hungaria*, fuerunt omnia; *Tranſiluania*, ſuis cum malis, adhuc *(a.)* conflictante. Sed tota ea concordia, breui euanuit: quippe, Paſſauienſi illo tumultu, quem miles Archiducis LEOPODI dederat, penitus diſſuta. MATTHIAS enim, vſus ea occaſione, Bohemiam, cum octodecim millibus, denuo ingreditur, neque ante deducit exercitum, quam in regem *Bohemiæ*, extorto *(b.)* fratris RVDOLPHI adſenſu, ſolemni ritu, anno MDCXI. d. X. Calendas Iunias, *inauguraretur.* RVDOLPHO demum mortuo, lectus *(c.)* in Imperatorem MATTHIAS, adeo curam *Hungariæ* ſuæ, non depoſuit; vt viſus etiam ſit, *tanto maiore ope, ad eam, omni belli metu liberandam*, conniti, quo inſignior ſibi, cum auctoritatis, tum virium acceſſio facta fuit. Turcas profecto, haud parum MATTHIAE iſta felicitas perculit. Proinde, miſſis, anno MDCXIII. legatis, qui ei, & coniugi, ſum-

Matthiæ *in regem Bohemiæ inauguratio:*

legatio, ad eum, Turcica:

z.) Vide KHEVENHILLERI Annal. Tom. VII. ad annum 1610. p. 268. ſeq. & ORTELIVM Parte II. p. 25. atque BALBINVM, Epitome Rerum Bohem. Lib. V. Cap. XVI. p. 620. vbi deprecationis hiſtoria aliter, quam apud KHEVENHILLERVM, legitur.

a.) MATTHIAS certe, vt illinc quoque tuta ſibi omnia eſſent, per *Georgium Turzonem*, *Palatinum*, *Sigismundum Forgách*; *Michaelem Czobor*; *Ladislaum*, & *Sigismundum Pétsy*; *Iohannem Alagyi*, & *Georgium Homonnay*, Caſſouiæ A. 1610., d. 15. Aug. & *pacta conuenta* anni 1608. a *Stephano Illyésházyo*, ibidem inita, confirmauit, & nouis iterum legibus, cum *Gabriele Báthório*, Tranſiluaniæ principe, fœdus iniit: cuius *Tabulas Hungaricas*, poſſidemus. Conf. A. MDCXIII. Artic. V.

b.) BOHVSLAVS BALBINVS, ex teſtium, qui RVDOLPHO tunc a ſecretioribus conſiliis fuerant, viuis ſermonibus, mentem Cæſaris, expreſſit, Epitome Rer. Bohem. Lib. V. Cap. XVI, p. 619. fine. Rem autem omnem, quemadmodum geſta fuerat, KHEWENHILLERVS, Annal. Ferdinandeorum, Tom. VII. p. 342. ſeqq. fuſe explicuit.

c.) Factum id anno MDCXII. *Francofurti*, vbi, inuſitato hucusque exemplo, vna cum VXORE, Imperiali diademate redimitus eſt. Vide KHEVENHILLERVM, l. c. ad annum 1612.

ſummos honores, gratularentur, impenſius *Cæſarem* rogauerunt; ne ſuas in *Tranſiluania*, partes, interſereret; vicos aliquot *Strigonienſis* ditionis, ſibi adtribueret; ius denique ſuum, in *Daciam*, antiquaret. Et humanitatis quidem officium, benigne acceptum eſt; vici, quos dedi ſibi petierunt, negati prorſus; iuribus denique in *Tranſilnaniam*, cedere haud poſſe Cæſarem, a Palatino, *Georgio Turzone*, pro ingenio temporis, reſponſum eſt. Sub idem tempus, & a *Gabriele Báthorio*, legati, cum muneribus, ad Cæſarem venerant, qui eius, aduerſus Turcas, opem, implorarent. Sed, quia iisdem fere diebus, Cæſaris legatus, per litteras, MATTHIAM monuerat; ne *Gabrieli* vndiquaque fideret, quod is ſuos, apud Turcas nuncios haberet; donis, multa cum beneuolentiæ ſignificatione, oblatis, hoc dato, reſponſo, dimiſſi ſunt: *Cæſarem, vicini officio, haud vnquam defuturum; ſi quid a Turca ingruerit periculi, opem quidem non ſe Báthorio negaturum, dummodo Germanus miles, in arces, atque munimenta alia, admitteretur; Saxones autem*, (hi, apud Cæſarem *(d.)* iniurias queſti fuerant) *æquius, quam adhuc, in poſterum haberentur.* Dum hæc fiunt, *Piſonii*, diem XIV. Februarii, comitia, magna prouincialium celebritate, iam inierant, quibus moderandis, CAESAR, cum coniuge, *VIII. Idus Martii*, in vrbem inuectus, multa, propenſæ in *Hungariam* voluntatis, documenta, toto comitiorum tempore, edidit: ANNA coniuge, ingenti adparatu, in Hungariæ reginam, *VIII. Calendas Aprilis*, coronata. Rebus, in Hungaria, rite peractis, CAESAR, Ratisbonam, ad comitia imperii abiit. qua eius abſentia, ne quid res Hungarica detrimenti acciperet; FERDINANDVM, Græcio Viennam accitum, vicaria poteſtate, rempub. tantiſper adminiſtrare iuſſit, donec ipſe, finito illic comitio, redierit. Dum MATTHIAS illic moratur; Turcæ, profligato, ex Tranſiluania, *Gabriele Báthorio*, & paullo poſt, *Varadini*, ſuorum iniquitate, e medio ſublato, *Gabrielem Bethlenium* principem, conſtituunt. Ingens hinc, per Hungariam, noui belli metus diffundebatur; ſed quem, Turcarum, ex Tranſiluania abitus, & noui principis litteræ, ad *Palatinum*, *Georgium Turzonem*, datæ quibus ſe clientelæ Cæſaris prorſus inſinuatum volebat, breui diſcuſſere. Interim, ſubita hæc rerum, apud *Tranſiluanos*, conuerſio, & ſuſceptæ, hinc atque illinc, a Turcis Strigonienſibus potiſſimum, graſſationes, MATTHIAM, adtentiorem fecerunt; ne bellum, quod *Turcas* moliri, ex legato ſuo, cognouerat, imparatum deprehenderet. Acceſſerunt, minaces *Achmetis Sultani*, litteræ. Multæ in iis, de pace, quam colere intemeratam velit, ſuauiter nugatus, factas a ſuis impreſſiones, limitanei Chriſtianorum militis, & Tranſiluanorum culpa, extuſas ſibi fuiſſe; *Tranſiluaniam* ſe iure obtinere hæreditario: quippe, bello, a maioribus ſuis partam, cui ideo gubernandæ, *Gabrielem Bethlenium*, conſummatiſſimo iure, præfecerit;

Tranſilnanica:

noua, apud Piſonienſes, *comitia:*

Tranſiluanicæ turbæ, Hungariam, metu belli, percellunt:

Matthiæ *vigilantia: Achmetis ad eum feroces litteræ:*

d.) Querelarum formulam, a *Segesvarienſibus*, ad Cæſarem, & principes, perſcriptam, inter eius ætatis monumenta relatam, poſſidemus.

rit; huic, *Huſztum*, *Kővárum*, *Nagy-Bányam*, atque *Taschnádum*, quamprimum tradi a Cæſare oportere: id, ſi facere cunctatus fuerit, litem acinace, proxime deciſurum. Reſpondit, quod e re fuit, CAESAR, deditque operam; ne ferocem, ex ſe tyrannum, quoquo modo offenderet. Placuerat enim, rem, ſi imprudentius adtrectaretur, periculi plenam, indicto, *Lintzium*, hæreditariis regnis, comitiolo, ita diſputari; vt ſimul de bello, ſi ingrueret, propulſando, in medium conſuleretur. Id, antequam fieret, *Georgius Turzo*, optimates, *Piſonium* arceſſit, ſententias eorum veſtigat, & bellum ne? an pacem, in tanta hoſtis ferocia, malint, ſollicite exquirit. Præualuere, pacem, cuius nondum præterierat tempus, ſuadentium conſilia. Ergo, deliguntur ex optimatibus, oratores, qui id *Lintzium, (e.)* perferrent. In his fuere: *Demetrius Náprágy*, Archiepiſcopus Colocſenſis, *Valentinus Lépes*, Nitrienſis, atque *Petrus Demitrouich*, Zagrabienſis, epiſcopi: *Petrus de Réva*, *Nicolaus Eſzterházy*, de Galantha; *Vitus Melith*; *Iohannes Sandor*; atque *Nicolaus Malenich*, & *Chriſtophorus Lakner*, Sempronienſis. Corrogatis, prouincialium ſententiis, viſum eſt, pacem, cum tyranno, intemeratam ſeruari; *Bethlenium*, nouum Tranſiluaniæ, ſeu gubernatorem, ſeu principem, honeſtiſſimis artibus, in Cæſaris amicitiam, illici. Ita, in *Linczienſi* illo comitio fuerat conuentum; cum noui iterum legati, a Turcarum imperatore, vix dimiſſo tabellione illo, qui feroces *Achmetis* litteras reddiderat, aduenium. Accepti ſunt, ex more, liberaliter, dimiſſique, cum ſeruandæ pacis, prolixa ſignificatione. Hæc, ea tempeſtate contigere, commemoranda omnino, vt conſtet, nullo non tempore, *Piſonium*, ab his, quibus amor patriæ cordi fuit, frequentatum fuiſſe.

Hungarici legati, illuc miſſi:

eius comitii, ſententia:

noui Turcarum oratores:

ex pacis ſtudiis, Piſonii *celebritas.*

§. XXI.

HAEC, quæ nunc commemorauimus, pacis conſilia, anno, MDCXV. penitus conualuere. Quia enim Turcæ, Aſiatico bello diſtenti, ſi quid a Chriſtianis periculi immineret, haud ſe, gemino hoſti ſuffecturos, videbant, omni cura ſtudioque, de pace, cum *Hungaris*, inſtauranda, elaborauerunt. Et ſucceſſit omnino deſtinatio. Legatus enim, qui anno ſuperiore, ſine donis, quæ ex pacis *Sitva-Torokienſis* legibus, adferre fas erat, *Budam* vsque proceſſerat, a MATTHIA vero admiſſus haud eſt; iam, neceſſario inſtructus adparatu, *Viennam*, XII. Maii, ingenti noſtrorum celebritate, inuehitur. *Mahomet Kihaja* ei nomen, collega, *Caſparus Gratiani* fuit, ſacra profeſſus Chriſtiana. Facta ei, ab Imperatore, ſemel iterumque, audientia, acceptisque, quas adtulerat, *Sultani* litteris, CAESAR, iter, ad Bohemica comitia, adparans, tractandæ pacis negotium, *Cleselio*, *Cardinali Forgáchio*, *Comiti Salmenſi*, *Mollarto*,

Pax, cum Turcis, Viennæ *redintegrata:*

quibus adminiſtris, atque conditionibus:

e.) Oratio Legatorum, ſcripto, ita iubente Cæſare, *Lintzii*, A. MDCXIV. die XIX. Auguſti, quam poſſidemus, exhibita, vti ſcita, ita lectu digniſſima eſt.

& *Althainio*, permiſit. Illi, rem arduam VI. Calendas Iunii, adgreſſi, breui, ita confecere; vt, in mutuas vtrinque conditiones, haud grauate, conſenſum fuerit. Earum ſententia, *(f.)* huc redibat: *Inducię Sitva-Torokienſes, inſtaurantor; Imperatores, patris, filiique, non regum, nominibus, ſe inuicem ſalutanto; vtrique, Cæſaris titulo vtuntor; ab iniuriis, Turcæ ſint, vel Tartari, in poſterum ſe abſtinento; pacis fructus, ad Hungariam in primis, tum & prouincias Auſtriacorum vniuerſas, pertinento; ſed nec Hiſpaniarum rex, ſi ita voluerit, a pace arcetor; impreſſiones omnes, ceſſanto, & puniuntor; arces & limitaneas munitiones, ſeu vi, ſeu dolo adgredi, nefas eſto; captiuorum permutatio, quam primum inſtituitor; caſtra, vetuſtate, aut caſu alio collapſa, inſtaurandi, parti vtrique, ius eſto; pace conſtituta, Cæſares, mutuis ſe muneribus, colunto; arces, Filek, Somoskő, Hollókő, Hajnácskő, Divin, Szétsény, Gyarmath, Nouigrád, & Váczia, cum vicis, qui in earum ſunt ditione, Chriſtianorum ſunto, neque, ſeu tributis, ſeu impreſſionibus, a Turcis, grauantor; Strigonienſi contra ditioni, pagi LX. adiiciuntor; pax denique, his redintegrata legibus, annis viginti, vtrinque intemerate, colitor.* Nulla hic Tranſiluaniæ, nulla *Bethlenii* mentio: quippe cui, eodem hoc anno, pridie Nonas Maii, *Tyrnauiæ: (g.)* cum Cæſare, ita conuenerat; vt, & regiæ auctoritati, & libertati Tranſiluanorum, quomodocunque conſulere. Præterquam enim, quod Tranſiluanis, libera, eligendi principes, relicta poteſtas fuit, ſeueriſſime cauebatur, ne quid, ſeu contra Cæſarem, Hungariamque, ſeu, in ſua ipſorum viſcera, damnoſi molirentur; contra ea, addictos ſe Imperatori, & ſucceſſoribus ſuis, omni adhibita fide, præſtarent. Tunc, & *arces Huſzt & Kővár, cum omnibus ſuis tormentis*, verba ſunt paciſcentium, *(h.) armamentariis, rebusque quibuslibet in iisdem habitis, ac bonis etiam poſſeſſionariis, ad arces pertinentibus, & quibusuis vtilitatibus, cum Comitatu, ſalisque fodina, Maramaroſienſi*, Tranſiluaniæ *(i.)* ſunt adtributa; *Nagy Bánya* contra, Cæſari adſerta. Arbitri fœderis, ne eos ſilere voluiſſe videamur, fuerunt: *Franciſcus Forgách*, Cardinalis; *Iohannes a Molart*, conſilii bellici præſes; *Paullus Iacobus Stahrenberg; Petrus de Réva*, Curiæ Regiæ Magiſter, & Coronæ cuſtos; *Ladislaus Pethe*, de Hetes, Cameræ Hungaricæ Præfectus; *Michael Czobor*, de Czobor Szent-Mihály, & *Franciſcus Daróczy*, de Deregnyő. His, ex Tranſiluania, acceſſerant: *Simon Pétſi*, de Szent Erſébeth, Cancellarius; *Sigismundus Sarmaſági*, de Kövesd; *Franciſcus Balásfy* ſenior, de Vecske, Vniuerſitatis Siculorum *Generalis*, ſedisque Siculicalis *Udvarhely*, Capitaneus, conſiliarius Domini *Gabrie-*

Tyrnauienſis, cum Bethlenio, *concordia:*

leges:

& arbitri.

f.) Pacis. quæ tunc inſtaurata eſt, laudes & apologiam, legere poſſis, *Annal. Ferdinandeorum*, Tom. VIII. pag. 1074. ſeqq.

g.) Huius pactionis characterem, videſis apud KHEVENHILLERVM, Tomo VIII. p. 1080. num. XV. in CLESELII Cardinalis, *apologia*, expreſſum.

h.) Habemus, eius pacificationis tabulas, Articulis XXVI. deſcriptas: in quibus *Bethlenio*, nondum *Principis* titulus adtribuitur, Dedimus eas compendio, in vrbis Tyrnauienſis Hiſtoria, Cap. I. §. XXVIII.

i.) Articulo X. & XI.

Gabrielis Bethlen; item, *Thomas Borſos*, de Maros-Vásárhely, Tabulæ iudiciariæ adſeſſor; *Iohannes Reiner*, magiſter ciuium Cibinienſium; & *Paullus Veres*, ſenator Szegesvárienſis primarius.

§. XXII.

PAce, foris conſtituta, ſicuti regio, quæ MATTHIAE parebat, omnis, pulchre refouebatur; ita PISONIVM, nupero fœdatum tumultu, non vna acceſſione, effloruit. Quieſcentibus enim *Turcis*, adſertaque mercatuum communi libertate, domeſticas non minus, quam illatas peregre, merces, tuto, fructuoſoque labore, huc, atque illuc, per fora, ciues deuehebant: cultu adhæc vineatico, quæ hic præcipua ſuſtentandæ vitæ, ratio eſt, adeo proficiebant; vt, ſuperiorum bellorum calamitates, præclaris quotidie incrementis, prorſus obliterarentur. Interim MATTHIAS, qui ſeras admodum, effœtasque nuptias celebrauerat, ne ſine hærede, humanis rebus eximeretur, relinqueretque regna, præſidio orbata; de ſucceſſore inſtituendo, vt cogitaret, hinc a fratribus, patruelibusque, illinc a PHILIPPO II. Hiſpaniarum rege, admonebatur. Diu res, ſuſpenſis conſiliis, extracta eſt; dum FERDINANDVM Archiducem, in filium Cæſar adoptaret. Longum foret, & extra inſtituti modum, quibus artibus, in eo negotio, *(k.)* elaboratum ſit, explicare; meminiſſe rem ſuffecerit, vt conſtet, æquiſſimo iure, FERDINANDVM, non ad *Bohemiæ* modo, ſed *Hungariæ* etiam, atque Romani Imperii, ſceptra, acceſſiſſe. Breuiter *Styriacæ (l.)* hiſtoriæ auctor: MATTHIAS, inquit, *Imperator, alias, ex aliis, moras nectebat, ne ſcilicet Ferdinandum hæredem nuncuparet. Ergo, vt Reipublicæ, ex hac mora periclitanti, præſto Maximilianus adeſſet, abdicato, quod habebat, ſuccedendi iure, (idem, vt ab* Alberto, *Belgii Principe, fieret, iam ante curauerat)* MATTHIAM *denique perpulit, vt* Ferdinandum *ſeptimo, ſupra decimum, ſeculi anno, Iunio Menſe, Bohemiæ regem, diceret*, tertio dein Calendas Iulias, *Pragæ, ſolemni ritu, inauguratum.* Hæc antequam fierent; CAESAR, roborandæ pacis cauſſa, *Hermannum Tſchernin*, anno MDCXVI. collega ei *Cæſare Gall*, adtributo, legatum, Conſtantinopolim, miſerat. Huc, quod explicatis ſignis, quæ CHRISTI, in crucem acti, icona, tum aduerſa parte, aquilam bicipitem, referebant, ingreſſus eſt; immane, quam a vulgo tumultuatum ſit. *Turcicus* profecto cerimoniarum magiſter, qui deducendo, cum pompa, *Tſchernino*, datus fuerat, admiſſum incuria facinus, capite luiturus erat; niſi legatus, vitæ ei gratiam, multis precibus, impetrauiſſet. Ad imperatoris audientiam, pridie *Nonas Septembris*, ſolemni ritu admiſſus *Tſcherninus*, ſimul, quæ adtulerat munera, reddidit, apud aulæ miniſtros de *Lippa*, & limitaneis arcibus aliis, a *Bethlenio*, Turcis traditis, conqueri coepit, labore omnino irrito: quippe, *Franciſco Balásffy*, Tranſiluani nuncio, quid-

Quæ, ex gemina pace, in vrbem noſtram, commoda, redundarint?

Matthiæ, de ſucceſſore, tempeſtiua ſollicitudo:

Tſchernini, ad Turcas, legatio:

k.) Prolixe actus omnes KHEVENHILLERVS deſcripſit, Tom. VIII. ad annos 1615. 1616. & 1617.

l.) In FERDINANDO II. p. 26.

quid bonus ille oggereret, facile, apud iniquiſſimos homines, confutante. Sub idem tempus, *Colonitſchius*, ſtrenuiſſimus, in Hungaria, dux Cæſarianorum, a ſana mente, Viennæ, deiectus, tumultus quidpiam dederat, captus ideo, *Levamque*, vbi reliquum vitæ tranſigeret, dimiſſus. Sed alios quoque ſummos viros, idem hic annus, abſtulit, *Petrum* nempe *Draskovitz*, *Benedictum Thúróczy*, Banum Croatiæ, ac denique *Georgium Thurzo*, Hungariæ Palatinum. Quin & illud, ad funeſtandam anni memoriam pertinet; quod Tranſiluanici belli, a *Georgio Homonnayo*, ſemina iacta ſunt. Is enim, ſiue vt recuperaret amiſſa, ſiue, vt depulſo *Bethlenio*, rerum ipſe potiretur; inconſulto rege, prouinciam inuadere parabat. quod, vt anteuerteret *Bethlenius*, coadunato, duodecim millium, exercitu, menſe Nouembri, *Eſzekum* vsque perrupit, deditque damni aliquid limitaneis; ſed ne vltra pergeret, precibus minisque Ordinum, qui ad eam auditionem, *Caſſouiam* conuolarant, repreſſus eſt. *Homonnayo* certe, lis intentari coepta; quod, ſusque deque habita, pacis, quam *Tyrnauiæ* coaluiſſe diximus, ratione, intempeſtiuius cupiditati ſuæ velificarit. *Bethlenius* certe offenſarum, quas obiectabat poſtea, hanc in primis, exaggerare ſolitus eſt.

annus 1616. *ſummis quibusque viris, fatalis:*

Georgii Homonnay, in Bethlenium, *molitiones:*

quomodo a Bethlenio; *& Ordinibus accepta.*

§. XXIII.

Piſonii *res tunc obſcura:*

Tſchernini *reditus:*

EA tempeſtate, res *Piſonii*, in obſcuro aliquantiſper fuere, multis mox conuerſionibus, perturbandæ. Redierat, ex Turcia, *Tſcherninus*, nullo facto operæ pretio, quam quod *Bethlenii* molitiones, prorſus obſeruarit: quin, nouis licet obrutus *(m.)* poſtulationibus, tamen Cæſaris iuribus, pacique, nihil paſſus ſit, detrahi. Eundem hunc annum MDCXVII. inſignem cum primis fecit, *tanto* hucusque conatu procuratum, nunc vero demum, *conſummatum* penitus, ſucceſſionis FERDINANDEAE, *negotium*. Quibus id legibus *(n.)* conſtitutum fuerit, non eſt huius loci, enarrare. Conſequuta inde eſt, ſolemni in comitio, quod, in vrbem noſtram, anno MDCXVIII. ad diem dominicum, cui *Inuocauit* nomen, iuſſu CAESARIS, coiuerat, inauguratio; quam priſco ritu, haud tamen ſine omine, *Calendis Iulii*, celebratam, annales memorant. Enim vero, eodem illo die, quo ſolemnitati, tempus præſtituebatur, cum mane, ſudum eſſet cælum, tempeſtate ſubito coorta, turris, in qua diadema conditum fuerat, intermicantibus, ab omni cæli parte, fulgurum luminibus, fulmine perculſa, ignem conceperat: iamque late ſerpebat incendium, cum atræ nubes, largo effuſo imbre, flammas, propemodum ſine humana opera, reſtinxerunt. Id tunc oſtenti loco habitum; quid vero portenderit, ſequutorum annorum, triſtes euentus, condocuere. Et obſeruatum eſt omnino, nunquam omine caruiſſe, quo-

ſucceſſionis Ferdinandeæ *negotium conficitur:*

inauguratio Piſonii *facta; haud ſine omine:*

m.) Turcæ enim *Filekinum*, & confines arces, *Vaczouiamque*, tanquam pacis eſſent impedimenta, moleſtius repetebant.

n.) Adi, & lege KHEVENHILLERVM, Annal. Ferdinand. Tom. VIII. p. 1100. ſeqq.

quoties arx *Piſonienſis*, fulmine tangeretur. Quidquid eius ſit, annus certe MDCXIX. funeſtus, non *Piſonio* modo, ſed ipſi etiam ſacro Regni Hungariæ diademati, exſtitit. Gliſcebant, in *Bohemia*, tumultus, cruentis poſtea bellis, conſopiti. quos, vt alere poſſent, qui commouerant, miſſo, ad *Turcarum* Imperatorem, *Colino*, Sileſio nobili, ſuſpicionem Cæſari iniecerunt, bellum, ea quoque parte, conflare Bohemos velle. Proinde, pace nupera, Comaromii, cum Turcis, III. Calendas Martii, iterum iterumque, redintegrata, *Ludouicum a Molart*, Conſtantinopolim, CAESAR ablegat, qui cum, IV. Nonas Octobris, A. MDCXVIII. *Vienna* ſoluiſſet; ipſis Idibus *Budam*, atque III. Calendas Nouembres, *Albam Græcam*, tenuit, multa vbique a Turcis, honoris & amicitiæ teſtificatione, acceptus. Hinc terreſtri ſuſcepto itinere, cum XV. Cal. Decembris, in ſuburbana *Conſtantinopoleos* veniſſet; litis non nihil, de ingreſſu in vrbem, habuit; qua tamen, opera *Gratiani*, quem ducem Turcæ ante creauerant, tantiſper ſuſpenſa, *ingenti* quidem cum comitatu, ſed ſine ſignis, atque militari ſymphonia, *Conſtantinopolim* ſubiit, *Calendis* demum *Ianuariis*, *(o.)* cum iam ante *Baſſas* adiiſſet, ad *Sultanum* admiſſus. Multa ei, toto dein anno, cum *Bethleniana* factione, concertatio illic fuit. Is enim, vt quod meditabatur, bellum, non inuitis, quin etiam adiuuantibus Turcis, ſuſciperet, omnem, Conſtantinopoli, mouebat lapidem. Neque ſegnior *Mollartus*, qua poterat, facinoroſis hominibus, contraiuit; prohibere tamen haud potuit, quin *Franciſcus Balásſy*, Tranſiluani legatus, inſigni pompa, vrbem ingrederetur, admittereturque ſimul, *Stephanus Korláth*, ab Hungaris, qui *Bethlenio* acceſſerant, ſubmiſſus. Dum hæc geruntur; MATTHIAS Imperator, *Viennæ*, XIII. Cal. Aprilis, inexplicabili *Hungariæ* perturbatione, ſexagenario *maior*, *viuere* deſiit. *Bethlenius* enim, vt regi FERDINANDO, ſceptra, *de manibus*, *elideret*; *conquiſitis* vndique obtentibus, ſeditionem, diu, ſed clandeſtinis adparatam molitionibus, tandem commouet. Difficile explicatu eſt, quanta ea pernicitate, *Hungariam* omnem, peruolarit. Primus, in quem belli moles incubuit, *Georgius Homonnay* fuerat, *Bethlenii* hoſtis acerrimus. Eius patrimonio, quod per ſuperiorem Hungariam, late diffuſum, opulentumque, poſſidebat, magna, prædabundorum militum, auiditate, expilato, *Hommonayus* ipſe, in *Poloniam* reiicitur. Tunc, & *Caſſouia*, vicinæque, circum, arces; *Andrea Dóczy*, qui vrbi, cum præſidio, inerat, ſuorum maleficio, hoſtibus tradito; ſub poteſtatem rapiuntur. Vſurus, loci opportunitate, BETHLENIVS, ipſe, cum valida manu, adcurrit, comitia iſthuc indicit. Quo, cum frequentes XI. Calendas Octobris, conueniſſent Hungari; id *(p.)* in primis egere, vt

motuum Bohemicorum exordia:

Cæſar, Mollartum, *Conſtantinopolim, legatum mittit:*

eius illic, cum Bethlenianis *concertatio:*

Matthiæ *mors:*

moti a Bethlenio *tumultus, & eorum initia, atque incrementa.*

o.) Totius legationis hiſtoriam, laudatus KHEVENHILLER, Annalium, Tomo IX. p. 714. ſeqq. exhibet.

p.) Notæ ſunt eius comitioli ſanctiones, lingua perſcriptæ Hungarica, hoc titulo: *Articuli Dominorum Regnicolarum trium Statuum, in Comitiis eorum generalibus, in ciuitate Regia & Libera Caſſouienſi, ad XXI. Sept. diem anno* 1619. *indictis & celebratis, concluſi.*

vt, quos concitauerant tumultus, iusti belli prætextu, quam latissime diffunderent. Missi ergo, cum præcursorio exercitu, *Franciscus Rédey*, & *Georgius Szétsy*, vt residuam inde regionem, nouarum rerum perculsam trepidatione, ante peruaderent, quam a Cæsarianis, vagæ dissolutæque multitudini, occurreretur. Neque, expeditio ea, successu caruit, hinc montanis vrbibus, illinc, arcibus, quæ a Cæsarianis præsidiis tenebantur, partim vi, partim militum perfidia, *Bethlenio* adsertis. In his fuere, *Filekum*, *Szétsénium*, *Vaczouia*, *Neogradum*, *Drégelum*, *Gyarmathum*, *Nitria*, *Ujvarinum*, & cum vicinis oppidis, *Tyrnauia*.

§. XXIV.

Abest tunc ab Hungaria, Ferdinandus, *ob imperialem inauguratiomem:*

ABerat tunc Vienna Ferdinandvs, quippe Francofurtensibus comitiis, occupatus, vbi, conciliata *Electorum* consensione, Romanorum Imperator, salutabatur. Rebus illic, ex animi sententia, confectis, cum tumultuantibus Bohemis, atque Austriacis, haud se auderet credere; obliquis itineribus, in Styriam reuertitur. *Monachii* agenti, *Paullus Pálffy*, a Palatino *Sigismundo Forgách*, & *Stephano Pálffyo*, *Pisonio* submissus, occurrit, tristes nuncios adferens: *Hungariam* fere omnem, adscito, in ducem, *Bethlenio*, in armis esse, arces, vrbesque, ab hoste teneri, quin *Viennæ* ipsi vltima quæque imminere. Eo nuncio perturbatus Ferdinandvs, primo *Grætzium*, inde *Neapolim* Austriæ, denique *Viennam*, iniquissimis rebus, medelam, si posset, adlaturus, perrexit. Interea *Sigismundus Forgách*, Regni Hungariæ Palatinus, *Stephanus Pálffy*, *Petrus Révay*, coronæ custodes, adhibitis in consilium, *Nicolao Eszterházio*, & qui in obsequio Cæsaris perstiterant, reliquis, quomodo hosti occurrendum, aut absente adhuc rege, consopienda sit seditio, *Pisonii* deliberant. Visum est, cum arma obiicere armis, nondum liceret, Bethlenianorum animos, missis litteris, pertentare, reuocareque ad consilia saniora. Nec mora, exarata epistola, mittuntur simul a *Palatino*, nuncii, qui *Rédeyum*, iam vltra *Ujvarinum* progressum, coram, fidei, qua Caesari obstrictus esset, admonerent; sisterent ob oculos, patriæ, pridem euastatæ, damna; quin seuerius etiam interminarentur; ni positis armis, officium maturius faceret; non defuturos, qui res *Cæsaris*, aduersus ferociam tumultuantium, sustentaturi essent. Respondit scripto *(q.)* voceque, *Rédey*, quam par erat, insolentius, monstratoque, internunciis, exercitu, atque signis, quid animo versaret *Bethlenius*, nec dissimulanter, expromit, ipsumque adeo *Forgáchium*, muneris, quod gereret, commonere nihil dubitat: meminisset, *Palatinum* se esse, qui fidem suam, Regi, & Regno, ex æquo, addixerit; daret operam, vt motos fluctus, ante componeret, quam ii sibi, adsecliscque

Procerum, *de sedandis motibus, rege adhuc absente, consultatio:*

nuncios, cum litteris ad Redéyum *mittunt:*

eius responsum insolens:

q.) Litterarum mutuo datarum sententiam exhibet Khevenhillervs, Annal. Tom. IX. p. 690. seqq. & ex eo, Ortelivs, P. II. p. 66.

clisque suis, essent exitio; stare *Bethlenio* sententiam, acinacem, quem succinxerit, nolle ponere, nisi rebus, quas animo destinauit, rite, & ex sententia, confectis. Ita dimissis, qui ad se venerant, *Bethlenium*, quo loco res sint, condocet. Ille, tantis profectibus lætus, *Cassouia* relicta, constitutoque, qui regioni adtenderet, *Georgio Rakóczio*, cum valida suorum manu, exeunte Septembri, versus *Pisonium* mouet; dum interim *Rédeyus*, redacta in potestatem, insula *Csallóköz*, cum duodecim millium exercitu, *Morauiam* ingreditur, atque, coadunatis, cum Comite *Matthia a Thurn*, copiis, rem, aduersus Cæsarianos, gerere parat. Vix ille albos montes superauerat; cum *Bethlenius*, in vrbis nostræ conspectum venit. Adhuc *Pisonii*, agebat *Palatinus*, frequentibus litteris, Cæsarianos duces, admonens; vti vrbi, & arci, cum qua S. Regni diadema, iuxta periclitaretur, suppetias, quam primum, adferrent: in primis, quod sub idem tempus, traiecto Danubio, *Petronellæ* castrum, vi expugnatum, concisis præsidiariis, propemodum solo æquarint *Bethleniani*. Proinde, ne deseruisse *Pisonienses* videretur, *Buquoyus*, summus belli dux, *Rudolphum Buchaimium*, & *Ioannem Christophorum Löbelium*, cum tribus veteranorum manipulis, naues conscendere, totidemque maioribus tormentis, ad defensandum *Pisonium*, iubet deuehi. Accidit forte, vt, cum pridie Idus Octobris, *Pisonium* adpulsi, nauibus excendissent, cogerenturque, per suburbanos vicos, ex frigido imbre madidi, hospitia capere; Bethlenivs eadem nocte, exercitum propius ad vrbem admoueret. Is, simul per exploratores, missas *Pisonienſibus* suppetias, didicit, facta, horis antelucanis, in suburbium, impressione, nec opinantes, ingenti edita strage, oppressit, *Buchaimio*, & *Löbelio*, vix fuga elapsis. Tempestiuam hanc victoriam, nouis successibus, eadem die, (*Idus Octobris fuere*,) cumulaturus, misso, ad *Palatinum*, caduceatore, *vrbem arcemque, sibi dedi*, postulat. Nuncio, tam inopino, perculsus *Forgáchius*, diei vnius alteriusue, moram interserendam rogat; ne quid imbelli metu, præcipitatoque consilio, statuisse videretur. Mox, sententiis procerum, qui secum erant, atque *Stephani* potissimum *Pálffii*, arcis capitanei, auditis, quod nulla suppetiarum spes adfulgeret; tolerandæ autem obsidioni imparem se fore videret; vrbem, cum arce tradendam statuit; si ante, cum *Bethlenio*, de conditionibus, præsens conueniisset. Itaque, ad mutuum colloquium admissus *Palatinus*, arcem & vrbem, Transiluano permittit. quam ille, XVI. Calendas Nouembres, fastoso cum comitatu, eques subiit. Khevenhillervs *(r.)* auctor est, accepta in fidem vrbe, supplicationes, *(s.)* in æde *S. Martini*, *Bethlenium*, inusitata hactenus cerimonia, celebrauisse. Nam, posteaquam *Romano-Catholici*, suo ritu, sacris operati fuissent; *Caluinianum*, hoc est, suæ religionis concionatorem, verba, pro

Bethlenius, *ex superiore Hungaria cum exercitu mouet:*

in vrbis nostræ conspectum venit:

Procerum, *qui hic erant, sollicitudo:*

suppetiæ a Bouquoyo *missæ:*

a Bethlenio, *facta in suburbia impressione, conciduntur:*

arx & vrbs, eidem traduntur:

Bethlenianæ *supplicationes:*

r.) Tomo citato, p. 694.

s.) Aliter veteres Romani, qui bello ciuili, supplicationes haud decernebant. *Numquam in ciuili bello supplicatio decreta est*, inquit Cicero, Philippica XIV. cap. VIII. Credo, quod iniquum putarunt, imbutas, ciuium sanguine, manus, Deum puluinaribus, admouere.

pro cathedra, facere iuſſit: qui, vbi dicere deſiit, *Lutheranum*, eodem munere fungi voluit. Sacris, ad eum modum concelebratis, arcem, illud, ſacræ coronæ, perfugium, adiit, atque his, quæ ad ſe pertinere exiſtimabat, prorſus inſpectis, in vrbem reuerſus eſt, vbi eum, inſtructæ, magno adparatu, epulæ, præſtolabantur. Adhibiti in conuiuium fuere, *Forgáchius*, *Pálffyus*, *Révayus*, alii. Putaſſes, *Auſtriam*, toto orbe, *Piſonio* diuiſam, adeo nouus hic regulus, & tuto agebat, & adfluenter. Certe, ita ſe geſſit, quaſi, concluſum indagine, FERDINANDVM teneret. At enim, qua erat cauſſæ integritate, CAESAR, omnem eam procellam, fortiter atque ita ſuſtinuit; vt euentus docuerit, cyclopicis auſibus, non tam inſontem Regem, quam cælum ipſum, contemeratum a *Bethlenio* fuiſſe.

epulæ & faſtus.

§. XXV.

Bethlenius *ſedem belli, in Auſtriam, Piſonio transfert, Viennamque territat:*

HAEC *Piſonii* gerebantur: arma interim ſolerter, porro promouebat BETHLENIVS. Traiecto enim, ad vrbem, *Danubio*, vsque ad *Fiſchamündam*, cum copiis proceſſit. Hic, exercitu, cum eo, quem comes *a Thurn*, ductabat, coadunato, ſub ipſa *Viennæ* moenia, procurritur, depelluntur e ſtatione excubiæ, totaque regione, belli metus non ſolum, ſed obſidendæ etiam vrbis auguſtalis, fama diditur. Dum hæc, intercepto *Ebersdorffio*, ad *Viennam* fiunt; alter *Hungarorum* exercitus, ſeptem millium fuiſſe aiunt, *Piſonii* coiuit. Superato & is amne, egregii quidpiam facinoris patraturus, occurſantem, cum ſuis, *Haynburgi* præfectum, ad internecionem fere delet. Audita, ſuorum hac ſtrage *Bouquoyus*, & *Dampierius*, prædabundæ multitudini ſe obiiciunt. Fit atrox prælium, totusque dies, infeſtis vtrinque concurſationibus, extrahitur. *Hungaris* certe, ad conſummatam victoriam, nihil, præter conſtantiam defuit. Nam, quum diu, magno animo reſtitiſſent Cæſarianis; ad vltimum, pertinaci cataphractorum equitum impreſſione, in fugam aguntur. Sexcentos, ea pugna, fuſos; e Cæſarianis, tercentos deſideratos fuiſſe, annales referunt. Ad ſummam rei, fortuitum prælium, multum profecto momenti adtulit. Sub idem fere tempus, *Georgius Homonnay*, acerrimus Cæſarianarum partium ſectator, *Georgium Rákóczium*, ad cuſtodiendam ſuperiorem *Hungariam*, relictum, haud quidem incruento prælio, ita tamen deuicit; vt *Bethlenio*, gemina clade adfecto, *Viennæ* deſerendæ neceſſitatem impoſuerit. Ergo, ne conſiliorum, quas animo præceperat, rationes, prorſus conuelli pateretur; *Franciſcum Rédey*, cum delecta exercitus parte, in ſuperiorem Hungariam, acceleratis itineribus, proficiſci, ibique, laboranti *Rákóczyo*, opem ferre iubet: ipſe, ex itinere, *Sempronium* capit, atque inglorius, *Piſonium* redit. Huc, vbi venit, comitia edicit, &, quod conſiliorum erat periculoſiſſimum, fœdus, cum Bohemis, ampliſſimis, datis acceptisque conditionibus, ſancit. Vtramque iniuriam, editis publice

Hungari, Haynburgenſes *cæduntur:*

iterumque a Bouquoyo, *&* Dampierio, *cæduntur:*

eadem Rakóczii, *in Hungaria ſuperiore, fortuna fuit:*

Bethlenius, *ab Auſtriaca expeditione, Piſonium redux, comitia indicit:*

blice tabulis, apud orbem Chriſtianum, deteſtatus FERDINANDVS, ne tantillum quidem, de maieſtatis iuribus, conceſſit. *Dum nos*, inquit, *imperiali inaugurationi intenti, procul abeſſemus, ferme, antequam Hungaricæ perturbationis fama ad nos perferretur*, (Bethlenius) *Poſonium vsque penetrauit: vbi circumuentum regni noſtri Hungariæ Palatinum, vi metuque adegit, vt cum ſummo iuris noſtri regii, præiudicio; quandoquidem, Statuum, ad comitia, conuocatio, ad regem tantum ſpectat; generalem diætam, regnicolis Piſonium indiceret. Quia vero, armorum ſtrepitus, ac tyrannicus terror, conuenticulo Poſonienſi moderabatur; idcirco, nefando, ac multis ſeculis inaudito, ſceleris ac perfidiæ exemplo, non nulli complices Bethlenii, præſtiti nobis homagii, ſtrictiſſimam obligationem, ſusque deque habentes, regiam noſtram auctoritatem, quantum in ipſis erat, prorſus conuellentes, de Bethlenio, in regem protrudendo, conſilia inierunt.* Ac poſt pauca: *Demum, ne quid ad extremum præcipitis inſaniæ complementum deeſſet, perniciosam, ac rebellionum feracem, cum rebellibus Bohemis, confœderationem, ineundo, adſcitis eorum copiis, hoſtiliter Auſtriam inuaſerunt, Viennamque, vbi tunc aulæ noſtræ Cæſareæ ſedes, progreſſi, incendiis, rapinis, cædibus, omnia compleuerunt.* Hactenus FERDINANDI *(t.)* expoſtulatio, omnino, a iuſto dolore, & indignatione regia profecta. Nos, quid porro geſtum ſit *Piſonii*, proſequamur.

Ferdinandi, *aduerſus eum, expoſtulatio:*

§. XXVI.

FRequens Hungarorum multitudo, *Piſonium*, ad *Bethleniana* comitia, ſeu admiratione nouarum rerum, quæ fiebant, ſeu ſtudio, excita, confluxerat. Multa hic diſputata inutiliter, plura, præter fas & æquum, conſtituta. In his erat, regiæ dignitatis, qua anno ſuperiore, ſolemniter inauguratus fuerat FERDINANDVS, iniquiſſima abrogatio, atque *Bethlenii*, inſolens prorſus, & probroſa electio. Nam, quod *Piſonienſibus* his comitiis, iacta fuerint eius fundamenta, ipſe *Bethlenius*, in diplomate, quo inducias confirmabat, egregiaque de ſe omnia, pollicebatur FERDINANDO, haud ſane diſſimulauit. *Res*, inquit, *tam proſpere ſuccedere videbatur, vt & ſacrum huius regni diadema, vna cum arce, ciuitateque libera Poſonienſi, in noſtram redactam poteſtatem, Statusque & Ordines prætitulati Regni Hungariæ, in generali, frequentiſſimaque ipſorum, per Illuſtriſſimum Dominum, Sigismundum Forgách de Ghymes, regni eiusdem Palatinum, indicto legitime (u.) conuentu, eius animi intentionisque fuiſſent, vt nos, non*

Bethleniani *comitii, frequentia:*

actus iniquiſſimi:

verbis, Bethleniani *diplomatis, expreſſi:*

t.) Legeſis plura, in publicis tabulis, quas nos manu FERDINANDI ſubſcriptas, poſſidemus, ad confinium *Deuetſcherienſe*, datas, ſub titulo: *Sacratiſſimæ Cæſareæ, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis*, EDICTALIS CASSATIO, *iniquæ, prætenſæ, ac ipſo iure nullæ, Electionis* GABRIELIS BETHLEN, *in Regno Hungariæ, nec non Actorum omnium, Tractatorum & Concluſorum, in conuentu Poſonienſi, & Novizolienſi, Annullatio.* Viennæ Auſtriæ A. MDCXX. in 4. Exſtant eædem tabulæ, germanice redditæ, KHEVENHILLERI Annalium, Tomo IX. p. 344. ſeqq.

u.) Id vero eſt, quod FERDINANDEAE, quas ſupra nominauimus, tabulæ, inficiantur.

non tantum REGEM *ipsorum eligere, sed & coronare parati, certas etiam electionis conditiones, quas præ manibus tenemus, exhibuissent & præsentassent.* Ista, ex *Bethlenii* confessione, iuuit condidicisse. Cum hæc *Pisonii* aguntur, adsunt, a FERDINANDO legati, qui aut pacem facerent, cum *Bethlenio*, aut, si ea nequiret conciliari, inducias pacisce-
induciæ, sub eodem comitio, initæ: rentur. Erant hi: *Valentinus Lépes, Archiepiscopus Strigoniensis; Leonhardus Helfried Comes a Megau; Siegefridus Christophorus Preiner, Lib. Baro a Stubing;* atque *Thomas Nadasdy de Pethenyéd*, consiliarii Cæsarei. Cum his *Bethlenius* ipse, *Forgáchius*, atque ex regni Ordinibus, dignissimi quique, plures dies coiuere; dum induciæ, in nouem
tabularum, quibus perscriptæ sunt, argumentum: menses, compararentur. Argumentum istud fuit: *Induciæ, ad diem vsque S. Michaelis Archangelo festum, intemerate habeantur; Earum fructus, si velint, ad Bohemos quoque adtineat; Regni administratio, eo, quo iam est, statu, relinquatur; Quidquid* BETHLENIVS, *in suas partes pertraxit, id tantisper obtineat; A Cæsare* FERDINANDO, *comitia libera, ad vltimum Maii diem, Neosolium indicantur; Isthic, mutuis, querelis, modus ponatur, medelaque adferatur; Commercia, citra cuiuscunque offensam, instituantur; Polonus miles, a Georgio Homonnay, in superiorem Hungariam adductus, exaucloretur; tempus denique induciarum, sacrosanctum vtrinque habeatur. Datum in Libera Regiaque Ciuitate Posonienſi, d.* 16. *Mensis Ianuarii, Anno* 1620. Ingenti adprobatione,
Ratas habet Ferdinandus: FERDINANDVS, inducias accepit: maxime, quod dato diplomate, summa fide spoponderat *Bethlenius*, in id se, omni studio atque cura, incubiturum, vt, dum strepitus armorum cessabit, non *Hungariam* modo omnem, sed *Bohemos* etiam, ad faciendum officium, reuocet. Inibimus forte, lectoris gratiam, certe, insignem, in historia patria, lacunam explebimus, si, quid tunc receperit *Bethlenius*, verbis di-
Bethlenius, *quid de se, dato Cæsari diplomate, pollicitus sit:* plomatis sui, explicuerimus. Ita vero, post longiorem præfationem: *Nos quoque*, inquit, *habita primum & ante omnia, publica regnorum, pacis atque tranquillitatis, vitandaque vlteriore Christiani sanguinis effusione; postea vero vniuersæ Domus Austriacæ, & potissimum Augustalis Maiestatis Vestræ-Cæsareo Regiæque, condigna condecentissimaque reputatione, maximus ac decreuimus, sepositа, in regnum (v.) gloriamque maiorem, nostri promotione, in fauorem Vestræ Maiestatis Cæsareo-Regiæque, obsequenter nos accommodare. Vnde, accepta, Vestra Maiestate, super iis, quibus iam cum præfatis Eiusdem Dominis legatis, conuentum est, conditionibus, sufficienti assecuratione, primum & ante omnia, super eo assecurandam, certificandamque duximus: Quod partes Hungariæ Inferiores, cis & vltra Danubianas, quæ pro nunc, apud manus, & in potestate nostra, vigore superinde initi tractatus, relictæ sunt, vsque ad iam constitutarum induciarum terminum, fideliter administrabimus, Status in iisdem partibus omnes, tam Ecclesiastici, quam secularis Ordinis, in eo, quo*

v.) Supra, in *Regem* fuisse electum GABRIELEM, monuimus; sed molitionibus adhuc clandestinis, tametsi in literas relatis: *Neosolii* demum, factio, in neruum erupit.

quo nunc sunt, statu, conseruabimus; Jus & iustitiam iisdem, iuxta leges regni, impendi curabimus; neque ex partibus regni prædictis, earumque confiniis aliquid abalienabimus, a corpore coronaque regni; sub eodem induciarum tempore, animos omnium & singulorum, in partibus hisce, cis & vltra Danubianis regni, in rationem vtpote, Vestræ Cæsareæ Regiæque Maiestatis cedentibus, nunc quidem alienatos, ad deuotionem & fidelitatem Maiestatis Vestræ reducere, omnibus modis studebimus & incumbemus. Ad hæc sedulam etiam, vbicunque opus fuerit, nauabimus operam, vt motus in regno Bohemiæ, prouinciisque eidem incorporatis, nec non Ducatu vtriusque Austriæ, vigentes atque intercedentes, cum Vestra Maiestate Cæsarea ac Regia, discordiæ, per tractatus palutares, penitus sopiantur. Insuper pacta etiam, & transactiones, cum srædefuncta felicis memoriæ, Imperatoria, ac Regia Maiestate, MATTHIA II. *diuersis vicibus, in ciuitate Tyrnauiensi concluſa, quæcunque ex illis publicam Regni salutem & permansionem concernere dignoscerentur, ea omnia & singula, in proximis Regni Hungariæ comitiis, iam in inducialibus litteris certo promulgatis, cum Vestra Maiestate Cæsarea Regiaque, (causis personarum priuatarum & negotiorum exceptis & exclusis,) tam nos ipsos renouaturos, roboraturos, quam vt etiam Status & Ordines, vti in Hungaria, ita & in Transiluania, renouent, roborent, ac confirment, conaturos spondemus. Ad quæ omnia & singula, suis viis, & constitutis modis, præstanda effectuandaque, nos* IN VERBO NOSTRO PRINCIPALI, & BONA FIDE *mediante, obligamus & obstringimus, obligatosque esse volumus: prout obligamus & obstringimus, harum nostrarum vigore & testimonio litterarum mediante. Datum in Libera ac Regia Ciuitate Posonienſi. Die* 16. *Mens. Ianuarii, Anno Millesimo Sexcentesimo, Vigesimo.* Hactenus diplomatis verba, amplissima profecto, atque si conuentis stetisset *Bethlenius*, aureis tabulis, æternisque fastis, insculpenda, inserendaque. FERDINANDVS, profecto, *Bethlenii* officiosam hanc pollicitationem, dato vicissim *(x.)* diplomate, augustali prorsus munificentia, remunerandam spopondit, si, quam de sedandis motibus spem fecerat, expleuisset: BETHLENIVS *S. R. I. & Hungariæ Princeps nuncupator: Oppoliæ & Ratiboriæ, Ducatus, titulosque, perpetuo iure, accipito: Comitatus Szabólcs, Szatmár, Beregh, & Ugotscha, Transiluaniæ adiiciuntor; Nouem Comitatibus aliis; Scepusienſi, Abaujvarienſi, de Ungh, Borsodienſi, Tornenſi, Heuesienſi, Gömörienſi, & Aruenſi, superstes dum fuerit, perfruitor.* Profusionem propemodum dixisses, non liberalitatem, haud tamen male factam; si hac tanta largitione, ad summam rei profici quidquam potuisset. Nam *Bethlenius* quidem, fidei, quam promissis interposuerat, immemor, iisdem illis comitiis, quod mox dicemus, pestilens illud fœdus, *Hungaro-Bohemo-Austriacum*, conflauit.

Ferdinandi, *Augustalis, in eum, munificentia.*

x.) Longius id est, quam vt hic queat inseri, eadem illa die, *Viennæ*, quo Bethlenianum *Pisonii*, perscriptum. *Datum in Ciuitate nostra Vienna, Die* 16. *Mensis Ianuarii. Anno Domini* 1620. *Regnorum nostrorum Romani primo, Hungariæ & reliquorum secundo, Bohemiæ vero anno tertio.*

§. XXVII.

Fœderis Bethleniano-Bohemo-Austriaci, *historia:*

IAm, quia in mentionem *Bethleniano-Bohemico-Austriaci* fœderis, incidimus, dicendum est de eo aliquid; tum, quod ad vrbis historiam, fatales hi actus videntur pertinere, tum, quod res propemodum nupera, nondum, in annales Hungariæ, relata est. *Pisonium*, indictis comitiis, id, cum primis elaborauit *Bethlenius*, vt regiam dignitatem, quam animo, auariſſime fuerat complexus, fœderibus ante præfulciret, quam ea, ornaretur a complicibus. Multum ad eam rem, in tumultuantis *Austriæ* Ordinibus, & consilii, & virium, situm ratus, eos, ante omnia, rationibus suis, se illorum partibus, innexuit. Serpsit nocentissimum consiliorum cacoethes, in *Bohemiam* vsque, nouum regem, in FRIDERICO Palatino, infelicissimo principe, adfectantem. Et facile coaluerunt animis, quibus libertatis obtentu, eadem, se, suosque, perdendi cupiditas, pectus insederat. Itaque, *Pisonium*, conflando ei negotio, deligitur, procuduntur leges, in quas mutuo iuraretur, quarum sententia fere hæc fuit: *Fœdus, inter Hungariam, Bohemiam, Austriam, & his connexas prouincias, horumque reges, principes & ordines, æternum esto: Hostes, amicosue, eosdem omnes habento, mutuoque se inuicem, iuuanto, defendunto: Fœderis has rationes, in plura regna, sollicitissime propaganto, idemque, noua, regum ac principum, accessione, roboranto: Eius tabulas, sollicitissime adseruanto, atque singulis comitiis, palam relegunto, & ad seram posteritatem, transmittunto: Bellum, siue inferre aliis, siue illatum propulsare, pacisci, extraneum militem, in regna, aut prouincias, fœdere iunctas, inducere, nemini, nisi consultis fœderatis, ius esto: Limitaneis regni Hungariæ munimentis, & præsidiis: quippe, quibus publica salus defensaretur, communi omnium sumtu, prouidento: Pacem, cum Turcis, renouanto, & missis legatis, colunto: Limites, inter Hungariam, Austriam, & Bohemiam, definiunto: Bona in Hungaria, ab Austriacis possessa, regno adplicanto: Commercia mutuo, & libere instituunto: Monetæ, per fœderatorum regna, & prouincias, communi suffragio comitiorum, æquale pretium, instituunto: Dissidia, & lites, inter fœderatos, forte angliscere occipientes, mutua reliquorum opera, die locoque præstitutis, dirimunto, sedanto:* Iesuitas *clam palamue, alere, tutari, aut in administranda Repub. eorum opera consiliisque vti, capitale esto: Auxiliares copias, suo ductu sumtuque, fœderatis, si necessitas poscat, sine cunctatione, rogati, mittunto: Libri Regii, vetera diplomata, priuilegia, atque litteræ, si quæ fortasse facta vestigatione, in Bohemia, aut Austria, reperientur, Hungariæ restituunto: Inimicitiæ omnes, hostilis animus, offensæ mutuæ, a fœderatis, æternum exsulanto; veteres, si quæ interceſſerunt, obliteranto: Transfugas, damnatos capitis, proscriptos, inque exsilium actos, ne recipiunto, multo minus fouento; sed his, a quibus plectendi sunt, celeriter restituunto: Fructus fœderis, ad omnes, qui eius conditionibus steterint, ex æquo redundato; ei, contraeuntes, hostes reipublicæ,*

leges, & sancita mutuo, auxilia.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

ac fœderatorum, habento, inque eos bellum, sine metu criminis læsæ maiestatis, mouere, fas esto; reges ac principes, inaugurationis tempore, fœderis hasce tabulas, iurata fide, acceptanto, ratasque habento. Ista, infausti illius, famosique *(y.)* fœderis capita fuere, *octodecim articulis*, vt vocant, descripta. Clausula sic habuit: *Actum, in Libera & Regia ciuitate Posonienſi, sub generali Comitiorum publicorum termino, die* 11. *Martii, Anno, a Nato Saluatore, Vigesimo, supra Milleſimum sexcentesimum.* Est, cur mirere, quod, cum tota ea scena, aduersus FERDINANDVM, instructa fuerit; eius mentionem, fœderis machinatores, totis tabulis, exstare noluerint.

§. XXVIII.

COncinnatas fœderis tabulas, *Emericus Thurzo*, in Bohemiam, ad *Fridericum Palatinum*, iussu *Bethlenii*, & Ordinum Hungariæ, pertulit, cum Bohemorum sanctionibus, permutandas. *Pisonio* ergo, cum insigni, e Statibus singulis, comitatu, A. MDCXX. XII. Calendas Aprilis, digressus, IV. Pragam, intrauit. Comitia tunc *Fridericus* concelebrabat. proinde, solemni adparatu excipiendum a Bohemiæ Ordinibus, iusserat: quorum tamen occursum, *Thurzo*, siue, quod pompam refugeret, siue, quod *Bohemi* cunctantius rem gessissent, anteuertit, atque, cum comitibus, vix obseruatus a quoquam, vrbem ingressus est. Ad *Fridericum* postea, & in comitium admissus, tabulas, quas adtulit, nonnulla, quæ in mandatis habebat, præfatus, solemni ritu, V. Idus Aprilis, publice reddidit; cum iam ante, natum *Friderico* filium, vice *Bethlenii*, Prid. Cal. Apriles, ad sacrum fontem, suscepisset. Interea, dum fœderis rationes excutiunt Bohemi, *Thurzo*, nullo non oblectationis genere distinetur. Tandem, VI. Calendas Maii, tabulis, quas adtulerat, biduo ante confirmatis, eximiis a *Friderico* muneribus excultus, Praga, ad suos abiit. Cum hæc fierent, atque *Bethlenius*, re, vti putabat, ex animi sententia gesta, iam se ad *Neosolienſia* comitia parabat; *Pisonium* non solum, sed regium etiam diadema, induciarum lege, in Transiluani potestate mansit. Et requieuit sane *Pisonium*, donec *Neosolii*, toto trimestri, comitiorum obtentu, a *Bethlenianis*, tumultuatum est. Mox, vbi cæca suorum adsentatione, VIII. Calendas Septembris, legatis Cæsarianis frustra contraeuntibus, in regem electus est; exercitum denuo instruere, seque, ad ferendam *Bohemis* opem, cœpit comparare. Induciarum termino haud exspectato, VI. Cal. Octobris, cum octo millium exercitu, *Pisonium* accessit denuo. Hic bidui spatio, magna ciuium molestia, commoratus, nauali ponte, quem Danubio iniecerat, transmisso exercitu, in Austriam, igne ferroque, immaniter sæuiit; truculentior multo futurus, nisi *Viennenses*, populares cædes, datis litteris, maturius deprecati fuissent. *Dampierius* interea, Cæsarianorum dux, octo millium exercitu coacto, præclarum

Tabulas fœderis, Emericus Thurzo, *ad* Fridericum, *in Bohemiam, defert:*

reddit que Bohemiæ Ordinibus *in solemni comitio:*

illic, magna adprobatione firmatas, refert in Hungariam:

Pisonii, *sub tempus inducirum, & moto, iterum bello, fata:*

Dampirii, *in profligando* Bethlenio, *conatus:*

y.) Adi KHEVENHILLERVM, citato loco.

rum facinus meditabatur. *Bethlenium* ille, indagine concludendum volebat: ſed, quo minus poſſet facere; pons, qui ad *Piſonium*, receptum fugienti daturus fuerat, obſtare videbatur. Hunc ergo, amoliendum concerpendumque ſtatuit. Nauali ſtratagemate, res optime ſucceſſura, credebatur. Itaque, naues onerarias complures, lapidibus, & pulueris pyrii doliolis, & qua non peſte alia, compleri iubet, quarum impulſu, atque flammis, moles omnis, peſſum iret. At *Hungari*, re, per exploratores, cognita, ad arcem *Déuéniam*, nauales ſubſeſſores collocant, qui igniariam claſſem, aut demergerent, aut, quod pronius videbatur, incenderent. Atque ſic omnino euenit. Huc enim delati *Viennenſes*, ab inſidiatoribus, circumquaque adpetiti, partim captis, partim demerſis, quin & incenſis nauibus, remiges, iuxta & milites, concidunt, Piſonienſemque pontem, in ipſo Hungariæ limite, ſtrenue propugnant. Re, ad eum modum infeliciter geſta, aperto Marte, tentandum *Piſonium Dampierius*, decreuit; partim, vt vrbe arceque potitus, ſacram regni coronam, hoſtibus eriperet; partim, vt, inſeſſo Danubii traiectu, *Bethlenium*, reditu arceret. Is, paullo ante *Haynburgo*, cui ter, magna ſuorum clade, fruſtra adſiluerat, reiectus, ad *Köſzögum* nunc hærebat. *Dampierius* itaque, exercitu octo millium, nauibus impoſito, VI. ante Idus Octobris, *Vienna*, haud ſine omine ſiniſtri euentus, ſoluit: nauium enim tres, quæ bellicos adparatus vehebant, ad *Viennenſem* pontem impactæ, vna vero, ſcopulo, infra *Haynburgum*, hæreſcens, cum omni, qui inerat, milite, demerſa eſt. At ille, non omnia, ſed occaſionem rei fortiter gerendæ, captans, cœptum iter, proſequitur, atque *V. Idus Octobris*, ſub ſolis ortum, *Piſonium* adpellit, factaque celeriter exſcenſione, ſuburbiorum regionem illam, quæ pone Danubii ripam, & arcis pedem, longe procurrit, nemine contraire auſo, occupat, conuellit pontem, munitiones, defenſando ei ſubſtructas, nullo negotio intercipit, atque tormenta currulia duo, quæ in regio *(z.)* colliculo, *Bethleniani* collocauerant, in vrbis moenia retorquet, eaque, frequenti diſploſione, iuxta piſcatoriam portam, pertinaciter conuerberat. At enim, quod præſidiarii, præter Hungaros, ex Auſtriacorum Bohemorumque manipulis, delecti, ab *Eraſmo a Landau*, *Andrea Thonradel*, & *Stärtzero*, *(a.)* qui forte in vrbe erant, ad rem maſcule gerendam, & voce, & exemplo, incitatis, incurſantes Cæſarianos, ſemel iterumque, reiiciunt; relicta ea oppugnatione, arci, adſiliendum putauit. Proinde, facto cuneo, *Dampierius*, ad portam, quæ vrbem proſpicit, eniti conatur, ſæpiusque, haud ſine clade repreſſus, inſtare pergit, ſi forte admota machina, cui *petardæ* nomen, portæ valuas, elidere, arcemque ſubire poſſet. Fit acerrimum, pro porta, prælium, cum

redduntur iriti:

eiusdem, in propoſito, pertinacia:

Piſonium *oppugnat:*

mox & arci adſilit:

z.) Is eſt, quem inaugurati reges, concitato equi curſu, aſcendere conſueuerunt, vibrareque, in quatuor plagas orbis, enſem S. STEPHANI. Vid. infra Hiſt. Vrb. Piſon. Cap. VI. Art. II. §. XIII.

a.) Erant hi omnes Auſtriaci, *Bethlenianarum* partium ſequaces, a FERDINANDO, ob eam defectionem, infamia notati.

cum hic quidem *Dampiriani*, infeſtis ordinibus, omni, qua poterant, virium contentione, vallos reuellunt, ſeque militari clamore, ad inceſſandam portam, inflammant; illinc præſidiarii, in ſubeuntes, plumbeum imbrem, continenter effundunt, totumque illud iter, quod arcto non minus, quam arduo tramite, in arcem ducit, occiſorum cruore & cadaueribus, reſpergunt. Iam primi adſilientium ordines, non vulnera, non letales ictus, penſi habentes, proxime ad portam perruperant, machinam, de qua diximus, valuis admoturi; cum *Dampierius*, ſpe ſucceſſus optimi plenus, voce, manu, ſtrictoque gladio, a tergo ſuos cohortatus; vti admoto igniario fune, tormentum diſploderent, glande plumbea, in *(b.)* coxendice ictus, vtroque rene, ſimul concerpto, exanimis concidit. Eo viſo, milites, turbatis ordinibus, retrocedere primum, mox, & præcipiti curſu, fugere occipiunt, non minus cadauere, ſummi ducis, quam ferali machina illa, eo loco, vbi depugnatum eſt, relictis. Tunc & *Hungari*, ex arce, *furibundis* ſimiles, proruunt, atque cominus gladiis, ſclopis *eminus*, in fugientes ſæuiunt. Repertum cadauer, contis, ab effero milite, diuerberatum, poſteaque capite diminutum, & in arcem illatum eſt. Septem horarum ſpatio, oppugnationem protractam fuiſſe, memoriales, ciuium eius ætatis, ſchedæ, loquuntur. Nam, cum, mane, ad ſeptimæ horæ ſignum, e regio colliculo, vrbs impeti cœpiſſet, ad decimam vsque, militaris incurſus continuabantur. Tunc, ne ad mœnia vrbis, militum ardor, refrigeſceret, aduerſus arcem, impreſſio ſuſcepta eſt, iamque adſiliendi labor, in ſecundam poſt meridianam proceſſerat; cum *Dampirius*, letali ictu, proſternitur. Sed, ne poſtea quidem ab inſultu, ad arcem, vrbemque, ceſſatum eſt, a *Cæſarianis*, dum ſerum diei, pugnandi finem faceret.

glandeque plumbea proſternitur:

præſidiariorum, in repertum cadauer, ſæuities:

oppugnationis ardor.

§. XXIX.

HAEC *Piſonii* fortuna fuit. *Bethlenius* contra, male apud *Köſzöginum (c.)* mulctatus, ad *Bottyánium*, neutras hucusque partes ſequutum, conceſſit, acceptusque ab eo eſt, honorificentiſſime. Dum hic diuerſatur, nuncium accipit, exuſtum eſſe pontem *Piſonienſem*, vrbem arcemque ægre, neque, niſi cæſo *Dampirio*, ſeruari potuiſſe. Quibus rebus permotus *Bethlenius*, exercitum palabundum, prædaque, intra *Styriæ* limites parta, onuſtum, ad Danubium reducit, inſtauratoque ponte, *Piſonium*, ouabundo ſimilis, ingreditur. At CAESAR, ne exercitus, duce ſtrenuiſſimo orbatus, prorſus diſſiparetur, *Iohannem Preünerum*, cum imperio, *Piſonium* mittit, qui diſiectas cohortes, ſub ſigna colligeret, ſeruaretque tantiſper incolumes, dum ſe rei felicius gerendæ, occaſio dederet. Quod ille, tametſi omni cura ſtudioque egit; tamen, cauere haud potuit, quin, nec

Bethlenius, *ad* Köſzögum, *inſigni clade adfectus, ad Bottyánium venit:*

excercitum Piſonium *reducit:*

b.) ORTELIVS Parte II. p. 75. caput, per tempora, globum peruaſiſſe, meminit.

c.) Mille ſuorum deſiderauiſſe, KHEVENHILLERVS auctor eſt, Tomo eodem, p. 961.

nec opinatis prælíis, exercitus, paſſim male haberetur, diminueturque. Regreſſus *Piſonium Bethlenius*, regis Galliæ, ad Cæſarem, legatum, ſecum adduxit, qui in mandatis habebat; vt, ſi æqua lege poſſet, *Gabrielem*, CAESARI, reconciliaret. Simul, in vrbem venit Tranſiluanus, primorum nonnullos, in vincula coniecit: quippe, ob *Dampirii* impreſſionem, proditionis inſimulatos. Dedit mox & pietatis aliquam ſignificationem; dum reuincto, ad truncum, capite, funus *Dampirio* parari, atque exſequias, ritu caſtrenſi, celebrari iuſſit. quibus deducendis, ipſe, cum Gallico legato, ſuisque ducibus, interfuit. Cadauer tunc apud *Franciſcanos* conditum; ſed anno ſequente, rogatu, legati regis Galliæ, *(d.)* Viennam delatum, nouo illic exequiarum adparatu, pridie Nonas Ianuarii, cohoneſtatum eſt. *Bethlenius* inde, ſecurus rerum ſuarum, nunc *Piſonii*, nunc *Bazingæ*, ſeu animi, ſeu recenſendi exercitus cauſſa, agebat; cum triſtes adferunt nuncii, fœderatos Bohemos, acie victos, exutos caſtris, atque in fortunam coniectos, nullis facile conſiliis, nulla ope, reparandam. Qua quidem ſubita rerum conuerſione, perculſum adeo ferunt *Bethlenium*; vt inaugurationis, quæ agitabat, conſilia, repudiauerit tantiſper, dum videret, quemadmodum tempeſtas illa, deſæuitura eſſet. Ne tamen, concidiſſe animo, videretur, ad ſuos illos fœderatos, litteras *(e.)* monitionum, bonæque ſpei, pleniſſimas, per *Zachariam Stärtzerum*, iuris vtriusque Doctorem, & Auſtriæ Statuum, apud ſe tunc legatum, *Piſonio* dimittit; copias, in *Morauiæ* confiniis, per hiberna, dislocat, quæ, ſi res porro trepidæ ingruerent, præſto eſſent, & ad nutum *Bohemorum* intentæ. At, reuera, tametſi virum ſimulabat *Bethlenius*; tamen, cauſſæ iniquiori, quam clades Bohemorum, extra modum ſauciauerat, diffiſus, Turcica circumſpiciebat auxilia. Certe, in tyranno ſibi demerendo, nihil fecit reſidui. Præterquam enim, quod induciis, vix dum conſtabilitis, rumores *Conſtantinopoli* diſſeminabat, quibus res FERDINANDI, deprimerentur, extollerentur contra, fœderatorum; *Vaczouiam*, deducto illinc Chriſtianorum præſidio, Turcis conceſſit. Audiamus FERDINANDI, ea de re, expoſtulationem, omnino æquiſſimam: *Quibus*, inquit, *rebus*, *per vim & fraudem geſtis*, *iſta quoque addit*; *quod quemadmodum in Tranſiluania*, *vt Turcarum gratiam demereretur*, *valida Chriſtianarum ditionum propugnacula*, *magnis Romani Imperii ſumtibus*, *ſub* Sigismundo Bathoreo, *a Turcis recuperata*, *videlicet*, Lippam, Solymós, Tót-Váradgja, Margita, Monoſtor, Arad, Syri, & Facsáth, *vi & armis occupata*, *Turcis tradidit*; *ita nunc in Hungaria*, *limitanea præſidia*, *iisdem Turcis conſignare cœpit*, *tradiditque nuper* Váczium, *Epiſcopalem ſedem*, *inter Budam & Strigonium*, *opportuno loco ſitum*, *magnis olim Hungariæ*, *ſacrique Imperii impenſis*, *recuperatum atque defenſum*. *Vtque*, *tam nefariæ proditionis a ſe inuidiam amoliretur*, *hac nos calumnia appetiit*, *quaſi per oratorem noſtrum*, *in porta*

Dampirium caſtrenſi ritu effert:

Bohemorum clades, perturbat conſilia Bethlenii:

d.) Ita KHEVENHILLERVS, Tom. IX. p. 1334.

e.) Legi eæ poſſunt, apud KHEVENHILLERVM, loco cit. p. 61. ſeqq.

ta Ottomannica, *de Váczio Turcis tradendo*, *tranſegiſſemus*: *quod quidem magis falſum ac friuolum eſt*, *quam vt fidem apud vllum*, *qui non plane perditus ſit*, *poſſit inuenire*. Ita FERDINANDVS. Damnoſiſſimi inſtituti, geminam habuiſſe rationem *Bethlenium*, ORTELIVS *(f.)* auctor eſt: alteram, vt ea largitione, Tartaros, qui Turcis, aduerſus *Polonos* militabant, a Tranſiluaniæ finibus, arceret; alteram, vt, ſi in anguſtias coniiceretur a *Ferdinandeis*, paratum apud Turcas, perfugium, promtaque haberet auxilia. Quidquid eius fuerit, nequit profecto excuſari facinus: quippe, maximo rerum Hungaricarum malo, perpetratum. Sed BETHLENIVS, a conſiliorum tenore, ſemel dimotus, animo fluctuare, & nunc ſpem pacis oſtentare, nunc receptum moliri in Tranſiluaniam. Ergo, ſacrum regni Hungariæ diadema, ne itineri deeſſet comes, ex arce *Piſonienſi*, XIII. Calendas Decembres, dies *S. Eliſabethæ* ſacer fuit, ſolemni ritu ſublatum, ſecum, *Vetuſolium*, atque hinc, in ſuperiorem Hungariam, deducit; futurum, ſi quid præter ſpem porro euenisſet, pacis emercandæ pretium, toto contra auro, maius cariusque. His, a *Bethlenio*, patratis, FERDINANDVS, nupera victoria, in ſpe ſucceſſuum meliorum, prorſus confirmatus, ſanctionem, cuius meminimus, promulgat, actus *Bethlenii* omnes, irritos pronunciat, abrogat inane regis vocabulum, ſibique ius omne, in Hungariam, quod habuit conſummatiſſimum, excelſo animo adſerit.

is Coronam Piſonio abducit.

§. XXX.

TAntis defunctum malis, *Piſonium*, adhuc *Bethleniano* præſidio, tenebatur. Itaque, id præcipue, ineunte anno MDCXXI. operam dedere *Ferdinandei*; vt, quam primum per hiemem liceret, depulſis *Hungaris*, *in fidem* reciperetur. Sed, ei deſtinationi, non vna ſe difficultas obiiciebat. Nam, in Transdanubiana quidem Hungaria, *Bottyánius* atque *Zrinius*, nuper, in partes *Bethlenianas*, illecti, adhuc tumultuabantur, igne, ferro, & rapinis, vlteriorem Auſtriam, conuerrentes; ad *Morauiæ* autem fines, exercitus *Bethlenii* pars, duce *Turriano*, per hiberna excubabat, partim flammis, partim abactis ingentibus prædis, vltra humanitatis modum, ſæuiens. Proinde, exturbandi vtrinque hoſtes fuere, ſaltem ita retundendi, vti *Piſonio*, ſi obſideretur, nequirent ſuppetias ferre. Et in Transdanubiana quidem regione, *Colalto*, atque *Nicolaus Eſzterházy*, fortiter rem geſſere; *Bouquoyus* contra, *Morauiæ* fines, reiectis hoſtibus, opportunis præſidiis, communiuit, *Szakoltza* ſimul, atque *Trentſchinio*, recuperatis. Sub idem tempus, *Rudolphus ab Tieffenbach*, *(g.)* arcem *Devéniam*, Morauici militis proditione, capit; *Bouquoyus* autem, ne hoſtilis quidpiam munimenti, tota ea regione, ſupereſſet,

Extorquendi, a Bethlenianis, Piſonii, conſilia:

quibus rebus impedita,

expeditaque fuerint:

f.) Parte II. p. 77, b.

g.) KHEVENHILLERVS, loco citato, p. 1335. fine: & ORTELIVS, Parte II. p. 79, a.

pontem, qui ad *Mareckum*, Morauæ fuit impositus, Hungarorum profligatis excubiis, suis adserit. Nondum hæc geri cœperant; cum, enitente regis *Galliarum* legato, quem subinde sollicitabat *Bethlenius*, de pace, *Pisonii* primum, *Brugæ* ad Leytham postea, inde *Neapoli Austriæ*, denique *Haynburgi*, agi cœptum est. Missi, a Cæsare, legati, Comes a *Meggau*, & *Seyfridus Christophorus Preüner*, IX. Calendas Februarias, *Haynburgum* venere. Accesserunt *Bethleniani* quoque, sed conatu vtrinque irrito. Cum enim litteras, quibus eis potestas adscribebatur paciscendi, Cæsarianis, ex more, tradidissent, fastoso *Gabrielis Regis Hungariæ* titulo, quem prætexuerat, haud iniuria offensi, manum de tabula, nec cunctati, tollunt: nullum sibi regem Hungariæ, præter vnum FERDINANDVM, cognitum, interserentes: si rem serio agi cuperent, litteras sibi, quæ a *Bethlenio*, Transiluaniæ principe, scriptæ essent, dari oportere; tunc demum, ad pacis consilia, aditum præstructum iri. At *Bethleniani*, cum id, sine irreparabili, & temporis, & existimationis heri sui, iactura, facere se haud posse obtenderent, inducias rogant. Quas, vbi FERDINANDVS negauisset, *Bethlenium* contra lucrando tempori, haud vero pacis intentum studiis, non vno indicio comperisset; nec auditis pacis conditionibus, discessum est. Re ea, ad *Bethlenium* perlata, nunciis præterea, a *Turriano*, acceptis, *Dévénum* hinc, illinc *Szakoltzam*, a *Ferdinandeis* interceptam, Morauæ traiectus occupatos, iamque ad obsidendum *Pisonium* adparatus fieri; flexo, itinere, cum quindecim millibus, *Tyrnauiam*, mox & *Pisonium* aduenit: vrbem & arcem commeatu, militeque complet; vtque *Dévénum* recuperaret, castra ad Morauam, promouet. Sed illic, re infeliciter gesta, quod adsilientes, semel atque iterum pedites *Hungari*, magna clade reiicerentur; *Holicsum* versus exercitum deducit. Aberat, a stationibus suis *Bouquoyus*. Itaque, decem mille peditum immisso exercitu, hiberna *Ferdinandeorum* statiua, V. Cal. Martii, intempesta nocte, adoritur. Committitur atrox prælium, concurrente, ad arma & ordines, stationario milite. Quod dum fieret, *Hungari*, trihorii pugna decertata, in rapinas effunduntur, equorum insignem numerum abigunt, atque ducentis desideratis, ad castra redeunt. Parum, tantilla impressione, ad summam rei, profectum est. Itaque, subiectis *Holitscho*, quod Cæsariani insederant, ignibus, ipse, cum delecta manu, *Pisonium*, inde *Tyrnauiam*, rediit. Hic, dum moratur, adsunt, missi a *Tartarorum Chamo*, legati, ex gentis more, pharetram, cum arcu, & sagittis, muneri offerentes. Epistola certe, quam reddiderunt, plena fuit barbaricæ humanitatis, atque officii. quod ille, si ita res ferret, misso insigni suorum exercitu, testaturum se, recipiebat: fastose interserens, quam felicem anno superiore, aduersus *Polonos*, expeditionem, *Sultani* auspiciis, confecisset. Respondit *Bethlen*, sed iniquius sane, quam Christianum principem decuisset. Litte-

Bethlenius, *de pace, cum* Ferdinando *agere incipit*:

conatu irrito:

Bethlenius *Pisonium, validiori præsidio, communit*: Dévénum,

& Bouquoy *stationes, infestat*:

a Tartarorum Chamo, *litteras accipit*:

Litterarum *(h.)* argumentum, istud fuit: Vehementer se *Chami* hac, quam erga se testatam voluerit, beneuolentia, delectari; victoriam, de *Polonis*, de ignauo & infido hominum genere, partam, gratulari ex animo, vouereque, vt hæc ei felicitas sit perpetua; se, XXII. menses, bello Germanico implicitum, pluribus præliis, triginta hostium millia fudisse; nunc, pacis tantisper consilia, cum Germanis communicare, dum *Sultani* suppetiæ adfuerint; quæ simul aduenerint, reparari facile posse, adflictam, nupera clade, *Bohemorum* fortunam; id, gratissimum in primis sibi accidisse, quod, auxiliares copias, tam liberaliter *Chamus* polliceatur. quas, si suo ductu, proxime secum coadunauerit, maiorem hic & gloriam, & opimiorem prædam, quam in *Polonia*, paratam sibi fore: ageret, &, quam per nuncios, amicitiam testatus sit, præsens, cum decem millium exercitu, confirmaret. Simul epistola hæc, in vulgus emanauit, alienari a *Bethlenio*, Hungarorum animi, cœperunt; quod viderent, non tam reipublicæ cura, quam vindictæ cupiditate, agi trahique hominem. *Qua voluntatum* mobilitate aduersa, FERDINANDVS, veniam offensarum, omnemque benignitatem, missis quaquauorsum litteris, nunciat omnibus, qui, relictis *Bethlenii* partibus, regi fidem iurauerint. Successit institutum, feliciter adeo; vt præter gregarium vulgus, duces ipsi, discessionem, a *Bethlenio*, facerent. In his fuere, *Georgius Szétsy*, *Thomas Bosnyák*, *Stephanus Pálffy*, alii: quorum postea ope, vti res *Bethlenii*, multum diminutæ fuerunt, ita FERDINANDI fortuna, passim, per Hungariam, reparari cœpit.

eique respondet, præter Christiani principis decus:

Hungarorum, a Bethlenio, *alienatio.*

§. XXXI.

His auctibus, animosiores facti Cæsariani, *Bethlenium*, leges pacis, *etiam æquissimas, constanter* repudiantem, armis denuo adoriendum, statuunt, atque expugnando, ante omnia *Pisonio*, animum adiiciunt. *Bouquoyo*, tota belli procuratio, credita fuit. qui comparato, quatuordecim millium exercitu, expeditionem eam susciperet. Igitur, Aprili senescente, profectionem edicit, & qua terrestri, qua nauali itinere, primo *Haynburgum*, inde *Pisonium*, petit. Huc postea*quam III. Calendas (i.) Maii*, accessisset, vrbe quidem die postero, diffugientibus *Bethlenianis*, ex facili potitus est; eo, quod ciues, triduo ante, *Viennam* nuncios miserant, qui, offerrent deditionem. arcis oppugnatio, operarum militarium non nihil popposcit. Præsidiarii enim, qui ex *Hungaris*, & *Morauis*, impositi fuerant, *Dampirii* casu adhuc ferocientes, adeo, vel mentionem dedendæ arcis, ferre nequiuerunt, vt vexillum etiam rubeum protenderent, defensandæ eius indicium. *Bouquoyus*, vrbem, cum

Bello, in Bethlenium *decreto, Pisonium, & Bouquoyo, obsidetur*:

vrbs deditione;

h.) Legesis epistolam integram, apud KHEVENHILLERVM, Tom. IX. p. 336. seqq.

i.) Sequimur in designanda obsidionis die, ciuium, eius temporis, memoriales schedas. Nam KHEVENHILLERVS, & cum eo, ORTELIVS, VI. Nonarum Maii, vrbem, obsidione incinctam, meminerunt.

ſelecta ſuorum manu, ingreſſus, ciues, in fidem recipit. Mox, oppugnandæ arcis opportunitatem, ipſe ſpeculatur. Atque, parum abfuiſſe ferunt, quin *Dampirii* exemplo, dux fortiſſimus, ante ſterneretur, quam obſidionales operas, exorſus eſſet. Nam, dum ſtationes, ritu caſtrenſi metaturus, ſubit, tribus tormentorum diſploſionibus, tam accurate deſtinato ictu, impetitus eſt, vt, ad ſcopum collimauiſſe machinatorem credidiſſes. At is, vti animo fuit impauido, ſuggeſtus, ſine mora educi, tormentaque currulia, ſubuehi iubet. Tridui ſpatium iſtis adparatibus conſumtum eſt; cælo pluuio, operas, aliquamdiu impediente, dum res tormentis agi potuit. Hæc, vbi detonuere, præſidiarii quoque, viros ſimulare. Sed, vix dies oppugnationis tertius illuxerat, dum, e lorica, quæ in primis oppugnabatur, exturbati, dedendæ arcis conditionem, accipiunt, ita comparatam, vt *Morauorum* quidem manipuli, incolumes domum abirent, *Hungari*, cum ſarcinis, *Ujvárinum* demigrarent. Arce, ad hunc modum, pridie Nonas Maii, vindicata, atque templo, *S. Martini*, biduo ante, *Romano Catholicis* reddito; iſthic, aliquamdiu, cum exercitu *Bouquoyus* ſubſtitit; vt hoſtium molitiones, prorſus cognoſceret. Tandem, rebus, quæ ad profectionem non ſolum; ſed obſidendum etiam *Ujvarinum* erant neceſſariæ, rite comparatis, *XVII. Calendas Iunii*, caſtra mouet, ex itinere; vt belli terrorem, quam latiſſime ſpargeret, obuia quæque loca, diripit, ignique exurit. In his *Rétse*, *Szent-Györgyinum*, *Bazinga*, & *Modor*, recenſebantur. *Tyrnauia*, vicinorum malis perterrita, vltro ſe dedidit. *Schintauia*, traiectum in *Vago* molienti, aliquantum moræ iniecit; tradita vero poſtea, ex deditionis lege, præſidiarios non admiſit. Quæ hinc a *Bouquoyo*, ad *Ujvarinum* geſta ſint, dum ipſe vitam illic prodigeret, ad eius loci oppugnationem, *(k.)* diximus.

arx, tridui oppugnatione, capitur:

Bouquoy, ad obſidendum Ujvarinum, profectio:

& interitus.

§. XXXII.

Piſonium, *obſidione, denuo cingendum, ſtatuit* Bethlenius:

Bethlenius, poſt liberatum obſidione, *Ujvárum*, atque Cæſarianos, in inſulam *Csalloköz*, repreſſos, cum iam ante, ſacrum regni Hungariæ diadema, *Vetusolio*, fortunam veritus, *Etsedinum* deportauiſſet; *Piſonium*, obſidione cingendum, conſtituit. Ei deſtinationi, *Tyrnauia*, quam *Bouquoyus* nuper, deditione captam, mille circiter præſidiariis, communiuerat, remoræ quidpiam iniicere poſſe videbatur. Ergo, vt ſuam faceret, militem adſilire iubet. Ter, fruſtra repetito conatu, atque ducentis ſuorum deſideratis, tandem, tormentorum boatu, ita vrbem perterruit; vt *Calendis Auguſti*, deditionem faceret, præſidiariis, in *Morauiam*, dimiſſis. Cum hic ſtatiua *Bethlenius* habet, velites, *XII. Calendas Auguſti*, ad infeſtandum *Piſonium*, procurrunt. Facile, ex ea impreſſione aduerterunt *Piſonienſes*, obſidionis hæc eſſe præludia. Proinde, ad tolerandam eam, retundendamque, ſe comparant. Sed, quod fidem ciuium, in ſuſpicionem apud FERDINANDVM, adduxerant belli duces, iuſſi ſunt, non eos modo, ſed reliquam quoque incolarum multitudinem, armis exuere. quod illi ſolerter VIII. *Idus Auguſti* exſequuntur. Nam, & arma ſingulis detrahunt; &, ne quid vspiam telorum occultaretur, ædes, atque ſcrinia, ſagaciter excutiunt. Prætori, Conſuli, & vrbis præfecto, *Capitaneum* vocant, atque horum lictoribus, gladio, quo ſuccingerentur, relicto. Neque id ſatis ciuibus eneruandis, viſum eſt. Enim vero, bellici ſenatus conſulto, *Schwendius*, qui, vrbem præſidio tenebat, XIX. & XVIII. *Cal. Septembres*, ſuburbia, ne hoſti occultando eſſent idonea, ſtrenue exurit. Quæ dum in vrbe fiunt, foris *Bethlenius*, *Jägendörfferi* acceſſione factus valentior, quatuor mille, ex ſuis, ad populandam *Morauiam*, dimittit, ſe vero, ad oppugnandam, omni ope, vrbem, accingit. Adhuc fumabant ſuburbia, cum Tranſiluanus, *XVII. Cal. Sept.* ad radices vinearum, quibus *Hohenau* nomen eſt, late caſtra metatur. Bidui ſpatio hic ſubſtitit exercitus, *tumultuariis* incurſibus, fruſtra præſidiarios, extra vrbem, prolectans. donec *XIV. Calendas* oppugnationis fierent exordia. Primos ſuggeſtus, ea ſuburbii platea hoſtes poſuerunt, quæ a puteo, quatuor amphorarum, cognominatur; importune profecto; ſed magno tamen obſeſſorum commodo: quod ea parte, ictus tormentorum, diutius ferri poſſe credebantur, ob molem, quæ portæ *S. Michaelis* prætexebatur, multo, quam alibi, validiorem. Quod & ita euenit: nam, cum in quartum vsque diem, ea mœnium regio, perpetuis fere globorum iactibus, verberaretur, nihil aliud noxæ illatum eſt, quam quod lorica deiecta, difficiliores machinatorum operæ fuerint redditæ. Cum hic, in irritum cadunt omnia; pars, obſidionales aggeres, ſiniſtrorſum, qua nunc cœnobium eſt *Frr. Miſericordiæ*, producunt; pars *collocatis*, intra corbes, machinis, portam *S. Laurentii*, non ſine *(l.)* ciuium iactura, tanto impetu, quatuor maioris modi tormentis, quatiunt; vt & murorum coronam, breui poſt, deturbarint, & pertuderint, *Laurentianæ* portæ ſuggeſtus. Geminam hanc adgreſſionem, tertia mox adauxerunt obſeſſores. Eſt, vicinum *S. Michaelis* portæ, armamentarium, ſolido opere, ad turris formam, mœnibus inædificatum. Hoc, ſi poſſent, elidendum in aera, conſtituerant. Ergo, vaſtum, aduerſa eius regione, aggerem educunt, ponunt in eo tormenta, ſæuiuntque perpetuis diſploſionibus, tam vehementer, vt metuendum fuerit, ne turris, quæ iam rimas cœperat agere, prorſus corrueret, aut pyrius puluis, hic repoſitus, igne concepto, molem vniuerſam, cum eximia mœnium parte, funditus reuelleret. Sed, quia ſolis globorum iactibus, res ab hoſte gerebatur, neque, ritu caſtrenſi, ſeu viæ deprimebantur obſidionales, ſeu cuniculis muri ſubruebantur, lentos, ea quoque oppugnatio, profectus habuit. Hæc, ad *IX. Calendas Septembres*, geſta ſunt, magno quidem

ciues Piſonienſes, a Cæſarianis, armis exuuntur, ſuburbiis ſimul exuſtis:

oppugnationis exordia:

feruor:

k.) In Comitatu *Nitrienſi*, Parte II. Membro I. Sect. I. §. VIII.

l.) Tametſi enim armis ſpoliati fuerunt, machinas tamen, pro muris, tractare cogebantur.

dem obſidentium conatu, ſed virtute profecto obſeſſorum maiore. Tunc, & apluſtre turris *Michaeleæ*, hoſtis ludibundus, inaniter decuſſit, eliſit aliquot ambulacri fulcra, ad obſidionis autem ſummam, vix quidquam profecit. dum *VIII. Cal. Septembris*, mœnibus, quæ portam *Laurentii* a Septentrione, contingunt, perpetua tormentorum verberatione, quadamtenus deiectis, metus præſidiariis, haud inanis incuteretur, ne, ſi latius profundiusque muri procumberent, adſultum, per eas ruinas, hoſtis adtentaret. Itaque, *Schwendius*, intra vrbem, ea fori regione, quæ ad Cœnobium *Franciſcanorum* proſpicit, iacere aggeres, numeroſioreque milite compleri iubet; vt, & laborantibus præſto eſſet, &, ſi perrumpere hoſtem contingeret, media vrbe, nouis munitionibus tantiſper detineretur, dum a reliqua multitudine concurri poſſet. Neque ſegnius *Bethleniani* in opus incumbunt, hinc quidem, munimentum *Laurentianæ* portæ, dextro latere adpoſitum, illinc armamentarium, diuerberantes. Quem oppugnandi ardorem, vti reprimerent præſidiarii, tentata *V. Cal. Sept.* eruptione, incertum, plusne ipſi damni acceperint? quam in ea feſtinatione potuerint inferre. Ferociam hanc, vlturi hoſtes, ſi vnquam alias, die ſequente, ſingulis adgreſſionum locis, tanto machinarum fragore in vrbem detonuerunt; vt *Viennæ*, audiri exploſiones ſingulæ, dinumerarique potuerint. Iam perdendæ vrbis rumor ad FERDINANDVM peruaſerat; cum bellicus ſenatus, quinque *Italorum* millia, mille item cataphractos, duce *Thoma Carazoli*, auxilio vrbi ſubmittit. Simul hi aderant, viſum eſt ducibus, facta, in hoſtium aggeres, valida impreſſione, amoliri obſidionem. Ergo, agmen plurium millium deligitur, quod ductu *Lichtenſteinii*, III. Cal. Sept. erumperet. Tripartito diuiſæ cohortes, ſuas ſibi ſingulæ, hoſtilium operarum regiones, ad inuadendum, deſignauerant. Atque hi quidem, qui per portam *S. Michaelis* proruerunt, eiectis, e cœmeterio cognomine, hoſtibus, illic pedem figunt, rem ſclopis minutioribus, fortiter gerunt, & ſuggeſtus laceſſunt. Neque minori alacritate, e porta *S. Laurentii* procurſum eſt. Pars, in villam *Karnerianam*, vbi aggerum caput fuit, graſſabatur; pars, e *Xenodochii* vico, in plateam *Hungaricam*, per medias Bethlenianorum excubias, inter hortorum rudera, eluctabatur. Tunc, præfocare celeriter tormenta, pertundere paſſim aggeres, deturbare corbes, obtruncare reluctantes. His, ſumma feſtinatione confectis, ne a concurſantibus *Hungaris*, circumuenirentur, paucis deſideratis, ingenti, contra, hoſtium numero cæſo, receptui canunt, inque vrbem, ouantibus ſimiles, redeunt. Quantum ea eruptione præſtitum fuerit, triduo poſt, adparuit; cum hoſtes, ſpe, expugnandæ vrbis, abiecta, & deductis clam tormentis, ipſis *Calendis Septembris*, aggeres deſerunt; ac denique, *pridie Nonar. Sept.* abdicatis ſuccenſisque caſtris, inglorii, *Tyrnauiam* recedunt.

obſeſſi eruptione:

noua, in hoſtes eruptio, ſucceſſus egregii:

clade accepta, aggeres deſerunt Bethleniani.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

RElicto *Piſonio*, id poſtea agebat *Bethlenius*; vt Cæſarianos, qui ſe in caſtris, hucusque continuerant, ad inſequendum ſe proliceret, poſteaque, interceptis, qui ſecundo amne, deuehebantur, commeatibus, pertraheret in inſidias: quam ille opportunitatem, *Septembri* fere integro, poſitis, ad Szemptzinum *(m.)* ſtatiuis, aucupabatur: *Piſonienſes* certe vindemiatores, non vna hinc clade, adflixit. Verum, Cæſariani, ſiue, quod ſatis habuerint, *Piſonium* obſidione liberauiſſe, ſiue, quod ob paucitatem ſuorum, atque exhauſtum in primis equitatum, temerarium ducerent, inconditæ multitudini, ſemet obiicere, *Calendis Octobris*, deſerta inſula, traiectoque Danubio, in hiberna conceſſerunt. Quæ dum fierent; *Bethlenius*, fortunæ, qua hucusque vſus fuit, pertæſus, atque veritus deteriorem, ad paciſcendum cum Cæſare, animum denuo adiecit. Neque repudiauit FERDINANDVS, eas conſiliorum rationes, modo abeſſent a fraude. Igitur, collatis, per internuncios ſententiis, *Niclasburgum* Morauiæ, vbi de pace ageretur, deligitur. Miſſi, a Cæſare legati, *Cardinalis a Dietrichſtein*, *Seyfridus Chriſtophorus Preünerus*, atque *Comes Colalto*, primi, præſtituto loco, adfuere. Hos, Comes *Emericus Thurzo*, *Bethlenii* legatus, cum ſociis, ſine mora, ſequutus eſt. Non erat difficile, de pacis conditionibus conuenire; quod neutri parti bellum probabatur. Remoræ quidpiam, *Emerici Thurzonis* mors, rebus, penitus conficiendis, iniecerat. KHEVENHILLERVS *(n.)* auctor eſt, propinatum ei, venenum fuiſſe, cum *Niclasburgum* abituriens, vltimo, apud *Bethlenium*, conuiuio, acciperetur. Ac dolendus omnino hic, *Thurzonis* exitus fuit, ſeu is veneno procuratus eſt, ſeu fatorum deſtinatione. Præterquam enim, quod in Cæſaris partes, factus fuerat procliuior, ſpem certe fecerat de ſe, ciuem fore, non regi minus, quam patriæ, fidum vtilemque. Pax tandem, redintegratis denuo conſultationibus, exeunte Decembri, æquis legibus, coaluit. cuius tabulas, *Comes Nicolaus Eſzterházy*, Calendis Ianuariis, anno MDCXXII. Viennam, ad Cæſarem, pertulit: quas, *(o.)* vt inſeramus, prolixitas vetat: quippe, gemino diplomate, perſcriptas, quorum alterum *Bethlenio;* alterum, *Statibus Regni Hungariæ*, datum eſt.

Obſidione relicta, Cæſarianos e caſtris prolicere ſtudet Bethlenius:

noua de pace conſilia agitat:

Niclasburgenſis *hinc pacificatio, ſequitur.*

§. XXXIV.

PAce conſtituta, prima, ſuis auſpiciis, comitia, FERDINANDVS, *Sempronium*, ad III. Idus Aprilis, indixit; ſed quæ *Calendis* demum *Maii*, coiuere. Iſthuc, diadema Regni Hungariæ, iam ante,

Ferdinandus, *coniugem* Eleonoram *in Sempronienſibus comitiis, inaugurari curat:*

m.) Habemus litteras *Bethlenii*, quas ex iisdem caſtris, ad prouinciales, ſcripſerat.

n.) Annalium Ferdinandeorum, Tomo IX. p. 1345. vbi de viri morte plura legas. Incidit ea in *XV. Cal. Nouembris*, horam matutinam quintam.

o.) In compendio eas exhibet, Decretum A. MDCXXII. Art. XXIX. & VII. Signauit diploma CAESAR, *Viennæ* VII. Ian. A. MDCXXII. *Bethlenio*, per *Commiſſarios*, latine, *recuperatores* dicimus, qui coronam ab eo reciperent, miſſum.

ante, ex pacis legibus, reſtitutum a *Bethlenio*, millenaria cohorte, quam *Stephanus Pálffy* ductabat, comitante, *Trentſchinio* adlatum eſt. quod poſtea, ELEONORA, FERDINANDI coniuge, VII. *Calendas Auguſti*, ſolemni pompa, inaugurata, *(p.) Piſonium* relatum eſt; cum inde, annum, atque menſes nouem, exſulauiſſet. Quieta hinc, toto biennio, vrbs noſtra fuit, reparabatque damna, ſuperiorum annorum iniuria, a ſeditioſis, iuxta & Cæſarianis, illata: dum, nuperi fœderis, oblitus *Bethlenius*, nouas iterum turbas excitat. Ingenti is cum exercitu, quem ex Tranſiluanis, Hungaris, Turcis, atque Tartaris, prædarum ſpe, coegerat, in Hungariam ante ſe infudit, quam bellum, FERDINANDO denunciaſſet. Octoginta millium multitudinem eam fuiſſe, in annalibus reperio. CAESAR, qui tunc *Pragæ* diuertebat, ad primum, nouæ ſeditionis, rumorem, *Viennam*, acceleratis itineribus, venit. Hic, quos tumultui prætextus obtendebat *Bethlenius*, ex litteris, late per Hungariam ſparſis, cognoſcit. Cauſſabatur nimirum: *pacis Niclasburgenſis conditionibus, haud ſtetiſſe Cæſarem;* Opauiæ, *&* Ratiboriæ *ducatus, ſibi ademtos; Patres* Ieſuitas, *habitos, quam pro pacis legibus, benignius.* Ergo, *& hæc redintegraret Cæſar, & Bohemicos exules, quique eo caſu, peſſum iuerant, priſtinæ dignitati, ac fortunæ, redderet; religionis exercitium, Hungaris, Bohemis, & Morauis, liberum eſſe iuberet. Id ſi fecerit, rediturum ſe, vnde venerat; ſin minus, ferro atque igne, tam diu ſæuiturum, dum poſtulatis Cæſar adnuat.* Rei indignitate, permotus FERDINANDVS, quod nihil videret reſidui, quam, vt & ipſe, bellum compararet, quanta potuit celeritate, exercitum coadunat. *Bethlenius* interea, traiecto *Tibiſco*, qua proficiſcebatur, arces complures, deditione, paucas vi, ceperat. *Szendrő*, ac *Léua*, nulla cauſſa alia, quam quod nouis rebus lætarentur præſidiarii, tranſeunti traditæ ſunt. Hinc *Tyrnauiam*, nec tentato *Ujvarino*, itum eſt legione *Tieffenbachiana*, quæ ſe ad vicum *Bochdanócz* obuallauerat, ex itinere, * intercepta. *Tyrnauia*, denique ſub poteſtatem miſſa, luſtratoque exercitu, multitudinem omnem, quadrifariam diuidit. Pars, in *Morauiam* immiſſi; pars, *Csalloköz* inſulam occupare; *Styriam* pars inuadere, iuſſi ſunt. Reliquum exercitus, ſibi & *Jägendorffio*, quem ſecum habebat, retinuit. Hi ergo, factis agminibus, quaquauorſum, opinione celerius, diffunduntur, ſæuiunt in homines tectaque, regiones, quam late poſſunt, diligentiſſime euerrunt. *Piſonio* certe, vix vlla dies, ſine ſtrage abiit, ſub ipſa mœnia procurſantibus, qui ad *Tyrnauiam*, cum *Bethlenio*, conſederant. Itaque, ingens, cum hominum, tum pecorum vis abacta, corrupta adhæc vindemia, tantum vrbi inflictum damni eſt, quantum, vix plurium annorum pace, reparari potuit. Ardebat, his facibus, non *Hungaria* modo, ſed vicinæ etiam prouinciæ. Quibus reſtinguendis, CAESAR, Comitem de *Nigromonte*, datis ei collegis, cum nouem millium, veterano

redit Piſonium *ſacrum Hungariæ diadema:*

noua a Bethlenio, *ſeditio commota: & huius prætextus:*

incrementa:

graſſationes, quadripartito ſuſcepta:

p.) Vide omnino, eiusdem anni Decretum, Artic. IV.

**)* Dedimus, Hiſtoriæ vrbis *Tyrnauienſis*, Cap. I. §. XXX.

no exercitu, dimittit, ſed profecto inauſpicato. Præterquam enim, quod *Bethleniani*, inſeſſo *Moraua* amne, aditus omnes, qui in Auſtriam, Morauiam, Sileſiamque ducebant, firmis vbique præſidiis, iam præmuniuerant; occurrit aduentanti, cum quadraginta millibus, *Bethlenius*. Tantæ multitudini, cum ſe impares fore, cernerent Cæſariani; pedem ante referunt, quam vltimum diſcrimen adirent; quodque hoſtem, veſtigia ſua prementem, nequirent effugere, ad *Gödingam*, loci opportunitate freti, caſtra communiunt: magno profecto, ac pene inexplicabili ſuo malo. Locus erat, ponendis caſtris, vnice opportunus. Nam, parte quidem oppidi altera, palus erat piſcinaria, altera lacuſtris atque impermeabilis vligo: frontem, itinerarius agger, milliaris interuallo, præcingebat. Quod inde reſiduum fuit, partim opacum nemus erat, partim aperta, ac perlibrata planities. Huc ſe Cæſariani coniecerant, ſuppetias, vti rebantur, præſtolaturi. At *Bethlenius*, excitatis, feſtinato opere, qua opportunum videbatur, quatuor aggeribus, exercitum omnem, arctiſſime circumcludit; tormenta, per ſuggeſtus, collocat; ſæuitque in obſeſſos, tanta machinatorum adcuratione; vt nemo in Cæſarianorum caſtris, vel caput, e ſcrobibus, quas deprimere cogebantur, proferre auderet, ſine præſentiſſimo vitæ periculo. Septem hebdomadas, his anguſtiis concluſi tenebantur. Qua re factum eſt; vt inualeſcente in dies fame, non minus ab hoſte, quam inedia, conficerentur. Id triſte erat ſpectaculum, quod cadauera equorum, quos pabuli inopia necauerat, a milite, certatim diriperentur; quin, infeſtis quandoque armis concurreretur ab his, qui infauſtum cibi genus, inuicem partiebantur. Eneruatum, tam longa fame, exercitum, tandem, XV. Cal. Decembres, aperto Marte, adoriendum, delendumque, *Bethlenius* ſtatuit. Rem, a tormentorum exploſione, ſummo mane exorſus, centum ſexaginta ſex globos, in obſeſſos euibrauerat; dum interim ſuos, acie inſtructa, ad rem fortiter gerendam, accendit. Carebat fere peditatu. Proinde, equo ipſe delapſus, acinacem ſtringit, equites *Turcas*, idem vti facerent impauidi, hortatur. At illi, inſolitum pugnæ genus, deprecari, quin adſeuerare, ne *Sultano* quidem, ſi præſens id iuberet, obſecundaturos. Atque, ea barbarorum obſtinatio, ſaluti Cæſarianis fuit. Ne interim, pecudum ritu, inulti caderent, diſponunt & ipſi aciem, remque, ſeptem tormentis, aduerſus *Bethlenianos*, quomodocunque gerunt. Mox, cum hoſtem ceſſare vident, cuneato agmine, per nemus illud, & Hungarorum excubias, armis, viam, qua euaderent, ſibi aperiundam ſtatuunt. Vix fugam moliri cœperant; cum quid tentarent hoſtes, ad *Bethlenianos* perfertur. Obiiciunt illi ſe fugientibus, & primos *Vallonum* manipulos, fortiter, pro caſtris dimicantes, concidunt: reliquos, intra ſua luſtra, repellunt. His malis circumuenti Cæſariani, cum, qua euaderent, non ſupereſſet; diuino prorſus munere, in libertatem adſeruntur. Tantæ rei, *Bethleniani* exploratores, occaſionem dedere, falſo, per metum, nunciantes, qua-

infelix Cæſarianorum expeditio:

quos ad Gödingam, Bethlenius *arctiſſime obſidet:*

poſtea, fame enectos, adoriri parat:

conatu irrito:

adſeruntur in libertatem: eius rei occaſio:

quadraginta millium exercitum, ex *Germanis*, *Bohemis*, atque *Polonis*, conflatum, ad ferendas obſeſſis ſuppetias, aduentare; neque procul abeſſe, cum ſuis cohortibus, *Nadasdium*. Eo nuncio, perculſus Tranſiluanus, monitionibus *Stanislai Thurzonis*, Regni Hungariæ Palatini, pacis conſilia, multa cura ſuggerentis, tandem locum præbet, admiſſoque ad colloquium *Schwartzenbergio*, XI. Calendas Decembris, bimeſtres inducias, paciſcitur. Accepit, bonus ille, conditionem, vt reliquias exercitus ſeruaret. Sex millia, in ea obſidione, partim fame, partim glandium imbribus, interierant. Quin, reſidui quoque, commeatu, ex induciarum lege, accepto, cum inueteratam famem exſatiare nequeunt, ingluuie pereunt. Induciis conſtitutis, pacem deinde, miſſis, vltro citroque, nunciis, tractari placuit. quæ, quod ob poſtulata *Bethlenii*, difficilius conciliari poſſe putabatur; *Piſonio* autem, ob hoſtium, *Tyrnauiæ* excubantium, vicinitatem, metuendum erat: valido id præſidio, anno iam ſeneſcente, communitum eſt. Diſerte ORTELIVS: *(q.) Inquieti auerruncandæ, fines Hungariæ, collocatis paſſim præſidiis, firmantur:* POSONIVM *in primis, cui tutando, valida, Cæſarianorum manus, impoſita eſt.*

induciæ, cum Negromontano, initæ:

nona, tractandæ pacis, tentamina:

Piſonium, præſidio firmatum.

§. XXXV.

Tota poſtea hiems, conciliandæ paci inſumta eſt: cuius arbitri, præter Germanos, ex Hungaris quidem; *Stanislaus Thurzo*, Palatinus; ex Tranſiluanis *Wolffgangus Kamuthy*, præcipui fuere. Tabulas, *(r.)* VIII. *Idus Maii*, Viennæ, mutuo permutatas, *Kamuthy*, & qui cum eo fuerant, regalibus donis perculti, ad *Bethlenium* retulere. Tantilla pace, quam, anno ſequente MDCXXV. *Turcica*, nouis, *Gyarmathini*, ad *Ipolam*, ſanctionibus VII. Cal. Aprilis, confirmata, excepit, vti res *Hungariæ vniuerſæ*, ita *Piſonii* cum primis, maiorem in modum ſunt recreatæ. Iniere mox Sempronienſia comitia, quibus FERDINANDVS III. inauguratus, *Nicolaus* autem *Eſzterházy*, Thurzone mortuo, in Palatinum, ſublectus eſt. Alta iam pace, ſpes erat, quieturum tandem *Bethlenium*, quod vxore, *Suſanna Károly*, orbatus, ſecundas nuptias meditabatur. Vix autem, hymenæum, cum *Catharina Brandenburgica*, concelebrauerat; cum ſolita animi mobilitate, nouis rebus, iam tertium, ſtudere incipit. *Erneſtus* nimirum *Mansfeldius*, nothus, & *Vinarienſium dux*, vt occupatum in Germania, FERDINANDVM, aliorſum auocarent, cum XV. ſuorum millibus, feſtinatis, per *Sileſiam*, extra modum, itineribus, in *Hungariam* perrumpunt. Inſequitur vtrumque *Wallenſteinius*, vt, ſi ferret occaſio, locusque, decretoria, cum iis, pugna, decertaret. Sed illi, prælii fortunam declinantes, non ante ſe hoſtibus obiiciunt, quam,

Pax tandem conciliatur:

ſed infida:

Mansfeldii, *in Hungariam aduentus:*

q.) Parte II. p. 104, a.

r.) Habemus eas XXXI. articulis conſtantes. Argumentum apud ORTELIVM, Parte II. p. 105. ſeqq. legi poteſt. Adde, & KHEVENHILLERVM, Tom. X. p. 598, ſeqq.

quam, copiis cum *Bethlenio*, atque Turcis, ad *Palankam*, pridie Calendas Octobres, coadunatis. Tunc, viros ſimulantes, *Wallenſteinio*, obuiam procedunt, quaſi confligendi poteſtatem facturi. Et videbatur omnino, vſurus opportunitate hoſtis profligandi, *Wallenſteinius*, quod præter inſignem, viginti quinque millium, quem adduxerat, exercitum, *Nicolaum* quoque *Eſzterházium*, atque *Georgium Zrinium*, Croatiæ Banum, ſecum ex Germania, vbi militarat, regreſſum, in ſubſidiariis copiis habebat. Sed, qua erat vafritie, *Bethlenius*, cum viribus ſe imparem ſentiret, neque, niſi turpi fuga, periculo exercitum ſubduci poſſe, cerneret, vnius admodum diei inducias poſcit, quibus, de redintegranda, cum Turcis, pace, data opera, ageretur: eius ſe conciliandæ arbitrum, prolixa voluntatis ſignificatione, offerens. Renuit primo *Wallenſteinius*, quod fraudem hominis, *Eſzterházius* exaggeraret. Mox, vti bello ſubitaneo, ſine cæde, finem faceret, inducias, in craſtinum vsque diem, impenſius flagitanti, indulget. At, *Bethlenius*, facilitate ducis, vaferrime in rem ſuam verſa, cum exercitu, nocte concubia, ad tria milliaria, ſubito recedit, poſtero demum adultoque iam die, dolo, ad *Wallenſteinium* perlato. Deluſum ſe, indignatus *Wallenſteinius*, *Tyrnauiam* exercitum reducit; *Bethlenius* contra, cum *Mansfeldio*, & Turcarum auxiliis, ad *Léuam* caſtra metatur. Ita tunc, nec tentata pugna, duo validiſſimi exercitus, commento *Bethlenii*, diremti ſunt. *Piſonii* interim, *Georgius Zrinius*, Croatiæ Banus, nuper, cum ſua legione, ex Germania, in Hungariam regreſſus, XIV. Cal. Ianuarias, cum annum ætatis XXVIII. ageret, magno Hungariæ luctu, naturæ debitum perſoluit.

nouæ belli exordia:

Bethlenii *dolus:*

Zrinii *mors.*

§. XXXVI.

DVm *Wallenſteinius*, nullo alio operæ pretio, quam quod regionem commeatu exinanitam, extra modum adflixiſſet, ad Tyrnauiam hæret, CAESAR, miſſo ad eum *Trautmansdorffio*, de belli conſiliis, exturbandoque ex Hungaria, *Mansfeldio*, interrogat. Ille, *Mansfeldium* omnino, vbi vbi eſſet, infeſtis armis, proſequendum; *Bethlenio* autem, ne ex mora, & ſuis ipſius viribus, inualeſcat, & factioſorum acceſſione, confirmetur, tam diu, cum exercitu imminendum nunciat, donec pacem, bello ducat potiorem. Et aduerſus *Mansfeldium* quidem, *Nicolaus Eſzterházy*, Regni Hungariæ Palatinus, cum decem millium exercitu, deſtinatur; ſed, quod ille, ritu caſtrenſi, ad omnem, ſiue rei gerendæ, ſiue declinandæ cladis occaſionem, intentus erat, præter fortuitas velitationes, diu nihil memorabile geri potuit. Tandem, ad quintum ab vrbe noſtra lapidem, collatis ſignis, depugnatum eſt, cæſis fugatisque, octo Gallorum, qui pedibus ſtipendia faciebant, manipulis. Ea clade accepta, Cæſariani, vt amolirentur ignominiam, confeſtim in *Mansfeldium*, magnis animis, mouent, ſed non ante adſequuntur, quam ille, montes

Wallenſteinii *otium:*

de belli ſumma, conſiliuma:

Eſzterházii, *aduerſus Mansfeldium, expeditio:*

Cæſarianorum clades:

tes adtingeret. Fit atrox prælium, diuque, dubio Marte pugnatur, dum *Mansfeldiani*, MCCCC. suorum *(s.)* desideratis, acie excedunt, seque, intra montium lustra, occulunt. Neque incruentum nostris certamen fuit. Sunt, *(t.)* qui æqua clade discessum fuisse, aiant. Sed *Bethlenius*, bello, quod suo more, præceps mouerat, damnato, missis *Pisonium* arbitris, inducias, Calendis Nouembribus, in semestre, denuo pepigit. Quæ, simul factæ sunt, vtrinque solutis castris, miles in hiberna dimissus est. *Mansfeldius* certe, siue, quod induciarum leges ita ferebant, siue, quod ex iniquissimi belli societate, in pessimam fortunam se induisset, permisso aliis exercitu, tormentis autem, *Budensi* præfecto, partim venditis, partim dono datis, cum expeditissimis suorum, per Croatiam & Dalmatiam, Venetias, inde in Angliam, procurrere statuit. Sed vix iter fuerat ingressus, cum, citæ alui morbo correptus, ante vitæ, quam itineris finem, *(u.)* faceret. Vti vero cessatio ea ab armis, rite collocaretur, de pace, vnius lustri spatio, tertium sarcienda, agi cœptum est. Conditiones Caesar istiusmodi tulit: *Bethlenius, a lacessenda Domo Austriaca, æternum se abstineto: Turcas, & Tartaros, contra Hungariam, ne concitato: exercitum, Cæsaris regionibus, ex templo deducito: Mansfeldium, cum suis legionibus exauctorato: prouincias, nupera pace, sibi permissas, Cæsari, iurisiurandi sacramento, obstringito: quæ inde ab anno MDCXIX. seu ipse, seu Turcæ, vi occuparint, restituito: captiuos, sine lytro, dimittito: iniurias quantascunque, obliterato: pacis huius beneficio, perduelles, carento: Niclasburgensis leges, sancte habeto: prædia, his, qui in fide Cæsaris perstiterunt, sine cunctatione, reddito.* Atque his tunc legibus, , redintegrata *Pisonii* pax fuit, ante, quam induciæ diffluerent. Caesar interim, quod vsu didicerat, quam versatile *Bethlenio* esset ingenium, non satis existimauit, mutuis tabulis, pactionem ratam haberi; Ordines *Transiluaniæ*, vti idem facerent, *(v.)* induxit.

Mansfeldianis *vices redditæ:*

inducia semestres:

Mansfeldii *abitus:*

pax tertium redintegrata, & huius leges:

confirmatur a Transiluaniæ optimatibus.

§. XXXVII.

Pacis eius fructus, redundat ad Pisonium:

Pace inita, magnis malis vrbs nostra exonerata est. Neque enim postea, rediit *Bethlenius*, Pisonienssium illud flagellum: quippe, anno MDCXXIX. XVI. Calendas Decembres, aqua intercute, exstinctus. Eodem anno, quo *Bethlen*, Transiluaniam repetiit, pax cum *Turcis*, ad confluentem *Sitvæ*, anno MDCVI. conciliata, subindeque Viennæ, Comaromii, atque Gyarmathini ad Ipolam, variis reconciliationibus, male focillata, iterum iterumque, in limitaneis Strigonienssium, & Comaromienssium *(x.)* campis, quomodocun-

Bethlenii *mors:*

s.) Khevenhillervs Annal. Tomo x. p. 1286.

t.) Ortelivs, Parte II. p. III. b.

u.) Istvanffii infelix Continuator, in Bosniæ oppido, *Rakova*, occubuisse, memorat, Lib. XLI. p. 536. a.

v.) Habemus eam formulam, *Albæ Iuliæ*, A. MDCXXVII. d. 22. Aprilis, perscriptam, signatamque, a *Stephano Bethlen, Sigismundo Kornis*, & *Stephano Bethlen*, iuniore.

x.) Insulam Danubii fuisse, aliqui memorant.

docunque instaurata est. Plures, in ea, rite constituenda, anni abiere. quod Turcæ quidem, magnum dedititiorum vicorum numerum, iniquissime flagitarent; Caesar contra, haud quidquam importunis eorum clamoribus, moueretur. Itaque, pace, nihil pensi habita, impressionibus illi rem gerere; resistere nostri, & vicem hostibus reddere. Accessit, ad hanc rerum perturbationem, Transiluaniæ, quæ ex morte *Bethlenii*, sequuta est, conuersio. Pars illic, *Stephanum Bethlenium*, Gabrielis fratrem, pars *Georgium Rákóczium*, principem salutant. Ergo, *Nicolaus Eszterházy*, Palatinus, ne quid inde Hungaria, detrimenti acciperet, partes suas, mature interserendas existimauit, acriore mox epistola, *(y.)* *Rákóczium* dehortatus; desineret se principem Transiluaniæ gerere, Cæsare inuito. Respondit ille *Eszterházyo*, acerbissime, palam professus; non se tam degeneris animi esse, vt oblatam dignitatem, siue per ignauiam, siue, ad noui hominis, qualis *Eszterházyus* esset, monitiunculam, repudiaret. Quæ sane pertinacia, bene cessit *Rákóczio*. *Bethlenio* enim, suorum factione, a principatu, ad priuatæ vitæ rationes, compulso, magna omnium adprobatione, princeps iterum iterumque, consalutatur. Itaque, æmulo, in ordinem redacto, constitutaque prouincia, in *Hungariam* mouet, acceptam ab *Eszterházyo*, sicuti interpretabatur, iniuriam, vlturus. Ac reiecit sane Palatinum, *Rákóczius*, captisque limitaneis arcibus aliquot, metum atrocioris belli, quod inde conflari poterat, Caesari iniecit. Enim vero, Turcæ, siue vt *Eszterházyum*, loco dimouerent, iuuarentque *Rákóczyum*; siue, vt explerent prædandi libidinem, late regionem peruagati, strages ediderant, vix iusto bello, perpetrandas. Caesar itaque, vt nouum hostem tempestiue amoliretur: data *Eszterházyo* paciscendi facultate, motos fluctus, prudentissime *(z.)* composuit, Turcas autem, inopinata pace, vti se intra fines suos continerent, plane adegit. Hæc, cum post *Bethlenii* fata, vsque ad annum MDCXXXII. fierent, *Pisonio* tranquilla erant omnia, quin, vrbanis etiam auctibus, felicia. Nimirum, multi, e *Protestantibus*, ex Austria deturbatis, nobili loco editi, quin & plebei ordinis exsules, isthuc accessere, fortunarum sedes, haud quidem contraeunte Ferdinando II. in vrbe posituri. Ea ciuium accessione, pulchre, post exinanitos sæpius incolas, inualuit *Pisonium*; vt pristina quidem tempora, & numero habitatorum superaret, & elegantia, commoditateque ædificiorum. His annis, templum, SS. *Triadi* dedicatum, Pisonienses *Augustanæ Confessioni* addicti ciues, opibus, cum exterorum, tum exsulum, in ciuitatem acceptorum, adiuti, exædificare cœperunt.

quæ inde Transiluaniæ conuersio sit sequuta:

Rákóczius, *rerum potitus, belli quidpiam mouet:*

pace terminatum:

Pisonii *ac cessiones, & vnde facta.*

y.) Legesis, vtramque epistolam, apud Ortelivm, Parte II. p. 119, & 120.

z.) Sunt apud nos, & huius pacis tabulæ, articulis XIX. descriptæ. *Arbitri Rákóczii* fuerunt: *Stephanus Kovacsóczy* Cancellarius, *Franciscus Miko*, Siculorum supremus Capitaneus, & *Andreas Gorgias*, ciuis & senator Coronensis. Ratam pacem eam habuit *Rákóczius*, Varadini, VII. Aprilis, A. MDCXXXI.

a.) Vide Khevenhillervm, Annal. Ferdinand. Tom. XII. p. 2364.

§. XXXVIII.

Pisonii, *quid posteà gestum:*

NIhil inde, quod memoria dignum sit, in vrbe nostra gestum reperio, præter comitiorum solemnia, quæ suo loco, referemus. Certe, FERDINANDO II. vita functo, quod *(a.)* anno MDCXXXVII. XV. Cal. Martii, euenit, res vrbis, non integræ tantum erant, sed etiam florentes, propagataque ea felicitas fuit, vsque in sera FERDINANDI III. tempora. Idem hic annus, quo CAESAR e viuis excessit, PAZMANO quoque Strigoniensium præsuli, & *Cardinali*, emortualis fuit: quippe qui, XIV. Calendas Apriles, ætate, & laboribus grauis, vitam cum morte, *Pisonii*, *(b.)* commutauit. Multæ postea, cum *Turcis*, de finibus, lites intercessere, quas illi, pro more, sanguinolentis impressionibus, contaminabant. Itaque, mutuis passim cædibus sæuiebatur, dum auarissimas hostium, pace nondum exoleta, postulationes, CAESAR, ratas haberet. Earum sententia hæc fuit: *Pax Sitva Torokensis, Viennæ, Comaromii, Gyarmathini, atque nuper (c.) in limitibus, redintegrata, dum vicennium exeat, sancte habetor; quidquid, ex eo tempore, vicorum occupatum vtrinque est, missis arbitris, disputator, iureque postliminii, recuperator; idem, & de castellis, quæ in finibus Croatiæ, nuper sunt excitata, statuitor; Episcopatus Váczouiensis caussa, iisdem arbitris diiudicanda, permittitor; ad hos, vicorum quoque heri nobiles, qui damni quidpiam acceperunt hucusque, relegantor; grassatores, & finium temeratores, capitali supplicio, adficiuntor; Monachis, & Iesuitis, Quinqueecclesiis agentibus, saluis & incolumibus, vrbem porro incolere, fas esto; pacis tabulæ, per celeres nuncios, ad vtrumque Cæsarem, vt ratas habeant, mittuntor; captiuos, anno superiore abductos, sine lytro, libertate donanto.* His, *Comaromii*, iterum iterumque constitutis, spes erat, fore, vt se ab impressionibus abstineant Turcæ, missisque legatis, ratas habeant leges pacis, toties redintegratæ. Sed, præterquam, quod subleſta Turcarum fides, toto eo tempore fuit, parum aberat, quin *Ujvarinum*, ex insidiis, interciperent. *Szeleptsénium* certe, Constantinopolim, cum mandatis, missum, iniquius, quam pro pacis legibus, habuere. Nam, & litteris, quas secum adtulerat, indicta caussa, priuauerunt, &, ne quid moliri contra posset, traditum custodiæ, detinuerunt dies aliquot, captiuum; donec, remittente ira, æquissimis eius postulationibus, locum darent. Contraibat, nimirum noster, *Rákóczii* destinationibus, qui Turcas, facultatem inuadendæ, cum exercitu, Hungariæ, sibi dari, per internuncios, impensius rogitabat. Tandem, immunitate donatus, cum, quod iussus fuerat, rite peregisset, Viennam incolumis rediit. Rumor interim percrebuerat, *Suecos*, qui *Rákóczium* in belli societatem pertraxisse ferebantur, iamque victricia arma, *Moraviæ* intulerant, *Hungariæ* bellum minitari. His, mature occur-

pacis Turcicæ, redintegratio:

Turcarum ferocia:

Suecici belli metus:

b.) Idem, ibidem p. 2356.

c.) Fuit nobis eius mentio superiore paragrapho.

occurrendum ratus CAESAR, Hungaros, Palatino enitente, huc adducere laborabat; vt, coadunato suorum exercitu, vna in hostes mouerent. Sed, Hungari, Iaurienſium præsule, frigidam strenue suffundente, id se facturos, pertinaciter negabant; præter auitæ libertatis iura, Turcicarum impressionum pericula, interserentes. *Eszterházyus* interim, vti Cæsaris saluberrima consilia, pro virili adiuuaret, Hungaros, datis quaquauorsum litteris, armatos *Pisonium* euocat. Pauci monitionibus obsecundauere. Aderant tamen vlterioris Hungariæ proceres: *Bottyánius*, *Erdődius*, atque *Zrinius*, suas quisque turmas, ductitantes. Hi, vbi *Pisonium* accesserunt, lustrato milite, pridie Calendas Septembres, *Nicolai Eszterházii* ductu, *Szakoltzam*, vbi Cæsar castra metatus fuerat, profecti sunt. Sed vix eo pertigerant; cum impressionum Turcicarum percrebrescente fama, *Bottyánius*, cum suorum agmine, venia a CAESARE accepta, domum rediit, hostes a finibus propulsaturus.

Hungaros ad arma prouocat:

Turcicis impressionibus reuocatos.

§. XXXIX.

ISta, anno MDCXXXIII. gerebantur. Consequuta mox est, *RákóczIana* seditio, quam *Suecici* fœderis rationes, magnis subito incrementis adauxere. Atque classicum quidem, anno MDCXLIV. XIII. Calendas Martii, *Cállóiæ*, canere cœperat *Transiluanus*; exaratis, ad Hungariæ ordines, litteris, quibus belli, quod mouebat, iustitiam adstrueret. Non est opus, obuium *(d.)* passim scriptum, recognoscere. Respondit CAESAR, quod e re fuit, quodque pertinuit, ad æquissimi regiminis sui defensionem. Quæ dum fierent, promoto, ex Transiluaniæ finibus, valido exercitu, quidquid, toto itinere, arcium offendit, sub potestatem misit. Eadem profectione, *Tokaynum*, *Sáros-Patakum*, *Cassouiam*, & per legatos, *Eperiesinum*, atque *Leutschouiam*, montanasque vrbes, intercepit. Dum *Cassouiæ* moratus, rei, porro feliciter gerendæ, imminet; nouas tabulas diuulgat, quibus CAESARIS, de se, querelas, & graues, & multas, configere nititur. At, FERDINANDVS, ne impune grassari Transiluanum permitteret, *Buchaimio*, summa belli credita, exercitum *Pisonium* cogit. Huc, & Nicolaus *Eszterházy*, copias optimatum, atque nobilium, contrahebat. Eos tamen adparatus, anni tempestas, magnopere retardauit. Nondum enim effluxerat *Martius*, procella autem tantum subito niuium effuderat, vt impeditissima passim itinera fierent. Vsus ea opportunitate, *Rákóczius*, suorum manipulos, quam latissime diffundit, & quod circumsitas *Cassouiæ* arces, atque castella, in potestatem redegerat, *Szendrónem* quoque, & *Filekum*, obsidione cingit. *Buchaimus* interea, exercitu, ad *Pisonium*, coadunato, cum, & vernæ tempestates resedissent, & itinera fierent expeditiora, in hostes

Noua, Rákóczii, seditio:

eius incrementa:

Cæsaris *oblectatio:*

coactus, ad Pisonium, *exercitus:*

d.) Vtrasque, *Rákóczii*, iuxta & CAESARIS, litteras, *Manifestum* vocant, habes apud ORTELIVM, Parte II. p. 137. seqq. vt iam adparatus nostros, fileamus, in quibus, hæc istiusmodi monimenta, referre consueuimus.

ſtes mouet. Tunc & *Rákóczius*, qui nullo adhuc viſo hoſte, extra modum ferociebat, rem ſerio geri contemplatus, ne ad vnius pugnæ diſcrimen, ſe, ſuosque, diſperderet, montanas primo vrbes, deſeri iubet, mox, & *Filekini* obſidionem ſoluit, atque, exercitum *Caſſouiam* reducit. Inſtabat retrocedenti, cum *Eſzterházio*, *Buchaimus*, ac ſi poſſet, ad decretoriam pugnam Tranſiluanum prolicere, non obſcure adfectabat. At ille, ſiue cauſſæ, ſiue ſuorum virtuti, diffiſus, quod gemina velitatione, inſeliciter decertauerant, *Caſſouia*, valido communita præſidio, exercitum, *Sáros-Patakum* promouet, ſpeculaturus inde, quorſum euaſuri eſſent Cæſariani. Sub idem tempus, Turcæ, quos forte in auxiliis habebat *Rákóczius*, deſerto eo, domum abiere, a *Götzio*, præcipuo exercitus Cæſariani duce, ſaluo conductu, ne infeſtarentur a ſuis, donati. Summa enim cura, cauendum exiſtimabat CAESAR, ne Turcæ, laceſſerentur, caperentque inde occaſionem, rei, cum *Rákóczio*, pertinacius gerendæ. *Eſzterházius* interim, atque *Buchaimus*, Caſſouiam, obſidione cingunt, quodque detrectauerit portas aperire, factis ſuggeſtibus, oppugnationem exordiuntur. Quæ, dum ad *Rákóczium* perferuntur, ne inglorius ad ſuos rediret, miſſis ad *Palatinum* litteris, bidui inducias, implorat, arbitrosque miſſurum ſe pollicetur, qui de pace agerent, ſi incolumitatis ſpe facta, auderent accedere. Et inducias quidem repudiauit *Eſzterházius*, pacis autem conditiones, ſi æquæ eſſent, auditurum ſe reſpondit. Deſtinatur, rei gerendæ *Sárosium*, quorſum a *Rákóczio*, cum mandatis, *Sigismundus Lónyay*, & *Stephanus Somogy*, acceſſere. Huc & *Palatinus*, retracto, ab obſidione Caſſouienſi, exercitu, venerat. Iam diſputabantur, pacis, quas adtulere *Rákócziani*, conditiones; cum Tranſiluani, ducibus, *Gabriele Bakoſs*, *Iohanne Kemény*, & *Bornemiſza*, *Rákóczio* ſubſidio veniunt. Horum ille copiis factus validior, miſſis clam nunciis, *Cæſarianos*, adoriri iubet. Itaque, XVI. Calendas Iulias, inſtructa acie, Eperieſino prorumpentes, *Buchaimum*, quod de pace ageretur, nihil quidquam tale metuentem, adgrediuntur. Contrahitur, ex templo, atrox prælium, quod dum, a hora diei octaua, in quartam vsque poſtmeridianam, multis vtrinque cadentibus, productum fuiſſet; Cæſariani, magna in hoſtibus edita ſtrage, acie excedunt, atque vrgentibus Tranſiluanis, in apertam fugam, effunduntur. Indignatus eam cladem *Palatinus*, pacis tractandæ conſilia, reſcindit. Exercitus profecto, quem, præter pugnam hanc, velitationes variæ, quin & aeris, atque vini Hungarici, iniuriæ, nimiopere diminuerant, relicta ſuperiore Hungaria, *Tyrnauiam* regredi coactus eſt.

Rákóczii *trepidatio:*

Cæſariani Caſſouiam *obſidione cingunt:*

tractandæ pacis occaſio, hinc enata:

Rákóczii *dolus malus:*

Cæſarianorum clades.

§. XL.

HIs rebus, factum eſt, vt CAESAR quidem, de redintegrando exercitu, *Rákóczius*, de victoria, cum fructu proſequenda, cogitationem ſuſciperet. Proinde, edicto *Tynauiam*, extra ordi-

Quæ hinc, Cæſaris, & Rákóczii, fuerint, conſilia:

ordinem comitiolo, per *Comitem Rudolphum ab Tieffenbach*, id a Statibus impetrat CAESAR; vt tria ei millia *Hungarorum*, totidemque *Polonorum*, publico ſtipendio militatura, offerrentur. Nec mora, inſtruitur, opinione celerius, exercitus, qui VII. Calendas Septembris, duce, *Comite Götzio*, denuo in *Rákóczium* mouet. Ille contra, vt nouis rebus, quas conflauerat, fomenta admoueret, *Caſſouiæ*, conuentum agit: nuncio a Turcarum Imperatore accepto, qui adferebat, nequire ſe, Tranſiluanum iuuare, niſi ſeptem cis-Tibiſcanos *Comitatus*, ad modum Tranſiluaniæ, tributarios ſibi redderet. Perturbatus iniquiſſima poſtulatione, *Rákóczius*, quod, rem eam, *Hungariæ* exitioſam fore videret; *Tranſiluani* autem, extranei belli, cuius rationes nihil ad ſe adtinerent, pertæſi, motos fluctus, quam primum ſedari, percuperent; noua iterum pacis conſilia, ſeria magis, quam antea, deſtinatione, ſuſcipit, neque cunctatus, *Nicolaum Eſzterházyum*, quid animo verſaret, certiorem facit. Re, ad CAESAREM, relata, placuit *Tyrnauiam* deſignare, vbi collatis ſententiis, de pace ageretur. Miſſi huc a Cæſare fuerunt, *Comes Eſzterházyus*, *Palatinus*, *Tieffenbachius*, *Schlickius*, & *Queſtenbergius*. Ne vero, quod Sároſiano conuentu euenerat, dum hic, de pace ageretur, *Rákóczius*, infeſti quid moliatur; *Götzius* exercitum, iuſtis itineribus, in Superiorem Hungariam, iterum deducit, liberataque ab obſidione *Szendrőuia*, per legatum *Buchaimium*, Rákóczianos, ad *Tokaynum*, ingenti clade adficit. Duo millia hoſtium deſiderata, centum quinquaginta captos; ducentas adhæc quadrigas, bis mille equos, mille quingentos boues, quatuor tympana, ſigna militaria decem, in prædam (e,) acta fuiſſe, annales meminerunt. Eadem tempeſtate, *Franciſcus Veſſelenius*, arcis Filekienſis præfectus, *Muranum*, editiſſimo impoſitum monti, amores, neſcio cuius Veneris, obtendens, ex inſidiis, recipit. Hac ſuorum calamitate, adductus *Rákóczius*, iam tum vltra Tibiſcum, Váradinum vsque ſubmotus, in pacis ſtudia incumbit, ſuosque legatos, Tyrnauiam, cum mandatis mittit, ne ante ceſſarent, quam pax, æquis legibus, conſtitueretur. Huc illi, *Idibus Octobris*, ingenti pompa, ac regio propemodum comitatu, inuecti, ſimul a Cæſarianis accepti ſunt, quid in mandatis haberent, libere exponunt. Longum foret, latas conditiones, percenſere. Summa rei eo redibat; *vti, motuum auctores, præuaricatores ſcilicet legum, punirentur; religioni, ex legibus pacificationis Viennenſis, libertas integra, donaretur;* Ieſuitæ *regno exigerentur; Comitatus ſuperioris Hungariæ XIV. ſibi, iure hæreditario, adtribuerentur; ac denique*, CAESAR, *Status & Ordines, dato diplomate, priſcæ immunitatis, ſecuros eſſe iuberet.* Hæc, & quæ erant reliqua, diu, ingenti contentione, diſputabantur, iamque annus MDCXLIV. exierat; cum tenuis admodum pacis ſpes oſtenderetur. *Götzius* interim, caſtris, quæ ad *Szendrőnem*, & *Tokaynum*, poſuerat, ſolutis, exercitum hibernatum, in vrbes montanas induxit:

reddita Rákóczianis, *vices a*

noua pacis tractatio:

legatorum eius poſtulationes:

pacem remorantur.

a.) Confer. ORTELIVM, Parte II. p. 145, b.

xit: cum *Hungaros*, *Croatas*, & *Polonos*, quos oneri ſibi eſſe ſenſerat, iam ante exauctoratos, dimiſiſſet.

§. XLI.

Redit in Hungariam Rákóczius:

EO cognito, *Rákóczius*, Váradinum relinquit, & in *Hungariam*, ſub ipſa anni MDCXLV. initia, coacto viginti duorum millium exercitu, redit, profectionem in Morauiam ſuſcepturus. Continuit ſe intra montanas vrbes *Götzius*; *Buchaimius* vero, qui ad *Galgótzium*, cum bis mille quingentis Germanis, & Hungarorum manipulis aliquot, excubabat, imparem ſe, tantæ multitudini, ratus, prælii aleam prudens declinauit, crebris nunciis, quid occiperet *Rákóczius*, Cæſarem edocens. Iam fines Morauiæ adtigerat Tranſiluanus, Olomuczium, vti Suecis velificaret, obſidione liberaturus; cum pax, irrito hucusque labore, agitata, adulto iam *Martio*, tempeſtiue *(f.)* coaleſcit. Itaque, datis acceptisque diplomatibus, ab armis diſceſſum eſt, *Buchaimo* quidem Viennam, *Götzio* vero, in Sileſiam, diſcedentibus. At enim vero, temporaria hæc pax fuit. Vix enim ex Hungaria, mouerat exercitum *Rákóczius*, cum *Thorſtenſohnius*, ſummus exercitus Suecorum dux, victo *Hatzfeldio*, Auſtriam, infeſtis armis inuadit, atque ſub ipſa Viennenſium mœnia, procurrit. Inuitatus, ab eo, *Rákóczius*, in belli ſocietatem venit, confiſus, fore, vt nouas amplioresque conditiones, paciſci queat, quam nuperæ illæ fuerant. Igitur, *Gabriele Bakoſs*, cum ſex mille ſuorum, in Morauiam miſſo, qui cum *Duglaſſio*, *Thorſtenſohnii* legato, copias coniungeret, ipſe fortunam belli, e longinquo ſpeculabatur. Ac *Duglaſſius* quidem, vti *Thorſtenſohnio*, rei ad Brunam feliciter gerendæ, occaſionem præſtrueret, in Hungariam populabundus venit, dataque paſſim ſtrage, *Piſonium* vsque peruenit; *vt metuendum fuerit*, ne vrbem, nuperæ pacis fiducia, propemodum incuſtoditam, prædabundus interciperet. Accidit forte, vt *Piſonii* tunc eſſet *Palatinus*. Proinde, id dedit operam, vt & ciues, noui belli metu perculſos, in fide Cæſaris confirmaret, & ſacrum regni diadema, *Laurinum* deferret, ne, ſi quid infauſti *Piſonio* accideret, *Bethleniani* tumultus exemplo, in hoſtium veniret poteſtatem. Neque id ſatis viſum eſt CAESARI, ancipiti vndiquaque periculo, circumuento. Mittitur, menſe Maio, Archidux LEOPOLDVS WILHELMVS, *(*)* qui *Piſonienſium* animos in Cæſaris partibus, penitus obfirmaret, ſimulque in ſpem erigeret, breui, ſubitam procellam, diſcuſſum iri. Vt in vrbem venit, magiſtratus, & ciuium primores, ad ſe arceſſit. qui vbi, pro eo, ac decuit, iuſſis Archiducis, obſecundaturi, numeroſi adfuere: graui eos oratione adloquutus, atque periculi, quod ingrueret, commonefaciens, percontatus eſt: *Etiamne, iuratæ Cæſari fidei, ſi res trepida imminueret,*

Suecis *opem laturus, pace retrahitur:*

eamque migrat iterum, miſſis, Thorſtenſohnio, *auxiliis:*

Piſonii *a Suecis, infeſtatio:*

confirmatur in fide Cæſaris, a Palatino:

& Leopoldo Wilhelmo *Archiduce:*

f.) Habemus eius tabulas, *nouem articulis* deſignatas, quæ & apud ORTELIVM leguntur, Parte II. p. 148.

**)* Eius vitam lege apud WAGNERVM, Lib. II. p. III. ſequ.

ret, vel obſidione vrbem incingi contingeret, tenaces eſſe velint? conſtanterque, pro rege & patria, vrbem tutari? daturum ſe operam, cui CAESAR, *ſummam belli, per Hungariam demandarit, ne a ſubſidiis deſtituerentur.* Tunc ciues, & magiſtratus, vno omnes ore, atque ingenti animorum alacritate, profiteri; ante ſe profuſuros vitam, quam fidem in Cæſarem, & in defenſanda vrbe conſtantiam, migraturos. His vocibus, atque fidei teſtificatione, lætus Archidux, poſteaquam, arcem, quadringentorum militum præſidio, firmauiſſet, Viennam, ad Cæſarem rediit. Vix ille *Piſonio* abierat; cum *Duglaſſus*, & *Bakoss*, Tyrnauiam deditione capiunt, præſidiario milite, cum ſarcinis, *Piſonium* dimiſſo. Sed Tyrnauienſes, digreſſo aliorſum victore exercitu, vrbem, *Adamo Forgáchio*, cogitato dedunt, *Duglaſſio*, & *Tranſiluano*, in caſſum ringentibus. Tunc & *Rákóczius*, cum triginta millium exercitu, VII. Idus Iunii, vxore filioque ſecum acceptis, Caſſouia mouit: pertentataque, ex itinere, ſed irrito conatu, *Szendrőuia*, atque *Filekino*, montanas vrbes, ſuæ iterum ditioni adiecit. Diuerſante iſthic patre, filius *Georgius*, verſus Morauiæ fines, octo millibus ſtipatus, procurrit; *Tyrnauiam*, coadunato, cum *Duglaſſii* copiis, exercitu, nullo negotio recipit; *Buchaimium*, occurſare auſum, haud ſine clade, reprimit; poſteaque, ad *Thorſtenſohnium*, Brunam adhuc obſidentem, concedit.

Duglaſſus, *cum Tranſiluanis, Tyrnauiam occupat:*

& amittit:

nouæ Rákóczii, *in Hungariam, expeditio, & coadunatæ, cum Suecis, copiæ.*

§. XLII.

TRepida tunc *Piſonii* fuerunt omnia, quod hinc quidem *Rákóczius* Hungariam, illinc Morauiam *Sueci*, obtinerent. Certe, a ciuibus, quod nullum aliud vrbi inerat præſidium, non ſecus peruigilatum eſt, ac ſi Hannibal ad portas fuiſſet. Si alias, ea profecto tempeſtate, palam teſtatum fecere *Piſonienſes*, quanta in Cæſarem fide, quoque in patriam amore, ducerentur. Cum iunior *Rákóczius*, a *Thorſtenſohnio*, in caſtra acceptus, tempus, in Brunæ obſidione deterit; pater, miſſis identidem nunciis, Cæſarem, reconciliationis, haud perfunctorie admonet. Neque is quidem alienus a conſiliis pacis fuerat, quod tot prælis adtritus, hoſtibus propulſandis, haud ſufficeret. Proinde, iuxta nuperas tabulas, *(g.)* quas prorſus ratas habuit CAESAR, miſſo, ad *Rákóczium*, *Iohanne Töröſio*, res omnis ante confecta eſt, quam in vulgus emanaret. Pacem amplexus *Rákóczius*, fœdus, quod cum *Suecis* pepigerat, haud quidquam moratus, reſcindit, exercitumque reducit. Poſtea, in eam curam incubuit Cæſar; vt, mutuis pactionibus, quam primum ſatisfieret. Itaque, comitiis, *Piſonium* anno MDCXLVI. ad diem *S. Bartholomæo* feſtum, indictis, non ante ea dimiſit, quam rebus, ex pacis præſcripto,

Piſonienſium *pericula, & in Cæſarem fides:*

pax, cum Rákóczio, *redintegrata:*

& publicis comitiis, Piſonii, *ſtabilita:*

g.) Exſtant hæ in Decreto A. MDCXLVII. Art. V. Quas autem *Töröſius*, Albæ Iuliæ die XX. Octobris, recepit, a *Rákóczio*, quarumque meminit diploma citatum, publicæ luci haud ſunt expoſitæ: nos eas inter adparatus noſtros, poſſidemus.

scripto, administratis, atque filio FERDINANDO IV. in regem sublecto, coronatoque. Sed, ea solemnitas, sine *Pisonienſium* clade, perfici haud potuit. Nam, dum inaugurando nouo regi, ingenti sumtu, conquiruntur omnia, *Martinitzii* Comitis, Bohemiæ Cancellarii, hospitium, conceptis, incuria coqui, flammis, tam late diffudit incendium; vt, paucarum horarum interuallo, LXXII. ædes, intra & extra vrbis mœnia, consumerentur: deleto simul omni eo adparatu, qui augustali pompæ, aggestus fuerat. quæ res, tamquam sinistri ominis, multorum tunc sermonibus iactabatur. Ac non caruit omnino tristi euentu, cum FERDINANDVS, annos natus XX. nec adtentatis regni habenis, quibus moderandis inaugurabatur, anno MDCLIV. viuere desineret. Ita omnino in fatis erat; vt non fratri modo, sed patri etiam, LEOPOLDVS, succederet. Cooptauerat eum FERDINANDVS, anno MDCLV. insigni statuum & ordinum consensione, in Regem Hungariæ; cui, biennio post, Viennæ IV. Nonas Aprilis, defunctus, Romanum Imperium, atque regnum Hungariæ, gubernanda, reliquit.

vrbis nostræ incendium:

quid portenderit:

Ferdinando III. filius Leopoldus succedit.

§. XLIII.

MAle hucusque a *Turcis*, Hungaria habita fuit. Tametsi enim, missis frequentibus legationibus, atque datis vltro citroque donis, redintegratam pacem, toties profitebantur; ab impressionibus tamen sanguinolentissimis, adeo non se abstinuerunt, vt visi sint, solemni illo obtentu, ad euastandam Hungariam, destinata opera, abuti. Non quadrat cum instituti ratione, vt accepta hinc damna, enumeremus. Vrbis certe nostræ, ea tunc quoque fuit felicitas, cum passim limites patriæ, ciuium sanguine maderent, fumarentque vici atque vrbes, Turcarum *maleficio, vstulatæ*; vt, & ipsa, non modo a flore, non desciscceret; sed inualescceret etiam, cultu, & incolarum celebritate. Tandem, vbi frequentibus reconciliationibus, male focillata pax, in apertum bellum desiisset, publicæ calamitatis sensus, in primis, ad *Pisonienſes*, pertigit. Iuuat rem, qualis fuerit, ab exordio repetere. Cum Transiluanicæ res, post obtritum, a Turcis, GEORGIVM II. *Rákóczium*, susque deque, Turcarum factionibus, agitarentur, iamque, & *Keménius* profligatus, *Michaeli Abaffyo*, locum feciſſet; bellum in Hungariam, omni opera, protrudere, *Turcæ*, connitebantur. Quæ hostium consilia, vti anteuerteret LEOPOLDVS, pacem, conditionibus, quam posset, æquissimis, redintegrandam statuit. Missi arbitri, rem, aut prorsus *(h.)* infeliciter gessere, aut, sine successu meliore. Turbulenta interim comitia, *Pisonii* CAESAR experiebatur, eratque haud vana sollicitudo, ne diuersissimæ popularium factiones, belli, apud Turcas, studia, inflammarent.

Turcarum *impressiones:*

vrbem nostram haud contemerant:

antequam in apertum bellum erumperent:

acceptæ hinc cladis Pisonienſium, historia, altius repetita:

h.) *Franciſcus Szentgyörgy*, Episcopus Váczienſis, quam fuerit infelix, lege apud WAGNERVM, in Historia LEOPOLDI M. Lib. II. p. 105.

rent. Missus, eiusdem anni MDCLXII. vere, Constantinopolim, *Periſius*, vt de pace ageret, magnam eius subinde, per litteras, spem faciebat; quam tamen, mors *Chiuperlii Vezirii*, quæ in idem tempus inciderat, propemodum sustulit. Successit ei tamen filius, viginti annorum adolescens, qui, vti erat flexili ingenio, inducias, quæ conciliandæ paci necessariæ videbantur, facile ratas habuit; pacificationis autem curam, ad *Hálym*, purpuratum Temesuariensem, reiecit: quippe, cui rerum Hungaricarum vberior cognitio, suppeteret. Nec quidquam ergo reluctantibus, *Renningero*, & *Periſio*, qui Constantinopoli res Cæsaris procurabant, negotium, *Temesuarinum*, obstinato animo, remittit nouus Vezirius. Huc vbi venit *Periſius*, *Hálym*, ad ineundas inducias, promtum reperit, discussisque, per congressus aliquot, præcipuis controuersiarum capitibus, pax confecta habebatur; si *Periſio*, plena ei sanciendæ potestas fuisset. Eam ille postea, toto quadrimestri, frustra, ab *Lobkouicio*, bellici consilii præside, implorabat; quod essent, quibus, nimia illa, in paciscendo, Turcarum *facilitas*, sublestæ quiddam fidei, redoleret. Vnica profecto hæc cunctatio, calamitatum, quæ in Christianos incubuere postea, & causſa, & occasio fuisse, multorum sermonibus ferebatur. Tametsi enim *Baro Goeſius*, Ianuario mense, anni MDCLXIII. cum facultate paciscendi, legatus *Temesuarinum* venit, pacemque, datis & acceptis conditionibus, cum *Hályo* iniit, vt confirmandæ ei, nihil, præter vtriusque Cæsaris adprobationem, supereſſet; tamen, ea fuit, *Iſmaelis*, Budensis præfecti, iniquitas, & in cauillando, vafrities, vt, omne id, de quo mutuo conuenerat, rescinderetur penitus. Tanti facinoris, causſa an occasio, *Székelyhida*, agri Biharienſis arx, fuerat, tabulis pacis, pro eo, ac volebant Turcæ, non inserta. Ac *Goeſius* quidem, cum adhuc Temesuarini versaretur, ingentes belli adparatus, præsens spectabat, subinde aulæ proceribus, quid periculi ingrueret orbi Christiano, nuncians. Verum, is erat vbique *(i.)* torpor, vt non modo, supplementa veterum legionum, non scriberentur; sed, eæ quoque diminuerentur, quæ numero erant consummato.

Cæſarianorum in auerruncando bello, torpor.

§. XLIV.

COnflatur ergo bellum, siue Cæsarianorum cunctatione, siue maleficio Turcarum, prouocatum, &, quemadmodum, lenti apud nostros, ei propulsando, fuere adparatus; ita, nihil a Turcis neglectum, quod ad rem feliciter gerendam, pertinere existimabant. Tenuitatem exercitus Cæsarei WAGNERVS *(k.)* descripsit: *Cæſareæ*, inquit, *copiæ, vniuerſim, duodecim equitum, vndecim peditum legionibus, tribus deſultoriorum, Croatarum vna, conſtabant; ſed pleræque Tranſiluanica expeditione, cædibus clandeſtinis, morbis, magnopere diminutæ,*

Chriſtiani exercitus paucitas:

i.) Sagaciter, huius tanti torporis causſas, excussit WAGNERVS, loco cit. p. 120. seq.

k.) Eodem isto loco, p. 121. sequ.

nutæ, ſeminudæ, armis, equis, præfectis, tormentis, deſtitutæ. Atque iſthoc exercitu, Comaromium, Laurinum, Ujvarinum, magnis præſidiis occupanda. Singulis ter mille, quingenti, iniecti. Nec Vienna vacua relinqui poterat. Arcibus aliis vltra viginti, neque minus Tranſiluaniæ, Styriæ, Auſtriæ, Morauiæ finibus, proſpiciendum. Superiorem Hungariam, ſeptem legionibus Heiſterus; *Morauiam* Suſa, *modico milite, tuebatur.* Gualtero Leslæo, *fido ac veterano militi, Sclauoniæ tunc gubernatori, Styriæ ſalus commiſſa, quam tribus equitum millibus, Comitisque* Zrinii *copiis, tegeret.* Fridericus *Comes* Trautmansdorffius, *ſeptem prouincialium millia, ad Rakelsburgum, Petouium, Fürſtenfeldam, adduxerat. quibus mille alii, e Carinthiæ, ac Foroiulii delectibus, Comite* Vettero *ductore, acceſſere. Comes* Traunius, *cum Auſtriæ nobilitate, ad Morauæ amnis ripas, excubabat. Quod, e diuiſo tot partibus, exercitu ſuperabat,* Montecuculio, *in Hungariam ducendum erat.* Scilicet, tantillo cum exercitu, pace ſusque deque habita, infinitæ Turcarum multitudini, occurrendum fuerat. Diu, a belli ducibus, diſceptatum; vbi, hæc, tam imbecilla manus, caſtra metaretur. Denique *Ovárum*, ſiue *Altenburgum*, placuit, quod *Comaromio*, *Laurino*, & *Ujvarino*, ſi quid periculi ingrueret, ſuccurri inde, ex facili poſſet. Adhuc apud Turcas agebat *Goeſius*, neque ceſſabat, pacis, quoties dabatur, conditiones recoquere; ſuperbum adeo expertus hoſtem, vt præter latas antea conditiones, tributum imperare, non dubitaret. Quæ, cum ſingula, ſiue a *Goeſio* confutata, ſiue, ſuapte, tamquam iniqua, conciderent, in bellum itum eſt. Res erant ancipitis periculi, tunc demum a noſtris penſi habitæ, cum iugulis ſuis, hoſtem imminere viderent. Illud, quantæcunque ſaluti fuit, quod *Vezirii* profectionem, flumina, præter modum exundantia, retardarint. Confluunt interim *Cæſariani*, Hungaris ſimul, regis edicto, ad arma capeſſenda, prouocatis. Adſunt, ex edicto, *Piſonienſes* quoque nobiles; cum prouinciales illi, tum vrbici. Vtrisque *Szeredini*, Piſonienſis prouinciæ oppido, luſtrandis, VII. Idus Iulii, præſtituebatur. Nobiles ergo, qui *Piſonii*, iure ciuitatis potiebantur, coadunato, centum & triginta virorum manipulo, *Eliam* quidem *Kharnerum*, equitum magiſtrum, dato ei *Iohanne Ferdinando Auero* legato, *Martinum Wentzelium*, ſigniferum, per ſuffragia, conſtituunt. Tanto adparatu, expeditionem eam adornauerant *Piſonienſes*, vt non in bellum, ſed volupturiam ituros peregrinationem, dixiſſes. Arma, plerisque, auro & argento diſtincta, equi phaleris onuſti, impedimenta atque commeatus, adparatiſſimi fuerunt. Tandem *VI. Idus Iulias*, dies erat *Dominicus*, non ſine adſpectantium miſeratione, vrbe profecti, altero poſt die, *Szeredinum*, in caſtra veniunt. Qui huc, ex prouincia confluxerant, ſex millium exercitum dicebantur expleuiſſe. Triduum, luſtrandæ collectitiæ multitudini, inſumtum, *Georgio Lippaio*, Archiepiſcopo Strigonienſi, *Adamo Forgách*, præfecto Ujvarienſi, atque *Nicolao Pálffy*, comite Poſonienſi, rem, in primis moderantibus.

Bellum in neruum, fruſtra obnitente Goeſio, *erumpit:*

Hungari, & in his Piſonienſes, *ad arma conuocati:*

vrbicorum, in eam expeditionem adparatus:

profectio, & totius prouincialis exercitus, luſtratio.

bus. His, Comaromium, vt illic de ſumma belli, cum *Montecuculo*, & ducibus reliquis, conſultarent, digreſſis, prouincialium exercitus, in æſtiua dimiſſus eſt, breuique adeo decreuit; vt ex ſex millibus, profectione demum edicta, vix mille tercenti ſuperfuerint.

§. XLV.

Vezirius interim, ſuperatis itinerum difficultatibus, *Strigonium* adpulit, quanta cum copia, quibusque conſiliis, apud *Ujvarinum, (l.)* explicuimus. vbi, & de clade, a *Forgáchio*, & *Pioio*, noſtris, imprudenter accelerata, quod ſatis erat, dictum eſt. Nempe, illecto, in conſiliorum præpoſteras rationes, *Nicolao Pálffyo*, qui prouinciales Piſonienſes ductabat, id operam dedit *Forgáchius*, vt totum illud agmen, in caſtra ſua acciperet. Ignorabat, temporarius miles, quorſum ducum vergerent deſtinationes, donec IV. Nonas Auguſti, profectio *Ujvarinum* ſuſcipienda, promulgaretur. Adſenſere primo prouinciales; ſed, cum iter militare ineunt, atque *Vagi* eluuionibus, ſubito circumfuſi, qua euaderent, vix reperiunt, captato inde peſſimi euentus omine, proficiſcendi facilitatem illam, vno omnes conſilio, damnant, recantataque porro pergendi deſtinatione, *Pálffyum*, per internuncios, rogant; *ne, extra Comitatus fines prouinciales educeret; ſe arma, non Ujvarini tutandi, ſed defenſandorum, agri Piſonienſis, limitum cauſſa, iuſſu Cæſaris, corripuiſſe; iamque prorſus conſtituiſſe, nolle, pedem e ſuis finibus, efferre, niſi noua, cum Cæſaris, tum Palatini, mandata acceperint.* Infremuit, ad hunc nuncium, *Pálffyus*, & nunc mutati conſilii rationes, deteſtabatur, nunc obiectabat etiam, imbellem metum, quo perculſi, negarent, ſe officium facturos: tarde iam fabularentur, poſteaquam ſpes ſuppetiarum *Forgáchio*, data ſit: viderent, ne pertinacia hac ſua, noxam apud Cæſarem, contraherent; ſtare ſibi proficiſcendi ſententiam. Ea exprobratione, tantopere nunciorum animos commouit *Pálffyus*, vt iidem illi, a quibus conſiliorum hæ rationes promanauerant, profectionem denuo ſponderent. Secuta mox manipulorum omnium acclamatio fuit. Iſto, animorum calore, vtendum ratus *Pálffyus*, poſteaquam ægre, ob *Vagi* diluuia, *Szeredinum*, eluctatus, cum exercitu fuiſſet; pontem, vi aquarum reſciſſum, confeſtim refici iubet, militemque, qua nauigiis, qua per pontem, celeriter traiicit. Superato Vago, *Tardos-Keddum*, Germanis *Weiskirchen*, itum eſt. Huc, dum accedunt prouinciales, *Forgáchium* habent occurſantem, qui luſtrato agmine, cum egregie inſtructum reperiſſet, quid ſtatuerit, manipulos obequitans, plenus bonæ ſpei, exponit: *Exploratum ſe habere, hoſtes, in contabulando, ad Strigonium, ponte, occupatos, tria fere millia, Párcánum traieciſſe, qui & operas tutarentur, & noſtrorum molitiones, obſeruarent; hos, ſi viri eſſe vellent, nullo negotio deleri, capique inde poſſe auſpica-*

Vezirius, *Strigonium, magno cum exercitu, venit:*

Pálffyus, *in easdem conſilii rationes, a Forgachio, illicitur:*

adſentiuntur prouinciales quoque:

ſera mox pœnitentia ducti:

Pálffii, *in eos, inuectiua:*

Vagum *traiiciunt Piſonienſes, a* Forgáchio, *ad Tardos-Keddum, accepti:*

eius, ad milites, oratio:

l.) In Hiſtoria *Comitatus Nitrienſis*, Parte Speciali, Memb. I. Sect. I. Num. II. §. IX. ſeqq.

auſpicata belli, quod euitari nequiret, exordia. Proinde, ſui conſilii eſſe, vt quam primum in hoſtem moueat, craſtino diluculo, nec opinantem, adorturus; ſi ergo, fide in regem, ſi amore in patriam, ſi laudis aliquo ſenſu, ducerentur, irent ſecum, certiſſima victoriæ præmia, relaturi. Nemo prouincialium erat, qui non his vocibus adnueret; ſiue, quod turpe putarent, præclaris auſibus, nolle velificari; ſiue, vt teſtarentur, ad militiam ſe veniſſe, non ad otium: tametſi multi paſſim conſuſurrarint; ad lanienam ſe trahi, vix omnino effugiendam. *Forgáchius* interim, collaudata, tam alacri, prouincialium adſenſione, ſignum profectionis, tuba edi iubet. Tunc noſtri, relicto *Tardos-Keddo*, per apertos campos, *Ujvarinum* primum, atque hinc, curatis corporibus, *Párcánum* verſus, proficiſcuntur. Difficile, atque puluerulentum iter fuit, quod, neglecta via regia, per vaſtas ſiticuloſasque ſolitudines, inſtituebatur, ordinibus, ad eum modum, quo in acie conſtituri erant, perpetuo ſeruatis. Sex millia virorum in exercitu fuiſſe, conſtat; carrorum, quibus ſe obuallarent, ſi vſus poſceret, ingens numerus. Agmen Uiuarienſes equites, *mille quadringenti* Hungari, iuxta & Germani, ducebant. Hos, peditum Hungarorum cuneus, *mille ducentis* viris cenſus, ſequebatur. Poſt, *quingenti quinquaginta* pedites Germani, cum duobus currulibus tormentis, atque mortario, inſtabant. Denique, prouincialis eques, (atque inter hos *Piſonienſes* noſtri,) duobus Comaromienſium alis, ſub noctem adauctus, *bis mille ducentis* plus minus, capitibus conſtans, agmen claudebat; haud connumerata volonum multitudine, quæ ſpe prædæ illecta, alacris confluxerat. Hoc ordine, in ſeram vsque noctem, nec adaquatis iumentis, inſtituta profectione, tandem, apertis campis, prope ad vicum *Ujfalu*, ſubſiſtere militem, corporaque, & equos, curare iubet *Forgáchius*. Illunes forte, priores noctis vigiliæ inciderant, occultandæ ideo profectioni, opportunæ; ſed incommodæ exercitui, quod ſiticuloſa in regione, neque aqua, neque pabulum, conquiri poſſet. Iam ergo fremebat miles, diurni itineris labore, atque æſtu, fatigatus; nunc autem ſiti etiam exſuctus. In primis *Piſonienſium* cohortes, peſſime habebant: quippe, bidui illa feſtinataque profectione, nimium quantum debilitatæ. Cum hic moratur exercitus, adeſt, dimiſſus heri ſpeculator, magna veri ſpecie, nuncians, pontem, qui, ſe, ex Turcarum caſtris diſcedente, nondum prorſus contignatus fuerat, hucusque contabulatum eſſe oportere; eo quod ruſticanam multitudinem, magna ſeueritate, ad maturandum opus, hoſtis adigat. Is vero vbi conſummatus fuerit, parata, ad traiiciendum eſſe omnia. Vix iſte, quod viderat, edixit; cum præcurſores, ruſticum, ad *Forgáchium* adducunt, eadem fere, quin deteriora etiam, ſed dubio ſermone, narrantem. His nunciis, perculſus *Forgáchius*, ne tantillam manum, valido hoſtium exercitui obiiceret, receptui canere ſtatuit, quod ne faceret, vnus omnium *Pioius*, maxime contraibat; ſiue, reuera, militari ardore accenſus; ſiue, quod erat, odio

prouincialium ſuſurri:

in hoſtes profectio:

eius ordo, atque numerus cohortium:

militum, in nocturna ſtatione, fremitus:

ſpeculatorum indicia:

Forgáchium *permouent, vt receptui canat:*

contrait Pioius:

odio *Forgáchii*, ſtimulatus: *indignum, fortibus viris*, dictitans, *tanto conatu, nihil præclari facinoris patrauiſſe; ſin ceſſet in hoſtem ducere* Forgachivs, *ſe, Germanorum virtute fretum, iturum, quo vocarent fata: quippe qui, vltima quæque experiri malit, quam notam ignauiæ, ſibi, totique huic exercitui, colligere.* Sedato, probroſas voces, animo, *Forgáchius* pertulit, reſponditque *Pioio: ſi res, hac eiusmodi animoſitate confici poſſet, ſe quidem nulli fore ſecundum: Videret ergo, virum ſe præſtaret* Pioivs, *& cum in ſua dextra victoriam crederet poſitam, ageret rem fortiter, ſe profectionem iam iam edicturum.* Dum hæc fiunt, cæleſti quodam oſtento, miles percellitur. Illune, vti diximus, noctis initium, nubes, obſcurius multo fecerant. Nondum vero exeunte vigilia prima, meridionali cæli regione; qua proficiſcentibus *Strigonium* obiacebat, ſpecies lunæ corniculantis, adparet. Sed, quod ea, ſub tertiam demum vigiliam: quippe deficiens; adparere potuerat, attonitos, maxime *Piſonienſes* noſtros, rei nouæ obtutus, reddit. Qui, dum concurſantes, quid hoc portenti eſſet, adtentius contemplantur, lunæ ea ſpecies, ſubito in frameam, cuius acies, Chriſtianorum caſtris obuertebatur, abiit, viſumque eſt oſtentum, toto horæ quadrante; dum pluribus adſpectantibus, in geminam crucem, ſitu erecto conſpicuam, transfiguraretur: nubis poſtea interuentu, obſtupeſcentium oculis, *(m.)* ſubductam.

cæleſte oſtentum viſitur.

§. XLVI.

SImul *Pioius*, atque duces reliqui, ad ſuos ordines, e militari concilio, digreſſi fuerant; Forgachivs, vt obiectum ignauiæ crimen, a ſe amoliretur, nec exſpectatis, quos iterum dimiſerat, *ſpeculatoribus, profectionem* edicit. Ergo, iisdem, quos diurno itinere *obtinuerant, ordinibus, loco mouent*; tantaque feſtinatione proficiſcuntur; *vt equites quidem greſſu concitatiore*, pedites, fere vbique ſubſultim, ingrederentur. Duo, inconſulta hac feſtinatione, milliaria, per noctem emenſus exercitus, cum horis ante lucanis, in conſpectum hoſtium veniſſet, laſſatus adeo fuit; vt, vix eodem perſtare veſtigio, nedum hoſtem adgredi, potuerit. Mille circiter paſſibus, a Turcarum caſtris, abfuere noſtri; cum *Forgáchius*, vultu ac voce, animi perturbationem referens, ordines ſingulos, obequitat, & in hunc fere modum, adloquitur: *Huc ventum eſt, commilitones! vbi, qua ſimus virtute, quoue in regem, & patriam, animo, palam teſtari oportet. Hoſtis, ad quem delendum feſtinauimus, ante oculos eſt. Hunc, ſi viri eſtis, ita adgrediamini, vt & vitam ſanguinolento, & victoriam præſidenti, eripiatis. Numen vobiſcum pugnaturum credite: quod, vt propitium habeatis, diuiniſſimum nomen* IESVS,

Edicit profectionem Forgáchius:

hoſtis propinquitate perturbatus, militem adloquitur:

pro

m.) Hæc, & reliquam funeſtæ expeditionis hiſtoriam, ex Ephemeridibus captiuitatis, Ioh. Ferdinandi Averi, decerpſimus, §. xxxiii. quas ille, *Conſtantinopolitano* in carcere, cui a *ſeptem turribus* nomen eſt, ſumma cura, conſcripſit, quasque iam in noſtris cimeliis, numeramus; edendas proxime.

pro veſtra pietate, ter ſublato clamore, in auxilium inuocate. Hæc ille, neque amplius quidquam dixerat; ſiue, quod rem perditam, animo præconciperet; ſiue, quod tantorum funerum obtutu, quæ in hunc locum, imprudens deduxerat, conturbaretur. Itaque, ſimul, albo linteolo noſtri, dextras præcinxere; vt eſſet Chriſtianorum teſſera; nomen IESVS, ter inclamatum, per caſtra reſonuit. Tunc vero, non iam conſilio, ſed impetu vtendum ratus *Forgáchius*, vtroque cornu, in hoſtem inuehi iubet. Atque dextrum quidem, quod ipſe ductabat, primum in Turcas impegit, tanta virium contentione; vt octo ac decem cohortes, retrocedere coegerit. Neque ſegnius, qui in ſiniſtro cornu erant, rem geſſere. Enim vero, *Pálffyus*, cum collega *Illyésházyo*, magno animorum calore inuecti, vigiliarum, quæ pro caſtris ſubſederant, manipulos proterunt, hoſtemque, adhuc ſuis ſe munitionibus continentem, ingenti edito fremitu, adoriuntur. Iſthic *Piſonienſes* noſtri pugnabant, virtute, quam fortuna, meliore. Tametſi enim, primos Turcarum ordines, perpetuo glandium imbre, proſtrauerunt, iamque collatis ſignis, in ipſo caſtrorum aditu, manus conſererentur; tamen, quod ſubſidiariæ Turcarum cohortes, laxatos ſuorum ordines, ſubito conſolidabant; noſtri autem, fruſtra ſubſidia circumſpicerent; animis conſternari, mox & pedem referre cœperunt. Interim, hoſtes, aduerſa Chriſtianorum perturbatione, ex inſidiis hinc, illinc e caſtris, proruunt, & pugnantes adhuc circumcludunt. Quo viſo, *Forgáchius*, ſubſidiarias cohortes & ipſe euocat; ſed quas iam, aut fuga abſtulerat, aut metus reddiderat imbelles. *Pioius* certe, eodem loco, vbi aciem inſtruxerat *Forgáchius*, adhuc cum peditatu, otioſus perſtabat, haud quidquam pugnantium clade, ad ferendam opem, inductus. Itaque, nihil, ancipiti periculo circumuentis, ſupererat; quam, vt ne inulti caderent. *Forgáchius* interim, cum nemo eſſet, qui laborantibus opem ferret; cladi ſe, cum ducibus, ſubduxit; *Pioius* autem, prælium inſtauraturus, quod ſerius, quam par erat, adgreſſionem fecit, nullum amplius virtuti locum ſupereſſe, ſuorum clade, didicit. Cædebantur ergo, relicti in medio pedites, quaſi feræ, indagine concluſæ; quin & hi, qui per medios, graſſantium hoſtium ordines, perruperant, fuga ſalutem quæſituri, paſſim, ab inſidiis intercipiebantur. Atque iſte expeditionis *Forgáchianæ* euentus *(n.)* fuit. Cæſorum captorumque numerum, WAGNERVS, tribus fere millibus definiuit. inter quos *Piſonienſium nobilium ciuiumque, ſeptuaginta* fuiſſe, meminit. AVERUS certe, Piſonienſis, cuius ephemerides ſequuti ſumus, iſthic captus eſt, *Rüblandi*, & *Baronis Welſii*, conſors, e longa fœdaque captiuitate, ægre poſtea in libertatem adſertus.

nomen IESVS *a noſtris inclamatum:*

noſtri, hoſtem adgrediuntur:

pugnæ ratio:

funeſtus euentus:

Chriſtianorum atrox cædes:

cæſorum numerus.

§. XLVII.

n.) Valuit hic illud LIVII, Lib. XXXV. cap. XXXII. *Conſilia callida, & audacia, prima ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia ſunt.*

§. XLVII.

Quæ hinc calamitates ſint conſequutæ:

LOngum foret, calamitates omnes, quæ infelix prælium, conſequutæ ſunt, recenſere. Perditum, ſcilicet, *Ujvarinum*, non Hungariam modo; ſed vicinas etiam prouincias, Auſtriam, & Morauiam, hoſti, quaſi nudatas præſidio, diripiendas, obiecit. *Piſonio* certe, eo pernicioſior tempeſtas incubitura metuebatur; quo exquiſitiore hoſtium conatu, vrbs, & ſitu opportuna, & frequens ciuibus, nunc autem immenſæ multitudinis perfugium, adpetebatur. Sed eas molitiones, *Montecuculi* ſolertia, & in obſeruandis hoſtium excurſionibus, ſagax perſpicacitas, atque conſtantia, irritas fecit. Ad *Altenburgum* is hucusque hæſerat. Mox, viſo, quid hoſtis ageret, in citeriorem Danubii ripam, quantulumcunque exercitum, deduxit, caſtra, ad *Cseklésum*, Germanis *Lanſitz*, duobus paſſuum millibus, *Piſonio* diſiunctum, metatus, ad eum modum; vt a tergo amnem haberet, latus vtrumque, ac frontem, militari aggere, inter dumeta, præcingeret. *Piſonii* interim, de conuocandis denuo ad ſigna, prouincialibus, primores, cum belli ducibus, conſultant; vt eſſent, qui, in tanta legionarii militis paucitate, flumina, viarum aditus, locaque muris ſepta, aduerſus hoſtium illuuionem, obſeruarent. Miſſis litteris, *Semptzinum*, *Wartbergam* dicunt Germani, ad IX. Calendas Septembris, legati Comitatuum euocantur. quibus tutandis, iam & *Montecuculius*, in caſtris aderat. Sed, fruſtra omnis hæc diligentia fuit. Præterquam enim, quod pauci legatorum, præter *Palatinum*, aduenerint; paratæ & his, qui acceſſerant, excuſationes fuere. De ea re WAGNERVS: *(o.)* Poſonienſes, *ſe nupera, ad Párcánum excuſant clade:* Nitrienſes, *ac* Neogradienſes, *cum* Hontenſibus, *quod tantum non in faucibus Turcarum hærerent;* Aruenſes, Thuroczienſes, Trencſinenſes, *quod ſatis ſibi domi, ad montes tuendos, negotii eſſet.* Ac dicebant omnino, non plane nihil. Nam *vbi*,

denuo euocantur ad arma Hungari:

eorum excuſationes:

proximus ardet Vcalegon;

difficile eſt, ſua ipſius tecta deſerere, & ad vicinorum reſtinguenda incendia concurſare. Vrbi noſtræ, dicam ſcribit hiſtoricus, quaſi, quæ retardarit deſtinationes *Montecuculi*, eo comparatas, vt regiunculæ, quæ erat ab hoſtium incurſionibus integra, quantacunque ſecuritas compararetur. *Nihil*, inquit, *æque Montecuculum*, *ac* POSONIENSIVM, *in recuſando præſidio, faſtidium torquebat. Pronum erat hoſtibus, ſinuoſo, ſub montium radicibus, itinere, ad mœnia ipſa Piſonii ſuccedere. Neque tamen permoueri poterant* POSONIENSES, *vt Germanos præſidiarios admitterent. Itaque, tanto accuratius Vagi littora, hoſtiumque conatus, obſeruabat Montecuculus.* Iſta WAGNERVS. Mira omnino, hæc *Piſonienſium* obſtinatio videri poterat; ſed haud ſine cauſſa ſuſcepta. Metuebant, nimirum; ne, ſi præſidia Germanica admitterent, didita eius rei fama,

Piſonienſium *accuſatio:*

æquiſſimis rationibus, emollitur:

o.) Lib. II. p. 128.

fama, ad obſidendam vrbem, fere inermem, *Vezirium* illicerent. Crebras, id cauſſantium fuiſſe voces, ex eius ætatis hominibus, accepimus: *Regioni, non vnius vrbis muris defenſandis, Montecuculum, a* Cæſare, *ſubmiſſum; tueretur ille apertos campos, non ſe mœnibus ſuis defuturos; id, ſi nequiret, ſpem eum præpoſteram concipere, vnius* Piſonii, *temporaria defenſiuncula, hoſtem retundi, nedum res deſperatas reſtitui poſſe; ſin denique eius opera viſa fuerit neceſſaria, vltro ſe, & vrbis portas patefacturos, &, quæ admiſerint præſidia, ex temporis habitu, liberaliter ſuſtentaturos.* Sed erant, peculiares etiam *Piſonienſibus*, præſidii, toties repudiati, cauſſæ. *Strozzius*, nimirum, qui tunc forte, arci & vrbi, cum imperio, præerat, fama intercepti *Ujvarini*, ne in eandem ſe quoque fortunam indueret, admonitus, vrbem arcemque, ciuico aggere, communire cœpit. Eas operas, præter milites ſtationarios, cives in primis frequentabant; quod, ſi remiſſius faciebant, ſubinde interminabatur *Strozzius*, e caſtris ſe tantam militum manum, in vrbem inducturum, quæ, & defenſandæ ei, & muniendæ, exauctoratis ciuibus, ſufficiat. His ergo minis territi, auerſabantur præſidiarium militem *Piſonienſes*, forte, iuſto etiam pertinacius. Accedebant, duriora imperia *Strozzii*, quæ ille, coactis in curiam ciuibus, cum alias ſæpius, tum *Nonis Octobribus*, ſeueriſſime ingerebat: *Foſſas vrbis, mœnibus circumductas, funditus perpurgarent ciues; octingentas, in dies ſingulos, operas, quæ opus quadripartito facerent, ſuo ære, (p.) conducerent; ſingulis vero operarum claſſibus, octenos fabros murarios, materiariosque, cum totidem famulis, adderent; ſolo æquarent ſuburbia, vt aggeres, per deſignatos tramites, duci poſſint; denique, roborum, ac reliquæ materiæ, tantam vim ſuppeditarent, quæ molitionibus illis ſufficeret: id, ni promti facerent, operas quidem, ex caſtris ſe acciturum, ære ciuium diſſoluendas.* Ad hæc illi: *foſſarum rationem ſe habituros, reſpondent; reliqua, præter rem, in tanta temporis malignitate, ſibi imperari; ſuburbia, ſi deradere velit, idque regis mandato faciat, non ſe contraituros; modo ædes, quarum quisque iacturam facturus eſſet, iuſto ære penſarentur: quæſituros poſtea ciues, vbi fortunarum ſedem figerent, ab iſtiusmodi moleſtiis vacuam.* His ergo *Piſonienſes*, rebus, in eam pertinaciam, inducti fuerant, quod ne ſileremus, hiſtoriæ *(q.)* ratio poposcit. Dum ad *Cseklésium* excubat, inops conſilii *Montecuculus*; Turcæ, Vagum, duo de viginti dies, a noſtris prohibiti, tandem ſuperant. Viginti quinque millia, prædabundæ multitudinis fuiſſe, proditum eſt. Quæ, ſimul apud *Galgotzium*, reiectis ſtationariis, amnem transmiſere, bipartito diuiſa, hinc in agrum *Piſonienſem*, illinc in *Mora-*

Turcarum, obſeſſo Ujvarino, atrox, in prouinciam noſtram, impreſſio:

p.) In ſingulos viros, pendendi fuiſſent groſſi *duo*, id eſt; quotidie, *floreni octoginta*, præter fabros lignarios, murariosque, & horum famulos: vt materiam neceſſariam, taceamus.

q.) Sic rem, ad annum MDCLXIII. ORTELIVS meminit, Parte II. p. 288. b. ſeqq. vbi deſignatum, vrbis, & arcis muniendæ veſtigium, ſimul videas; ſed profecto, inuito loci ingenio, chartæ illitum. Quid enim illic munitionum, cum fructu ſubſtruxeris, vbi eminentibus vrbi collibus, inerrantes, per fora & compita, homines, poſſis connumerare.

Morauiam, Brunam vsque effuſa, tantum dederunt cladium, quantum ne cogitando quidem adſequare. *Piſonio*, ne flammis deleretur, quin & *Montecuculo*, iisdem adhuc caſtris, ad *Cseklésium*, inhærenti, LINGOII Ieſuitæ captiuitas, ſaluti fuit. Tyrnauiæ is forte agens, ex more, ſtatarum precum formulam dicturus, extra vrbis mœnia, exiuerat. Hic, rei ſacræ intentum, diſcurſantes *Moldaui* interceperant, ſuo mox principi, quatuor nummis aureis, venditum. Delectatus ille, opportuno viri caſu, ſæpius in colloquium adhibet captiuum: tantopere, efficaci eius ſermone, poſtea emollitus; vt facilem ei aurem frequentius commodarit. Vſus hac principis facilitate, LINGOIVS, Chriſtiani eum nominis identidem commonefaciebat, enixe flagitans; vti ſanguini parceret, eundem ſecum CHRISTVM profitentium; in primis, dimiſſa prædatum agmina, a *Piſonii*, & caſtrorum *Montecuculi* incurſatione, prohiberet. *Magno adſenſu hæc audiit princeps*, inquit WAGNERVS, *multis ſortem ſuam deplorans, quod innocenti ſanguine, manus polluere coactus, obtorto veluti collo, in nefarium bellum trahatur; ſpondebat præterea, vbi vbi, citra ſuſpicionem oculatiſſimi Veziri, liceret, conſilio indicioque, rei Chriſtianæ conſulturum.* Atque exorari ſe omnino paſſus eſt *Moldauus*; præterquam enim, quod *Lingoi* miniſterio vſus, *Zrinium*, de Turcarum conſiliis, prorſus edocuit, militem certe, & a *Piſonii*, & a caſtrorum infeſtatione, ſollicite auertit. Tunc & *Montecuculus*, cum præter fumantem circumquaque regionem, nihil vspiam ſupereſſe cerneret, ſex millium exercitum, intra *Piſonii* ſuburbia, reducendum ſtatuit, eo conſilio; vt vitiferos montes, Danubio, ductis, arcuato tramite, aggeribus, committeret. Sed ea deſtinatio, quod incommodis vrgeretur, haud facile ſuperandis; neque conſultum erat, iſtis carceribus, tantillam manum concludere, intermiſſa eſt; exercitu, breui poſt, *Caroloburgum*, quod Hungari *Oroſzvárum* vocant, deducto. Nouas hic iterum WAGNERI querelas, aduerſus *Piſonienſes*, audiamus: *Vt ex iis carceribus, eluctaretur*, inquit, *ad Caroliburgum exercitum ducit, arce Piſonii, ac ſuburbiis*, (nam ciuitatis pertinacia, ipſis periculis creſcebat,) *Tyrnauia, item & Modra, idoneo præſidio inſtructis.* Ac profecto, fere accidit; vt iſta, repudiati præſidii durities, in perniciem *Piſonienſium* verteret. Nam, poſteaquam hoſtis, regionem omnem, vsque ad Morauiæ interiora collimitia, impune euaſtarat; ſiue, quod *Piſonio* deceſſiſſe *Montecuculum* aduertiſſet, ſiue, quod turpe duceret, nec laceſſitam vrbem dimittere; diu, fruſtra tentato inſulæ *Csallóköziæ* traiectu, iſthuc reuoluitur, & vsque ad excubias equeſtres procurſans, fere intra ſuburbia ſe iniicit: certe, ne flammas tectis ſubderet, non niſi acerrima pugna, repulſus eſt. Inde, velocibus equis, in vicinos colles eniſi *Turcæ*, ſitum vrbis, munitiones, & vniuerſam circum regionem, quaſi per otium, ſpeculati, funeſto, quale aduentantes fecerant, itinere, *Ujvarinum* retroceſſere, exuſtis omnibus, quæ prior illa clades, reſidua fecerat. Tunc vero demum aduertere *Piſonienſes*,

Lingoii, *ſalutaris* Piſonio, *captiuitas:*

Montecuculus, *Piſonium, exercitum ſubducit:*

Oroſzvárum mox *transgreſſus, adhuc* Piſonio, *præſidiarium militem, repudiante:*

accelerat um inde vrbi periculum:

fruſtra, a Montecuculo, implorant: Piſonienſes *auxilium.*

atrociori ſe periculo circumuentos, quam quod, ſine præſidio, propulſare queant. Proinde, orare *Montecuculum*, ne ſe deſertos, hoſti obiiceret. *Sed diuiſæ, diminutæque nimium copiæ*, inquit WAGNERVS, *prohibebant, vt ne petentibus iam fieret ſatis. Fœderati, quorum non nulli ex Germania aduenerant, diſerte negabant, paſſuros ſe in præſidia includi, Vienna, Iaurino, Comaromio, exceptis.* At enim vero, procliuis in auctumnum æſtas, & Turcarum, poſt captum *Ujvarinum*, tempeſtiuus in hiberna diſceſſus, *Piſonium (r.)* diſcrimine exemit.

§. XLVIII.

Quæ poſt captum Ujvarinum, Piſonii fortuna fuerit:

ANnus ſequens, MDCLXIV. gemina, de hoſte, victoria, *Leuenſi* altera, altera *St. Gotthardenſi*, mox & pace ſubita, nobilitatus eſt. Itaque, quamquam vicinum iam *Turcam* habuit *Piſonium;* tamen, tuto, domi rurique, agebat, & cum quodam incolarum fructu, qui ex limitaneorum hoſtium commerciis, rem ſuam auctitare nouerant. Quæ demum vrbis felicitas, reparata prorſus fuit, miſſo, Conſtantinopolim, *Leslæo* comite, qui non pacem modo nuperam, legati vſus dignitate, conſolidaret; ſed commerciorum quoque leges, mutuo conſciſceret. Quemadmodum, ſecundo amne deſcendentem, *Piſonienſes* acceperint, iuuat, animi cauſſa, interſeruiſſe. Ita vero, eius legationis *(s.)* hiſtoria: *Feria*, inquit, *tertia Pentecoſtes, heſterno in littore, ad auroræ exortum tubæ clangor euocauit famulitium ad diuina audienda; reliqui, communi ſacrorum*

Cæſareæ, poſt initam pacem, ad Turcas legatio:

præcepto ſatisfecere media ſexta. Tum ſoluti funes, & auxiliaribus, qua remis, qua ſecundo flumine, innubi cælo, in Hungariam *delata,* Poſonium *claſſis tenuit. Primus, qui lembo, ad defluentes adplicuit, Stephanus Comes Zichy iunior, nomine regnicolarum, orator, hoſpites ſalutauit. Interea, dum littus raditur Poſonienſis ſuburbii, intonuere, ex arce, & vrbe, pari numero, grandiores machinæ, quot ſubiectum flumen deferre nauigia, conſpiciebatur. Durante amico fragore, ſucceſſit* Comes Nicolaus Pálffy, *obuiam, & ablegati ciuitatis, exſpectatam legationem, rara beneuolentiæ ſignificatione, venerati ſunt. Hos, delectis cum proceribus conſequutus prorex* Franciſcus Weſſelény, *nihil paſſus eſt deſiderari, quod ſuam, & oratoris Cæſarei, perſonam condeceret. Equis, magnifice phaleratis, & carpentis decem, legatum, & legationis nobiliorem partem, deuexit in ſuburbanum, quo omnes, exquiſita honorum, & coniunctiſſimi animi, ſignificatione recreatos, in poſterum diem, a primis fluuii moleſtiis, detinuit. Sexto Calendas Iulii, repetitum fuit flumen.* Tanta tunc, recentis pacis exiſtimatio fuit, atque pretium; vt vel legatum ipſum, eius firmandæ cauſſa digredientem, tamquam cælo demiſſum,

r.) Antequam e caſtris *Ujvarienſibus*, hibernatum diſcederet *Vezirius*, miſſis litteris, ad deditionem ſollicitaſſe *Piſonienſes*, apud ORTELIVM, loco citato, legas:

s.) Auctore P. PAVLLO TAFFERNER S. I. itineris comite, & Oratoris *Capellano*, A. MDCLXXII. Viennæ edita, p. 8.

Veſſelenii, *de eadem pace, querelæ:*

miſſum, *Piſonienſes* venerarentur: quippe qua, e faucibus hoſtium eliſos ſe, prorſus intelligebant. Aliter *Veſſelenius.* Reuera enim, eandem iſtam pacem, in amariſſimarum querelarum occaſionem vertit. Nempe, *(t.) ſine Hungaris, de Hungaria conflatam, totique regno perniciabilem*, obiectabat: tuebatur contra Cæſar, neceſſarium, & ad vniuerſæ rei Chriſtianæ ſalutem pertinens facinus; quod, neque cum gentis coniunctum eſſet iniuria, nec haberet quidquam, quod male poſſet cadere. His *Lobkouizii* ſermonibus, nam eo adminiſtro vtebatur LEOPOLDVS, ſedatus, ad ſpeciem, *Veſſelenius*, non ante quieuit, quam nouarum rerum, idonea, vti rebatur, ſemina ieciſſet, irreparabili *Hungariæ* damno: quippe quod, *Rákóczianus* primum tumultus, mox & *Nadasdiana* conſpiratio, denique ſeditio *Tököliana*, conſequuta eſt.

& iacta, nouarum rerum ſemina.

§. XLIX.

Sequutorum hinc temporum, calamitates:

VEnimus iam, in calamitoſiſſimorum temporum recordationem, quibus comparatæ in regem optimum inſidiæ, adacti, in propria viſcera, mucrones, contemeratæ religiones; &, ne quid deeſſet ad vltimam perniciem, illectus, ab orco, *Turca;* quodque, e lacero regno erat reſidui, id omne, non vno ſcelere, contaminatum eſt. Quæ mala, tolerabiliora futura erant; niſi tutandæ, redintegrandæque libertatis obtentu, miſeram ex ſe Hungariam, inundauiſſent. Mittemus reliqua. id, quod vrbi noſtræ accidit, fauſtum ſit, infauſtumue, breuiter commemoraturi. Et *Turcæ* quidem, nec-

Piſonienſium *mala:*

dum conflato bello, Hungarorum exemplo, facti ſubinde ad prædandum alacriores, non vna clade, *Piſonienſes* adfecerunt. Vix annus abiit; quin ad vrbis portas, procurrerent, &, nunc operas vineaticas, nunc pecorum armenta, abigerent. Quæ res, vti querelis æquiſſimis locum fecit, ita, occaſionem dedit *Schintæ*, atque *Sellyæ*, qua ſe in agrum *Piſonienſem* infudebat hoſtis, communiendæ. Diſerte, ad annum MDCLXXII. WAGNERVS: *(u.) Ujvarienſes præſidiarii, ad* Poſonii *portas, cædes protulerant, ac incendia: vt adeo neceſſe eſſet,* Schellyam, *ac* Schintam, *geminas, ad Vagum amnem, arces, nouis munitionibus, ac præſidio, adornare. Ujvarini gubernator, miſſo, Viennam legato, hæc ad bellum ſpectare clamat, tormentis operas impetit nec quidquam; quod duo Cæſarianorum millia, dum munitio perficeretur, pone excubarent.* Alioquin, toto eo tumultu, qui, poſt anni MDCLXIV. pacem, nunc *Gallorum*, nunc *Turcarum*, auctoramentis ſuſtentatus, *Tökölianam* ſeditionem, infelici nixu protruſit, intemeratam CAESARI fidem, *Piſonium* ſeruauit. Nam, quod primores, quibus temporariæ in vrbe ſedes fuerunt, eodem illo maleficio ſe contaminauerunt, id quidem *Piſonio* adfricari non poteſt. Tribunal hic poſitum habebat

in Cæſarem fides intemerata:

t.) Legeſis, iſtorum temporum hiſtoriam, apud WAGNERVM Lib. III. p. 187. ſeqq. & p. 201. ſeqq. atque iterum, p. 232. ſeqq.

u.) Lib. VIII. p. 548. fine.

bat Caesar, quod *Vesselenii*, & infelicium *(v.)* triumuirorum complices, sæpius compleuerant. Vix erant publicæ, priuatæque ædes, quas sontium, iuxta & insontium, hospitia, non occupauissent. Anno demum MDCLXXXIII. cum bellum *Turcicum* exarsisset, Cæsarem Leopoldvm, aliquantisper hospitem, immo herum, vrbs nostra venerata est. Mouerat Constantinopoli, cum exercitu *Vezirius*, iamque, inconditam multitudinem, *Belgradum* adduxerat; cum Caesar, ne imparatum hostis deprehenderet, quantascunque poterat, copias, inter *Pisonium*, & *Köptsenium*, coegit. His lustrandis, comitante Electore Bauariæ, huc accesserat Leopoldvs. Rem ipsam meminit Wagnervs, *(x.)* non item Pisonienſe istud hospitium: *Calendis*, inquit, *Maii*, *quo Vezirius Belgradi*; Leopoldvs *suos*, *prope Posonium*, *ad Kitseam vicum*, *præsente Bauariæ Electore*, *ac illustri principum corona*, *lustrauit*. Nos in ciuium ephemeridibus istud reperimus: *Subiisse Cæsarem vrbem*, *die quarto Maii*, *abiisseque vndecimo*. Periculo demum ingraueſcente, *Coronam*, hinc Caesar Viennam deportari iussit: id quod quarto Iulii, sine insigni cerimonia, comitante, vna alteraue cohorte, factum fuisse, eædem nos ephemerides, condocuerunt. Sed hinc quoque, triduo post, hoc est, septimo Iulii, cum decedente Vienna Cæsare, tamquam indiuiduus, sacratissimi capitis comes, aliorsum *(*)* commigrauit, anno demum, MDCLXXXVII. VI. Idus Decembres, inter festiuas tormentorum exsplosiones, *Pisonium* reducta; vt, & Iosephvm Regem, & annum eum, Cæsari & Hungariæ, reuera triumphalem, auspicatissimo omine, coronaret. Sed *Pisonium*, belli ea tempestas, de qua cœpimus dicere, maiorem in modum adflixit, egitque in transuersum. Res ita se habuit. Cum *Turcæ*, ad obsidendam *Viennam*, aduerso Danubii latere, profecti, totam post se regionem, cædibus atque incendiis fœdauissent, eadem *illa* die, qua *Vezirius* Viennam; scilicet pridie Idus Iulii; *Pisonium* Tökölivs, obsedit. Consilium vtriusque eo adtinebat; vt, ille quidem, rerum arcem, hic vrbem, *Danubii* potentem, Hungariæque caput, expugnaret. Vicena suorum, decem Turcarum millia, *Tökölius* in castris habuit. Hoc ergo stipatus exercitu, vrbis conspectum subit, dirissima quæque, per caduceatores, interminatus, nisi vrbem ciues, arcem præsidiarii, dederent tempestiuius. Spretæ aliquoties minæ, ad cum modum, hominis iram concitauerant; vt, delendam igne ferroque vrbem, statueret. Mox, ne fulmina ex pelui, has eius diras, ciues existimarent; facto, in extima suburbia, adsultu, ignem tectis subiici curat. Eo, puncto temporis, late propagato, fumantes ruinas, subit, frustra his, qui in arce fuerant, tormenta displodentibus. Iam, vicinissimas mœnibus ædes incendium depascebat; cum

succumbunt Tökölianorum *furori*:

rei gestæ historia:

v.) *Nadasdii*, *Frangepani*, & *Zrinii*.

x.) Libro viii. p. 582.

**)* Lintzivm, nempe, tantæ rei administro, Iohanne Davide a Palm, viro nobili, & Cæsari Leopoldo, a consiliis Cameræ, & secretis relationibus: sicuti eius familiæ diploma, nos condocuit. id quod, in gentis nobilissimæ laudem, memorandum fuit.

cum *Tökölius*, ciuium, & vitæ, & fortunis, vt præferebat, parsurus, nouos feciales submittit, vrbem dedi rogitans; sin nollent, belli mala, sua ipsorum culpa accelerata, sibi haberent. Quid agerent ciues, tota circum regione, quin & suburbiis, fumantibus, neque adparente quoquam, qui laborantibus ferret suppetias? *Tökölium* quidem in vrbem admittere, reliquam vero multitudinem, quæ in castris confederat, commeatu iuuare coguntur. Mira, in *Tökölio*, erga deditios, humanitas eluxit; siue, quod facinoris conscientia fecerit mansuetum, siue, quod animo præceperit, maleficentissimæ expeditionis fortunam, non posse, nisi iniquissime cadere. Ac profecto, breuis, ista *Tökölii* dominatio fuit. *Re* enim *intellecta*, *Lotharingus*, verba sunt scitissimi Wagneri, *(y.)* *ducentos primum*, *ductore Ogiluio centurione*, *ad augendum arcis præsidium*, *præmittit*, *dein Sabaudis*, *ac Ricciardi desultoribus*, *ad operarum*, *castrorumque custodiam*, *ad Bisembergam relictis*, *ipse*, *cum exercitu*, *ad Morauam amnem*, *consequitur*. *Hic*, *certis nunciis edocetur*: *Ogiluii cohortem*, *ab numeroso hoste exceptam*, *fusam*, *fugatam*. *In ciuitatem*, *fluxa incolarum fide*, *receptos perduelles*; *intus*, *Vezirii iussu*, *naues*, *aliamque pontis materiam*, *diligenter adparari*; *extra pomœrium*, *vicena rebellium*, *dena Turcarum millia*, *in aperto campo*, *metari*; *ab iis arcem propediem oppugnatum iri*. Magnam, tristes adeo nuncii, sollicitudinem Duci iniecerant, qui, neque hosti se parem cerneret, neque ignoraret, quantum, ad vniuersi belli summam, in *Pisonienſi* arce positum esset: quippe qua, ab hoste intercepta, & equitatus noster in periculo, & *Polonorum* auxiliis, ad vitandas, proximi hostis incursationes, longiore circuitu, iter faciendum erat. Hæ difficultates atque incommoda, *Lotharingo*, peritissimo rerum bellicarum duci, obuersabantur; si arx *in hostium veniret potestatem*. Ergo, experiundam fortunam ratus, impedimentis, *in Mareckienſi oppido relictis*, amnem Morauam, superat, &, qua potest circumspectione, recta *Pisonium* proficiscitur: cum adsunt iterum nuncii; viarum stratores erant; locorum, iuxta & itinerum difficultates, insidias item, & volitantia circumquaque hostium signa, vno ore referentes. Et habet omnino, difficilem, eo latere, vrbs nostra, aditum, ob editos colles, & depressas in profundum, vias, in quas admissa multitudo, etiam ab inermi paucitate, intercludi potest delerique. His auditis, ducum plerique, iter, si non detrectant, certe horrent. At *Lotharingus*, ne quid temere egisse videretur; *Badenſem*, cum delecta equitum peditumque manu, præmittit, itinera, explorari mandat, &, si quæ essent, insidias, disiici. Rem, cura, quam periculo maiore, exsequutus *Badenſis*, vias, qua succedendum erat exercitui, stationario milite, communit, ipse denique, in colles vrbi imminentes, nemine occursare auso, emergit, hostium castra, & sparsam late multitudinem, contemplatur. Adest mox, cum exercitu, *Lotharingus*, qui simul arcem

Tökölii, *ad Pisonium*, *clades*:

y.) Eodem loco, p. 598.

conſpicatus eſt, ducentos in eam milites, per auerſos, inter vineta, calles, immittit; & obſeſſis viarum exitibus, legiones, iis ordinibus, quos in acie ſeruari voluerat, ſumma celeritate, quaſi per obſidionales vias, in ſuburbia immittit, fugatisque, qui inerant, perduellibus, vrbem ipſam, nec admotis tormentis, deditione capit: eo, in ciues benignior, quo promptior, a neceſſitate, traditæ vrbis fuerat excuſatio. Pugnam WAGNERVS, ad hunc modum, deſcripſit:

pugnæ facies: *Inde, nulla interiecta mora, acies, quindecim legionum, fere equeſtrium, aduerſus hoſtem, ita ſtruitur, vt a montium radice, ad Danubium pertingerent latera. Iuſſi omnes, lento dimenſoque gradu procedere, dum e ſuburbiorum hortorumque ſeptis, in apertiorem campum, veniretur. Rebelles, magnam pugnandi cupiditatem præ ſe ferebant; emiſſis turmis aliquot, quæ a ſtruendis ordinibus, Germanum impedirent. Eadem cauſſa, expeditas centurias aliquot, velitando diſtinere hoſtem, tum claſſica canere iubet; nihil mutata acie, etſi hoſtis variaret identidem. Vix dum in dextra ala concurri eſt cœptum, cum calones primum, dein, qui in inſidiis erant, rebelles, terrore, aut errore, neſcio quo, abrepti, in effuſam ſe fugam dant, eodemque terroris contagio, afflatis ſociis, victoria, prope ſine pugna fuit. Pugnantium prope nulla, maxima fugientium cædes eſt edita.* Hæc ad *Piſonium*, ineunte Auguſto, geſta fuerunt, opportuno ſatis euentu. Turcæ, *Tökölii* imprudentiæ; hic, *Huſſaini Baſſæ* ignauiæ, cladem imputauit: *Vezirius* contra, leuiculum fuiſſe certamen equeſtre, totis caſtris, proclamari iuſſit. Reperti in hoſtium ſtatiuis, mille ducenti impedimentorum carri, rei tormentariæ, nonnihil, in vrbe autem, rei naualis adparatus ingens.

hoſtium fuga & cædes.

§. L.

Reliqua Piſonii mala: DVm hæc ad *Piſonium*, ſecundo Marte fiunt, feruet interim oppugnandæ Viennæ labor, periculo, in dies ſingulos, increſcente. Sed, nec vrbi noſtræ, tuta vndique omnia fuere. Tametſi enim depulſus *Tökölius* abiit tantiſper; tamen, ea latrocinantium, ſeuferocia fuit, ſeu prædæ auiditas; vt nihil dubitarint, ad ſuburbiorum vsque portas, procurſare; infeſtare campeſtres operas, & quidquid poterant, incolis abradere. Ea hoſtium inſolentia laceſſiti ciues, factis, ſemel iterumque, eruptionibus, feliciter repulere inſultantes. quod, dum IX. Calendas Septembres, quaſi ex more, faciunt, atque hoſtem, virtute, quam circumſpectione maiore, longius inſequuntur; a multitudine circumfuſi, ad vnum miſere omnes, contrucidantur. Stimulabat, nimirum hoſtem, nuperæ cladis, quam acceperat, ignominia; vt, cum *Lotharingo* non poſſet, ciuibus vicem referret. Dictu, profecto, difficile eſt, quantis, toto eo tempore, quo *Vienna* obſidebatur, cum malis, vrbs noſtra conflictata ſit. Atque, ſi nihil ingruiſſet aliud, incendiorum certe metus, & ſi exorta fuiſſent, auerruncandorum, perpetua ſollicitudo; excubiæ, aduerſus vagabunda

da latronum agmina; vigiliæ, contra incendiarios, non ſecus viribus exhauriebant ciues, quam ſi obſidionem ipſi tolerauiſſent. Quid? quod, ea in vrbem multitudo, cædium ac rapinarum metu, confluxerit, quam ne tecta quidem caperent. Fames certe, non tam metui, quam ſentiri cœperat. Tandem, auſpicatiſſimus ille dies, qui Viennenſi obſidioni, noſtrorum quoque calamitati, finem adtulit longe exoptatiſſimum. Bidui ſpatio, viſa fugientium agmina, nihil quidquam moleſtiarum vrbi dedere; in lucris ponentes, quod citatiſſimis itineribus, ipſi, cædibus ſe poterant ſubducere. Et facile omnino fuiſſet, conſummatiſſima, de hoſte, victoria potiri, ſi, qua virtute caſtra fuerant adorti, eadem, coniectum in fugam hoſtem, poſita cunctatione, inſequi voluiſſent fœderati. Sed, quod illi, ſexto demum, poſt liberatam Viennam, die, caſtra mouerant; non fugæ modo, verum, colligendarum etiam virium, tempus hoſti dedere. Subſtitit tunc quoque ad *Piſonium* noſtrum exercitus, pontem, ſextidui ſpatio, qui *Tulna Auſtriæ*, huc deductus, inſtruebatur, aduerſa amnis ripa, præſtolatus. Læta, victorum obtutu, vrbs, feſtiuas diſploſiones, ad diem XIX. Septembris, vna cum arce inſtituit, concelebrauitque ſupplicationes, ſingulari Ducum, ex caſtris huc traiicientium, hilaritate. Ad X. Calendas Octobres, ipſe IOHANNES, Rex *Poloniæ*, cum *Iacobo* filio, vrbem ſubiit, magna ciuium veneratione lætitiaque, acceptus, atque iterum, eodem illo die, in caſtra, redux. Interim, dum, magna, vtiliſſimi temporis, iactura, exercitus, in vrbis conſpectu, ſtatiua habet; Danubius, peregrino illo ponte, commiſſus eſt. Nondum decreuerant duces, quorſum, quaque deſtinatione, ſuſcipienda eſſet profectio. Ad vltimum, id conſilii cepere; vt amne, cum exercitu, ſuperato, ad *Vagum* ducerent, iſthic deliberaturi, *Ujvarinone*, an *Strigonio*, expugnando, felicem adeo expeditionem coronarent. Tunc, alterum, ad vrbem noſtram, rex acceſſit. Ad *Vagum*, vbi *VI. Nonas Octobris* ventum eſt, exploratores adtulere, *recollectas, ex fuga, Turcarum copias, circum Budam metari; Ujvarino, & Strigonio, quatuor, ſingulis, militum iniecta millia; additum campeſtre agmen, haud inualidum, vti præſto eſſet, ſi locorum alterutrum, Chriſtiani tentare occiperent; neque longe, expeditionis finem, Tökölianos, præſtolari; Ianitſaros, fortunæ, & Vezirii, qui infelices reddidiſſet, pertæſos, ægre amplius aciem ſubituros.* Ex his nunciis, oppugnandi *Strigonii*, ſumtum e veſtigio conſilium, bellumque adeo, ſecundum *Danubium*, non ſine cruenta, ad *Párcánum*, pugna, prolatum eſt: cuius hiſtoriam, quia ad *Strigonium* recenſebimus, iam ceſſamus interſerere.

finem iis, Viennæ liberatio, adtulit:

fœderatorum, in hoſte inſequendo, cunctatio:

eorum, ad Piſonium, *ſtatiua:*

Regis Poloniæ, *in vrbem, aduentus:*

Cæſariani ad Vagum *profecti:*

victis prælio hoſtibus, Strigonium capiunt.

§. LI.

DEpulſis, felici adeo ſucceſſu, *Turcis*, numquam poſtea, vrbem noſtram *Tökölius* reuiſit: quippe, qui in Hungariam ſuperiorem ſecedens, illic vero, deſertus a meliore fortuna, in vincula

Vrbis noſtræ, factæ eo bello, acceſſiones:

coniectus, *Hadrianopolim*, *(z.)* captiuus abductus est. Miræ hinc vrbi, toto eo bello Turcico, factæ sunt accessiones. Licet enim, tributorum rationes, in annos singulos, augescerent; iis tamen pendendis, adeo non sunt exhausti ciues, vt etiam aduersum sit, plerosque opibus conualuisse. Commerciorum id fuit beneficium, quæ, cum castris, perpetua a ciuibus ad rem intentis, instituebantur. Nimirum, eæ sunt bellorum vices, vt, cum alios opibus exinaniant, ditent alios. Profecto, sub idem belli tempus, quidquid suburbiorum, iniecti a *Tökölianis* ignes, deleuerant, id fere *(a.)* omne, reædificatum est, multo, quam antea stetit, solidiore elegantioreque habitu. Ita, cum bello adhuc sæuiente refloruisset *Pisonium*; pace demum *Carlovitzensi*, prorsus recreatum est. A LEOPOLDO M. certe, non vnam benignitatis significationem, subinde accepit: neque ad felicitatem vrbis quidquam deerat, quam temporum istius-
Rákocziannæ *seditionis mala:* modi perpetuitas. Hanc, *Franciscus Rákóczius*, infaustum nomen, cum *Pisonio*, tum vniuersæ, quam late patet, Hungariæ, nefarius eripuit. Quantam malorum Iliada, vrbs nostra, *septenni*, quam ille commouerat, seditione, pertulerit, cogitatione adsequi, nedum stilo exprimere, difficile est. Nam, *Schlickio*, qui Cæsaris auspiciis, ad *Léuam*, primus, ingenti edita clade, *Hungaros* dissipauerat, ex montanis vrbibus, anno MDCCIII. XVII. Calendas Decembres, reiecto, nihil postea vrbi nostræ, intemeratum relinquebatur. Fiebant, propemodum quotidianæ, sub ipsa moenia, impressiones, abigebantur armenta, vineaticæ, agrariæque operæ, nunc iniquissime cædebantur, nunc in captiuitatem, Turcica nihilo meliorem, abductæ, non ante dimittebantur, quam ære, quod grande imperitabant, persoluto. Induciæ, magna pecuniarum vi, sæpius redemtæ; vt cultui vineatico, tuto vacari posset; tam diu sartæ habebantur, dum prædæ cupiditas sinebat. hæc, vbi, siue duces, siue militem gregarium incessit, *integræ vindemiæ*, *vnicum* sustentandæ vitæ adminiculum, ciuibus eripiebantur. Accedebant, suburbanorum prædiorum, molarumque incendia, eo nequius perpetrata, quod contra fidem salui conductus, multo ære, nobilioribus pannis, & supellectile alia, redemtam. Addebantur frequentes obsidionis minæ. *Simon* certe *Forgáchius*, coadunato, quadraginta millium, exercitu, in mandatis acceperat; vti, rigente bruma, refractariam vrbem, obsidione cingeret, neque cessaret, igne ferroque vrgere, dum repudiata Cæsaris fide, suam sequeretur. Sed, *Forgáchius*, siue largitione nostrorum emollitus, siue opimioris spe prædæ illectus, migrato obsidionis consilio, furorem, atque inconditam multitudinem, in *Austriam* effudit, euastataque late regione, odium *Rákóczii*, prorsus implacabile, sibi collegit. Istis malis, septennio toto, quod diximus,

z.) Historiam, rei gestæ, WAGNERVS exhibet, Lib. IX. p. 670. seqq. & quemadmodum liberatus sit, ibid. p. 681.

a.) Supereſt, *Alti vici*, cui vulgo, *Hochſtraß*, nomen, extimus, qua in portam exit, ordo, eius cladis ruderā, hodieque oſtentans.

mus, obruti ciues, intemeratam Cæsaribus, LEOPOLDO non minus, quam IOSEPHO, fidem seruauere. Eximio profecto exemplo. *insignis ciuium, erga Cæsarem, fides:*

Nam, rara fides, vbi iam melior (b.)
Fortuna ruit.

Nempe, maluerunt sub optimis Regibus, ærumnosi, quam iis repudiatis, quantumcunque felices esse; memores illius:

O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares! o munera nondum
Intellecta Deum! quibus hoc contingere templis
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
CAESAREA *pulsante manu!*

Compressa infelici seditione, ac postea, *Szathmarienſi* pace, ab imis radicibus, anno MDCCXI. eodem, qui IOSEPHO Imperatori, emortualis fuit, mense, penitus reuulsa, halcyonia vrbi nostræ rediere; quæ demum anno MDCCXII. CAROLI VI. atque anno MDCCXIV. ELISABETHÆ Augustæ, felix inauguratio illustria reddidit. Iam, quæ est temporum, sub OPTIMO PRINCIPE, felicitas, nouum prorsus habitum, *Pisonium* coepit induere. ita, & cultu proficit, & celebritate. FELICITER! *redeunt vrbi, sub* CAROLO VI. *sua halcyonia:*

Hactenus, fata vrbis, sub Austriacis principibus, fuere: quæ ad eum modum placuit adumbrare, vt historiam simul totius Hungariæ, in compendio exhiberemus. Atque id, eo fecimus consilio; vt facem lectori accenderemus, toti operi lucem fœneraturam. *capitis huius epilogus.*

b.) SENECA, Hercule Oetæo, vers. 602. p. m. 304.



CAPVT V.

De PRAEROGATIVIS, ET CELEBRITATE VRBIS PISONIENSIS.

PROOEMIVM.



On vna eſt *Piſonii* prærogatiua: celebritas autem tanta, vt, quod ad plures olim vrbes adtinuit, in vnam *Piſonienſem*, numinis prouidentia, id omne cumulauerit. Tantæ rei initia, a clade *Mohátſienſi* arceſſimus. Tametſi enim, retruſa illa ætate, de qua prioribus capitibus diximus, ſua vrbi fuit, & dignitas, & exiſtimatio; tamen, tunc demum, caput extulit, vbi, *Alba Regali*, inaugurationis ſolemnia; *Buda*, Regum ſedes, atque ærarium; *Peſtano* ex campo, comitiorum frequentia; *Viſſegrádo*, regium diadema; *Strigonio*, Archiepiſcope; tota denique regni adminiſtratio, iſthuc translata eſt. Poſtea enim,

Hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent, inter viburna cupreſſi.

Id quidem, fatis, res Hungaricas vrgentibus, eueniſſe, nemo negauerit; ſed erat tamen, ea Vrbis noſtræ opportunitas, quæ id, in ea patriæ conuerſione, in primis meruiſſe videbatur. Nam, & a tyranni incurſibus, remotior, & *Auſtriacis Principibus*, vicinior reſedit. Proinde, nusquam Reipublicæ procuratio tutius, maioreque, ſeu *Regum*, ſeu *Ordinum*, commoditate, adminiſtrari poterat. Nos profecto, operam haud luſerimus, ſi, in explicanda, hac tanta eius celebritate, diligentius paullo elaboraueri-mus. Diſpertiemur vero, *Prærogatiuarum* iſta momenta, in totidem *Articulos*, vt tractatio eo fiat luculentior.

PRAE-

PRAEROGATIVARVM VRBIS PISONIENSIS,

ARTICVLVS I.

De REGVM INAVGVRATIONE.

SYNOPSIS.

Inaugurandorum Regum ſolemnia, Ferdinandvs I. *Piſonium transfert: eius rei in* Maximiliano, *initium: qua Cæſaris cura, ſuſceptum: auctoris, in enarranda ea pompa, inſtitutum.* §. I.

Comitia a Ferdinando I. *Piſonium indicta: adparatus, inaugurando* Maximiliano, *facti: ſtatutum, annonæ, pretium: eius vilitatis, quæ eſſe potuerint cauſſæ: militum, quos quisque, ad ornandam pompam, adduxerat, numerus: cur adeo tenuis: eorum militaris habitus, arma, equi: Nicolaus Zriny, dux exercitui, datur.* §. II.

Piſonium *interim, dum adſunt Reges, incendio fœdatur: quod a vulgo in omen verſum, & cur? nullo tamen euentu triſtiore: reges, ab Ordinibus, miſſis Viennam nunciis,* Piſonium *inuitantur: dies, aduentui præſtituti: Hungarorum, ad accipiendos eos, adparatus, comparatione veterum, perquam exigui.* §. III.

Maximiliani *ſplendidus comitatus: proficiſcentium ordo:* Oláhi, *ad* Maximilianvm, *oratio: reſpondet ei, Maximiliani nomine,* Epiſcopus *Wratislauienſis,* Logus: *Rex, copiis Hungaricis, delectatur: verſus vrbem progreditur: ciuium Piſonienſium, in accipiendo* Maximiliano, *decor: ſubit vrbem, & hoſpitium: comitatus, quomodo fuerit diſpertitus.* §. IV.

Cæſaris, ſecundo amne, aduentus: Oláhi, *ad eum oratio: arcem, illic hoſpitaturus, ſubit.* §. V.

Cæſar, pro tribunali, quid Status facere vellet, promulgat: Seldii, *in eam rem, oratio: conſultationum initia turbida: dies, inaugurationi* Maximiliani, *præſtitutus.* §. VI.

Adparatus, ei honeſtandæ, facti, in æde ſacra: apud Franciſcanos: extra vrbem. §. VII.

Pompa inaugurationis: Cæſar, *ſuo cum comitatu, in templum*

plum venit: eum Maria, *Regina: mox &* Maximilianvs *ſequitur: induitur* S. Stephani *pallio: progreditur ad altare, inſignibus, atque regnorum vexillis, prælatis.* §. VIII.

Cerimoniarum initium: ſolemnis rogandorum Statuum, *de coronando rege, formula: Rex, corona redimitur: ad Franciſcanos, cum omni pompa, concedit: auratos equites creat: vrbe egreditur: iurata publice fide, regno ſe obſtringit: in colle regio, gladium* S. Stephani, *quater ſtringit: in vrbem redit, & diſcumbit: epuli magnificentia.* §. IX.

Maria, *ſequente die, ritu vetere, coronatur: cerimoniarum, & coronationis ratio: auguſtales epulæ: ludi equeſtres, & pugnarum ſimulacra exhibita; quo euentu.* §. X.

Rvdolphi *inauguratio: aduentantem, quomodo acceperint Hungari:* Veránczii, *ad* Rvdolphvm, *oratio: eodem, quo* Maximilianus, *ritu, coronatur: ſaltationes feſtiuæ.* §. XI.

Matthiae II. *coronatio: eius in Hungariam, aduentus: Statuum, in accipiendo eo, pompa: ſalutatur ab Archiepiſcopo Strigonienſi: a Senatu Piſonienſi: ſubit arcem.* §. XII.

Inaugurationis ſolemnia: priſco ritu peracta: qui inſignia, & regnorum vexilla, prætulerint: Rex, auratos equites creat: epuli feſtiuitas: eius adminiſtri: publicæ hilaritatis ſigna. §. XIII.

Ferdinandvs II. *in Regem eligitur: diadematis conditorium, fulmine, ante coronationem, percuſſum, quid ominis habuerit? dies inaugurationis, & duumviri, inſtituendæ pompæ, deſignati: templi cuſtodes: qui coronam ex arce, ſuſtulerint: in adyto, cum inſignibus, repoſitam, eximunt eius conſeruatores: intra ædem ſacram, ne quid fiat præpoſtere, cauetur.* §. XIV.

Ferdinandvs, *ad ædem ſacram venit: in adytum deducitur: atque inſignibus regni diſtributis: inde, ad ſolium, mox ad altare progreſſus: vngitur: induitur* S. Stephani *pallio: gladio, haud ſine præſagio, accingitur: ornatur corona: quid diademati inter coronandum acciderit? Ferdinandi, poſt acceptum diadema, pietas.* §. XV.

Itur ad templum Franciſcanorum: *aurati equites, iſthic creati: cerimoniarum reliquum: regale epulum: corona reconditur denuo: ſequentis diei hilaritas.* §. XVI.

Reliquorum regum inaugurationes, haud ſilendæ: Ferdinandi IV. *coronatio: rei geſtæ, narratio: inaugurationem, funeſtum præcedit incendium.* §. XVII.

Moritur Ferdinandvs IV. *comitia, nouo regi eligendo, Piſonium indicta: iniectas, ei rei, difficultates, Cæſar ſuperat: eligitur* Leopoldvs, *ſumma voluntatum propenſione, quam publica ſanctio loquitur: eius inauguratio, more patrio, peragitur: quid gladii, in colle regio, vibratio, ſignificet?* §. XVIII.

Coronatio Iosephi: *comitiis indictis ſuſcipitur:* Leopoldvs, *cum* Ioſepho, *Piſonium aduentat: ſalutatur Farkasfalvæ, a Georgio Féneſy: ſubit arcem: comitiorum initia: ſanctio, de coronatione* Iosephi, *eam, Georgius Szétſeny, magna animi voluptate peragit:* Tökölii *inanis fremitus.* §. XIX.

Hiſtoria inaugurationis, Caroli VI. *Cæſaris & Regis indulgentiſſimi: redux ex Hiſpania, curam Hungariæ, ſuſcipit, comitiaque edicit: corona,* Piſonium, *Viennam reuehitur: adparatus reliqui.* §. XX.

Carolvs, *Vienna, in Hungariam mouet: ab Ordinibus ad porro pergendum, inuitatur: fines regni contingit: & a Statibus accipitur: verſus vrbem progreſſus: apud pontem, a prætorianis ſuis, incingitur.* §. XXI.

Pompæ ordo: ingreſſus per vrbem: aduentus in arcem, ab Archiepiſcopis cohoneſtatus. §. XXII.

Ipſe inaugurationis dies, quibus adparatibus inierit? Cæſar, ex arce, ſplendido cum comitatu, in templum S. Martini *venit.* §. XXIII.

Fiunt inaugurationis cerimoniæ, ritu patrio: regnorum vexilla, & inſignia, qui prætulerint: ſparſi in vulgus numi memoriales: regii epuli magnificentia: eius adminiſtri: erat in feſtiuis dapibus, bos aſſatus: hilaritas publicæ: meliori omine haud caruit. §. XXIV.



§. I.

Inauguratiorum Regum ſolemnia, Ferdinandus I. *Piſonium, transfert:*

D eligendorum, coronandorumque Regum ſolemnia, quod adtinet, Ferdinandvs I. fuit, qui hanc vrbi celebritatem conciliauit. Præterquam enim, quod ipſe, inaugurato, *Albæ Regali*, a ſequacibus, Iohanne, iſthic, comitiis, per Palatinum edictis, magna præſentium conſenſione, in Regem, electus eſt; filium certe Maximilianvm, iam ante, ab Ordinibus, in regem expetitum; quod Alba Regalis, vbi Ferdinandvs, inſignia regni adſumſerat,

eius rei, in Maximiliano, *initium:*

rat, in hostium fuit potestate, *Pisonii*, primus omnium, inaugurandum voluit. Mira Cæsaris, in adparanda ea solemnitate, & maiestas eluxit, & prouidentia. Quia enim curandum fuit, ne quid ritus, quo prisci illi reges, cum diadema capesserent, vtebantur, per incuriam obliteraretur; quidquid, seu ipse meminerat, seu cerimoniarum magistri, ex adulti moris præscripto, suggesserant, summa cura studioque comparari iussit. Nostra iam interest, vt rem omnem, pro eo, ac decet, expromamus. Id vero, eo faciemus diligentius, quod, hac vnius solemnitatis recensione, omnis ille adparatus contineatur, qui postea, in coronandis regibus, *Pisonii* adhibitus est. Sequemur autem, cum historicorum fidem, qui in omnium sunt manibus; tum in primis, Iohannis Listhii, qui tunc *Cancellarii* functus munere, rei gestæ memoriam in litteras retulit, manu exaratam notitiam.

qua Cæsaris cura, susceptum:

auctoris, in enarranda ea pompa, institutum.

§. II.

GEmino diademate, Bohemico altero, altero Romano, insignitum Maximilianvm, cum & Hungarico ornandum inaugurandumque, Ferdinandvs statuisset; comitia *Pisonium*, anno MDLXIII. ad diem *S. Stephano* sacrum, indixit. Præmissi hospitiorum structores, Ferdinando quidem in arce, in vrbe Maximiliano, coniugi ac liberis, idque in Archiepiscopi Strigoniensis palatio, ea designant: tanta vtrobique munditie atque sumtu, qualem nondum viderat *Pisonium*. Vrbem reliquam, bifariam dispertiuere, quarum altera *Germanos*, qui cum Cæsare, nouoque Rege, accessuri erant; altera *Hungarorum* optimates, acciperet. Residua nobilium, & qui, ex liberis regiisque vrbibus, ablegati venerant, multitudo, suburbia; miles autem, honestandæ pompæ coactus, campum, vrbi & Danubio vicinum, insedit. Sub idem tempus, ponte nauali amnis consternitur, tam laxa firmaque contabulatione, vt geminas quadrigas, vltro citroque commeantes, sine offensa transmitteret. Dum hi adparatus ante fiunt, quam comitiorum præstitutus dies illucesceret, annonæ, & omnis generis commeatuum, pretia, publico patrum edicto, definiuntur. Dabimus eius rei tabulam, a *Listhio* mutuatam, vt constet apud exteros, quanta rerum omnium, in *Hungaria*, tunc quoque vilitas fuerit, cum partem eius potiorem, barbarus obtineret. Ita vero habet:

Comitia, a Ferdinando I. Pisonium indicta:

adparatus, inaugurando Maximiliano, facti:

statutum annonæ, pretium:

Tritici puri, in farina, cubulum, *(a.)* *denariis (b.)* 20.
Auenæ cubulum, - - - - - - *d.* 15.

Hor-

a.) Quid sit *Cubulus*, vide *Glosar.* Du Fresne, nuperæ edit. *Parisiensis*, Tom. I. p. 1204. Est aridorum, iuxta & liquidorum mensura, apud *Hungaros*, quam sua lingua, *Köböl*, dicunt; ætymo, ab Hebræorum כַּבּ- ducto, quod Κάβου, siue *Cabum*, Græcis & Latinis significat. Est vero *modius* maior, quem Austriaci, *Metzen*; Saxones *Scheffel* adpellant.

b.) *Denarius Hungaricus*, hodie, centesima pars est, *Floreni Rhenani.*

Hordei cubulum, - - - - - - *den.* 13.
Siliginis cubulum, - - - - - - *d.* 10.
Caponem antiquum, - - - - - - *d.* 6.
Caponem, præsentis anni, - - - - - *d.* 5.
Pullum gallinaceum maiorem, - - - - *d.* 3.
Minorem, - - - - - - - - - *d.* 2.
Gallinam, - - - - - - - - - *d.* 4.
Anserem bonum & pinguem, - - - - *d.* 6.
Porcellum bonum, - - - - - - *d.* 8.
Lardi antiqui libram, - - - - - - *d.* 4.
Lardi noui libram, - - - - - - *d.* 3.
Carnis bouinæ libram, - - - - - *d.* 2.
Carnis vitulinæ libram, - - - - - *d.* 2.
Carnis ouinæ & veruecinæ libram, - - - *d.* $1\frac{1}{2}$.
Casei boni libram, - - - - - - *d.* 3.
Butyri libram, - - - - - - - *d.* 7.
Oua quinque, - - - - - - - *d.* 1.
Candelarum libram, - - - - - - *d.* 4.
Panem, pro tribus personis sufficientem, - - *d.* 1.
Carpionis libram, - - - - - - *d.* 4.
Vsonis & Sturniorum libram, - - - - *d.* 6.
Lucii libram, - - - - - - - *d.* 6.
Siluri, siue Bardi libram, - - - - - *d.* 4.
Plaustrum fœni, sex bobus inuectum, - - *d.* 60.
Plaustrum fœni, quatuor equis inuectum, - - *d.* 40.
Stramen, medio pretio fœni.
Media pinta (c.) piforum, - - - - - *d.* 1.
Vini optimi pinta, - - - - - - *d.* 4.
Mediocris - - - - - - - - - *d.* 3.
Mellis pinta, - - - - - - - - *d.* 5.
Plaustrum lignorum, quatuor bobus inuectum, - *d.* 25.

Quis, laxam adeo annonam non miretur? Neque id ego necessitati comitiorum, aut regum præsentiæ, quam honorare voluerint Ordines, ista rerum adfluentia; sed re vera, temporum habitui, & regionis vbertati, adtribuerim. Confluxere interea, regni optimates, suos singuli equites, ad decorandam, regii aduentus, solemnitatem, secum ductantes. Exhibet, eorum numerum, *Listhii*, quam laudauimus, notitia, isto ordine:

eius vilitatis, quæ esse potuerint causſæ:

Reuerendissimi Archiepiscopi Strigoniensis, *Nicolai Oláhi*,
equites - - - - - - - - 150.
Episcopi Iaurienſis, *Paulli Gregoriancii*, eqq. - - 54.
Episcopi Nitriensis, *Paulli Abstemii*, eqq. - - 40.

c.) Pinta, *duos* continet *sextarios*, eius mensuræ, quæ apud Hungaros, repetita sexagies & quater, *vrnam* conficit.

R. Episcopi Veszprimiensis, *Andreæ de Kövesdy*, eqq.	26.
Episcopi Vácziensis, *Iohannis ab Vjlak*, eqq. -	28.
Abbatis de Borsmonostora, eqq. - - - - -	12.
Abbbatis de Zalavár, eqq. - - - - -	26.
Abbatis S. Martini Ord. S. Benedicti, eqq. - -	19.
Præpositi de Lelesz, eqq. - - - - - -	10.
Præpositi de Saágh, eqq. - - - - - -	9.
Præpositi de Csorna, eqq. - - - - - -	6.
D. *Petri Erdödy*, Bani Croatiæ & Sclauoniæ, eqq. -	160.
Andreæ, & Nicolai de Báthor, eqq. - - -	209.
Comitis de Zrinio, eqq. - - - - - -	168.
Gabrielis Perény, eqq. - - - - - -	118.
Christophori-Ország, eqq. - - - - -	75.
Francisci Nádasdy, eqq. - - - - -	150.
Francisci Bottyány, eqq. - - - - -	56.
Ladislai & Stephani Bánffy, eqq. - - - -	72.
Stephani Dobó, eqq. - - - - - -	132.
Francisci Zaj, eqq. - - - - - -	100.
Iohannis, & Balthasaris Balassa, eqq. - - -	96.
Iohannis Gyulay, eqq. - - - - - -	25.
Casparis Seredy, eqq. - - - - - -	26.
Georgii Bebek, eqq. - - - - - -	25.
Stanislai Thurzo, eqq. - - - - - -	72.
Francisci, & Iohannis Perény, eqq. - - - -	58.
Stephani Dersffy, eqq. - - - - - -	26.
Iohannis Petheö, eqq. - - - - - -	40.
Michaelis Büdy, eqq. - - - - - -	21.
Georgii Thury, eqq. - - - - - -	31.
Ladislai Gyulaffy, eqq. - - - - - -	25.
Stephani Telekessy, eqq. - - - - - -	12.
Casparis Magochy, & Casparis Draskouitz, eqq. -	72.
Iohannis Alaghy, eqq. - - - - - -	28.
Emerici Czobor, eqq. - - - - - -	10.
Nicolai Homonnay, eqq. - - - - - -	30.
Michaelis, Iohannis, & Francisci Révay, eqq. - -	36.
Nicolai Dóczy, eqq. - - - - - - -	21.

cur adeo tenuis?

Summa itaque, omnium horum equitum, (vtemur nunc verbis Listhii) *fuit, bis mille tercentorum triginta & vnum. Et maior longe numerus conuenisset, nisi iam antea, præcipui quique locorum finitimorum præfecti, & capitanei, serio mandato fuissent prohibiti, ne quis eorum, vel vnum equitem suum, in quem stipendium accipit, secum, ad hanc solennitatem, adferret. Voluit, hoc suo mandato Sacra Cæsarea Maiestas cauere, ne, si confinia, bona parte militum nudarentur, aliquid periculi a Turcis accideret, interea, donec coronationis pompæ vacaretur. Hi tamen, qui com-*

eorum militaris habitus, arma, equi:

comparuere, splendide admodum omnes instructi fuere, vestibus, auro intertextis, & sericeis, vt plurimum ornati. Apparatus autem fuit bellicus is, qui solet esse equitum Hungarorum, leuis armaturæ. Omnes enim, lorica, galea, framea, ense, clipeo, fuere militariter armati, cristati non solum galeas, sed & clipeos, cristis varii generis, & elegantissimis, gemmis & auro distinctis. Videre autem erat, præcipuos quosque, quorum plurimi erant, galeis, deaurato argento obductis, calcaribus item & balteis, nodulis & circulis argenteis deauratis, quibus latissimis & ponderosis, ad vmbilicum balteo adfixis, veteres olim Hungari, ornatus caussa vtebantur, conspicuos, generosis & elegantissimis insidere equis: quos & ipsos, stragulis aureis & sericeis, ephippiis præterea & collariis ac frænis, catenisque aureis & argenteis, ornarant. Hactenus Listhivs, *(d)* eius pompæ, pars & spectator. Selectissimo exercitui, vt, & ordines seruare, & sine tumultu, cum honesta quadam, prisci *Hungarorum*, ac militaris fastus, ostentatione, Regibus obuiam posset procedere, *Nicolaus*, *Comes a Zrinio*, communibus Statuum suffragiis, præfectus est: qui demum, distributos in alas, equites, in castra, patenti in campo, ad *Danubium*, superbis tentoriorum ordinibus conspicua, deduxit, atque exercitatione perpetua, tam diu distinuit, dum Reges adessent.

Nicolaus Zriny, *dux exercitui datur.*

§. III.

Lætum, his adparatibus, *Pisonium*, cum tantos hospites, cupidissime præstolatur, fortuito incendio, fœdatum est: id quod, vulgus, suo more, in omen sinistrum vertit, eo confidentius, quod, non modo præstituto inaugurationis die acciderit; sed casibus quoque aliis, qui *Viennæ* euenerant, cumulari videbatur. De his Istvanffyvs: *Eo die, quo nouus Rex, corona decorandus erat, tres accidisse casus, rerum curiosi, obseruarunt. Nam,* Maximiliano, *animi cauſſa, in regios Viennæ hortos digresso, currus, quo rediens vehebatur, in angiportu quodam, non procul palatio, equis, citatiore passu incedentibus, subuersus, ita, vt ipse excussus, in cubitu pedeque, non nihil læderetur. Moenia quoque vrbis Viennensis, quamquam nouæ & recentis structuræ, ad portam Carinthiacam, qua in Hungariam exitur, longitudine ducentorum, aut amplius, pedum, subsidentia, corruerunt, Et Posonii, incendium ortum fuit, quo complures ædes, in ærarii vicinia, ad Collegium vsque Sacerdotum, fortuito igne, celeriter conflagrauere. Quæ, pro ingeniorum mobilitate, a quibusdam, in prodigium verti videbantur; aliis, vt fortuita, & inconsulta, irridentibus.* Hæc ille. Certe, euentus docuit, nihil sinistri portendisse, casus fortuitos; si comitia, quæ turbulenta sequuta sunt, excipias. Ipse inaugurationis dies, quem ad XX. Augusti præstituerat Ferdinandvs, in VI. Idus Septembres, pro-

Pisonium, *interim, dum adsunt Reges, incendio fœdatur:*

quod a vulgo, in omen versum, & cur?

nullo tamen euentu tristiore:

d.) Possidemus, Listhii hanc, de *Coronatione Maximiliani*, narratiuncu-lam, in Adparatv ad Historiam Hungaricam, a nobis integre exhibendam.

prorogari debuit. Cauſſam, eius rei, geminam adnotauere annales: quod, & copiæ exterarum regionum, deducendo in Hungariam MAXIMILIANO, deſtinatæ, cunctantius confluebant; neque Hungarica nobilitas, præ impedimentorum multitudine, iter poterat accelerare. Itaque, neuter Regum, eodem, qui deſignatus erat, die, *Piſonium*, acceſſit. Poſtea, vbi cognitum eſt, contractas, ex Auſtria, Bohemia, & Morauia, copias, præſto eſſe, neque Hungarorum quemquam, qui ad ſolemnia arceſſitus fuerat, deſiderari; habito ſenatu, inuitandos Reges, patres cenſuere. Id muneris, *(e.) Agrienſi*, & *Csanadienſi*, Epiſcopis; ex optimatibus vero, *Iohanni Peteö*, & *Franciſco Zay*, demandatum eſt. Simul Viennam aduenere, CAESAREM, & MAXIMILIANVM, quo loco adparatus Piſonienſes eſſent, quaque pompa Reges accipiendos, Status cenſuerint, breuiter edocent, ſimulque rogant nouum Regem, vti, *Piſonium* venire, atque illic, ritu maiorum, deſtinata ſibi ſceptra, propitio numine, vellet capeſſere. Reſpondit CAESAR; MAXIMILIANVM, vltima Auguſti *Piſonium* ingreſſurum; ſe vero, quod ita poſceret, adtrita ex febri valetudo, ipſis Calendis Septembribus, naui, ſecundo amne, deſcenſurum. Eo intellecto, redeunt *Piſonium* nuncii, quaque deſtinatione ſit CAESAR, Ordines condocent. Itaque, *Nicolaus a Zrinio*, ſupremus auguſtalis pompæ ductor, ſummo mane eius diei, quo rex venturus erat, tuba, profectionis ſignum, in caſtris dari iubet. Excitæ mox equitum turmæ, Danubium, ponte traiiciunt, inque campo, qui *Piſonium*, & *Köptſenium* interiacet, explicatis ordinibus, tantiſper ſubſiſtunt, donec *Zrinius* adeſſet. Qui ſimul aduenit, optimatum ſingulorum equites, ſuis ſub ſignis, ita collocauit, prouti id prærogatiua cuiusque, depoſcebat. Inſtructam faſtoſe aciem, ala *Petri Erdödy*, Illyrici proregis, vetere inſtituto, an priuilegio, *(f.)* præcedebat. Exercitum, ad eum modum ordinatum, Prælati, Barones, ac Nobilitas reliqua, ſequuta eſt, ſumtoque in campo, militari prandio, MAXIMILIANVM, qui *Haynburgi* pernoctarat, ſeorſim ab exercitu, prope ad pontem, qui *Köptſenio* vicinus eſt, opperiebantur; tubis, tibiis, atque tympanis, totis ſtatiuis, feſtiuum clangentibus. Tametſi vero, nihil ad pompam, regio obtutu dignam, deſideratum eſt; tamen, qui res florentes & integras, meminerant, comparatione veterum, paucitas his, & ſolitudo videbatur: quod olim, in huiusmodi pompis, ad *octoginta*, & amplius, *millia* armatorum, egregie inſtructa; velut poſtremo, in LVDOVICI coronatione, numerari potuiſſe, adfirmarent: vti monet *(g.)* ISTVANFFYVS.

Reges, ab Ordinibus, miſſis Viennam nunciis, Piſonium *inuitantur:*

dies, aduentui præſtituti:

Hungarorum, ad accipiendos eos, adparatus:

comparatione veterum, per quam exigui.

§. IV.

e.) Aliter ISTVANFFYVS, Lib. XXI. p. 424, 16. Præterquam enim, quod epiſcoporum, qui vna miſſi ſunt, non meminit; præſente iam Piſonii MAXIMILIANO, ad inuitandum FERDINANDVM, *Peteönem* & *Zayum* expeditos, ſcribit. Nobis, *Liſthii* fides potior eſt.

f.) Ita LISTHIVS: BANVS *Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, cum ſua turma, alios præceſſit, ex veteri priuilegio, quem ſemper regnorum illorum* Bani, *in exercitibus regiis, belli & pacis tempore, præcedere ſunt ſoliti.*

g.) Loco, quem nunc citauimus.

§. IV.

ATque hi quidem Hungarorum adparatus fuere. qui, dum a noſtris, omni cura inſtruuntur, equites quoque, Bohemi, Auſtri, atque Moraui, ad deſertum templum, quod vltra *Köptſenium* in colle viſitur, confluunt, acceptumque Haynburgo, MAXIMILIANVM, vsque ad Hungariæ fines, inter militares plauſus, ac ſymphonias, comitantur. Præcedebant Regem, trium millium equeſtres alæ, e præcipua, Bohemorum, Auſtriacorum, & Morauorum nobilitate conſcriptæ. Atra his omnibus, ex gentis more, veſtis fuit, ſed quam ſuſpenſi de collo, varieque fluitantes torques ornabant. Idem & phalerarum habitus fuit, quod eminus quidem, funeſtum habebat obtutum; venerabilem contra, vbi cominus ventum eſt. Hos, e veſtigio, MAXIMILIANVS ſequebatur, corona principum virorum, partim cinctus, partim comitatus. Fuere in his, duo fratres ſui germani, *Ferdinandus*, & *Carolus*, duo item Maximiliani filii, *Rudolphus*, & *Erneſtus*, Archiduces. Poſt eos, Archiepiſcopus Salisburgenſis, Wratislauienſis, atque Lignicenſis, Münſterbergenſis, Teſchinienſis, & de Plaw, duces ibant. Succedebat horum ordinibus, MAXIMILIANVS, cum filiabus, *Anna*, & *Eliſabetha*, totoque gynæceo: dum ſplendidiſſimum comitatum, nouæ equitum turmæ clauderent. Vbi ad Hungarorum ſtatiua ventum fuit, *Nicolaus Oláhus*, Archiepiſcopus Strigonienſis, pallio amictus, & cruce argentea prælata, cum reliquorum epiſcoporum comitatu, obuiam Regi progreſſus, hanc, totius regni nomine, orationem *(h.)* habuit: *Mirari forte quisquam poſſet*, SERENISSIME & EXCELLENTISSIME REX! DOMINE *clementiſſime! quod ex inclyto hoc regno Hungariæ, ab initio originis ſuæ, per totum orbem terrarum, magnis, & præclaris nominibus celebrato, tam exiguo numero, Sacræ Maieſtati* TVAE *obuiam prodierimus: mirari tamen procul dubio, omnes deſinent, ſi cogitauerint, equitum, & militiæ Hungaricæ, a tot & tam grauibus diuturnisque bellis, adhuc reliquæ, maiorem partem, in finibus, contra Turcas, hoſtes fidei noſtræ ſacro ſanctæ, crudeliſſimos, ad defenſionem regni, & ad præſidia arcium finitimarum, relictum eſſe, ac minimam ſaltem nobiſcum huc partem veniſſe. Vnde perſuaſum nobis habemus, Sacram Maieſtatem* TVAM, *& omnes alios, animum potius noſtrum, magna exuberantem lætitia, ſincerumque,* & TIBI *addictiſſimum, clementiore & gratiore accepturum animo, quam copiarum noſtrarum miraturum paucitatem. Quem quidem hunc, optimum animi noſtri adfectum, haud ſatis ſcio, quomodo explicare debeam. Non eſt enim mihi tanta dicendi copia*, SERENISSIME, & EXCELLENTISSIME REX! *vt eam lætitiam, gaudium, & omnium noſtrorum exultationem, quam in felici Sacræ Maieſtatis* TVAE *aduentu, maxi-*

Maximiliani *ſplendidus comitatus:*

proficiſcentium ordo:

Oláhi, *ad* Maximilianum, *oratio:*

h.) De ea ISTVANFFYVS, l. c. *Exceptus eſt breui oratione, a* Nicolao Oláho, *Archiepiſcopo Strigonienſi, qualis loco, & tempori conueniebat. quæ adhuc exſtat.* Nos eam a LISTHIO mutuati, exhibendam putauimus.

maximam concipimus, dicere & referre queam. Tanto autem gaudium & lætitia hæc noſtra facta eſt amplior, quanto maiore Sacræ Maieſtatis TVAE, *iam a multo tempore, tenebamur deſiderio. Cumulatiorem etiam reddidit hanc animi noſtri exultationem, Sereniſſimorum principum, duorum Archiducum Auſtriæ, fratrum* TVORVM *cariſſimorum, ac Sereniſſimæ Reginæ, coniugis* TVAE, *liberorumque Veſtrorum communium, & amantiſſimorum, TEcum vna, felix & fauſtus aduentus, nobis certe omnibus exoptatiſſimus & gratiſſimus. Veſtro itaque felici aduentui, ex animo, totoque mentis noſtræ adfectu, congratulamur;* DEVM *O. M. ſummis precantes votis, vt Maieſtatem* TVAM, *cum Sereniſſima piiſſimaque Regina, & liberis Veſtris communibus, cariſſimis quoque fratribus* TVIS, *ac Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis principibus, Ducibus & proceribus, nunc hic præſentibus, ad plurimos annos, felices & incolumes, ac* TVAM, *præter hæc, Maieſtatem Regiam, in omnibus ſuis actionibus, ad Diuini nominis ſui gloriam, & ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Catholicæ, noſtramque, & totius rei publicæ Chriſtianæ, defenſionem, animæque* TVAE *ſalutem, fortunatiſſimam glorioſiſſimamque ſemper conſeruare dignetur. Nos vero, Prælati, Comites, Barones, Proceres, Nobiles, ac omnes Status Hungariæ, quos hic præſentes adſpicis, immo etiam alios omnes, abſentes Hungaros, fratres noſtros,* TIBI, EXCELLENTISSIME, *&* PIISSIME REX! *humiliter commendamus. Et quoniam antea quoque, pro pietate & clementia* TVA *in nos ſingulari, tam præſenti, quam abſenti, Sacræ Cæſareæ Maieſtati, patri* TVO *cariſſimo, Domino noſtro clementiſſimo, in omnibus rebus & negotiis, tum apud eandem Maieſtatem Cæſaream, tum alibi, vbi pro ſumma* TVA *prudentia, opus eſſe animaduertiſti, clementer adiuuare, fouere & omni benignitate, nos ſemper complecti, dignatus es: Vnanimiter omnes ſupplicamus, vt, quod antea quoque, non ſine magna vtilitate & commodo noſtro,* TVA *ſponte feciſti; id nunc quoque, & in reliquum tempus, benigne facere velis, nosque, Sacræ Cæſareæ Maieſtati, Parenti* TVO *cariſſimo, Domino noſtro clementiſſimo, commendare, ac iura, priuilegia, immunitates, & libertates noſtras, ac omnium Statuum & Ordinum, noſtram item, & patriæ huius noſtræ cariſſimæ, ſalutem, apud Eandem Maieſtatem Cæſaream, omni loco & tempore, omnique ope & auxilio, clementes ſemper proſequi digneris. Quam Sacræ Maieſtatis* TVAE *Regiæ, in nos, clementiam, omni ſtudio, officio, & obſequio noſtro, ab Eadem, omni vitæ noſtræ tempore, diligenti cura, humiliter promereri curabimus. Dixi.* Hæc *Oláhus:*

reſpondet ei, Maximiliani *nomine*, *Epiſcopus Wratislauienſis*, Logus:

cui *Georgius (i.) Logus*, Epiſcopus Wratislauienſis, ita volente MAXIMILIANO, id, quod ex temporis, & pompæ habitu, neceſſum videbatur, reſpondit, vti iuſſus fuerat, beniuolentiſſime. Itum poſtea fuit vlterius, ordinibus, ne quid derogaretur Regis præſentiæ, atque comitatui reliquo, ſumma vbique cura, ſeruatis. Vbi ad exercitum Hungaricum, qui pone viam, in aciei ſpeciem, late ſubſtiterat, venit MAXI-

i.) NICOLAUS HENELIVS, in *Sileſiographia Renouata*, Cap. VIII. p. 138. *Caſparum*, fide meliore, adpellat; vbi viri elogium legas.

MAXIMILIANVS, eius obtutu, mirifice delectatus, iter, per medias alas, inſtituit, poſteaque eo, ad condictum tubæ ſignum, lentis paſſibus regrediente, ſingulorum procerum turmas, propius luſtrauit, atque laudauit impenſius. Præmiſſo dein Hungarico equitatu, ipſe MAXIMILIANVS, graui dimenſoque gradu, verſus vrbem, cinctus a proceribus, procedebat. Succedebant mox, quatuor peditum Germanorum manipuli. Viennenſes hos, ad corporis cuſtodiam, ſuo ſumtu, e ciuium numero, conduxerant; armis non minus, quam veſte militari, inſignes. Neque defuere officio *Piſonienſes*. De his LISTHIVS: *Ciues quoque Poſonienſes, vt Maieſtatem regiam, maiori, quo poſſent, honore, exciperent, ex ciuibus ſuis, conſcripſerant, ad tria vsque vexilla, peditum Germanorum, & Hungarorum, quibuscum, more Germanico, militariter inſtructis & decenter ornatis, ſeſe, venienti Maieſtati Regiæ, cis pontem Danubii, obuios tulerunt.* Superato amne, ſimul continentem Rex tenuit, ingenti fragore, vrbis & arcis tormenta detonuere, ſubiitque vrbem, triumphanti ſimilis. Atque MAXIMILIANVS quidem, cum coniuge MARIA liberisque, apud ædes Archiepiſcopi; fratres in arce, hoſpitio ſunt accepti. Sed Bohemorum, & Germanorum equites, in iisdem campis, vbi regem ſalutauerant *Hungari*, caſtra metati ſunt, porrectis late tentoriis, conſpicua. Archiducum, *Ferdinandi*, & *Caroli*, familiares, prope ad Danubium, qua pons inibat, conſedere: inſula, quam ſub arce Piſonienſi, Danubius molitur, vulgo *Bètſi*, ſeu Viennenſis nuncupata, comitatui Cæſaris, qui cum eo venturus fuerat, adſignata: *Hungaris*, priſtina ſua caſtra, denuo occupantibus. Aliter paullo *(k.)* ISTVANFFYVS: *Hungari, vltra vrbem, conſedere ſub tentoriis; Germanis autem, in ſuburbana inſula, quæ continenti, facto ponte, iungebatur, contuberniorum loca diſtributa ſunt, in qua in æſtiuis, inter fructiferas arbores, quarum ea plena eſt, agitarent: idque, ad cauendas rixas & diſſidia, quæ, ſi vtraque caſtra propius, aut eodem loco metarentur, inter diuerſas, lingua & moribus, nationes, haud dubie metuebantur.*

Rex, copiis Hungaricis, delectatur:

verſus vrbem progreditur:

ciuium Piſonienſium, in accipiendo Maximiliano, *decor:*

ſubit vrbem, & hoſpitium:

comitatus, quomodo fuerit diſpertitus.

§. V.

SEquuto die, Calendis nimirum Septembribus, CAESAR, ex diuturniore febri, imbecillis adhuc viribus, claſſe, *Piſonium* aduectus eſt. Prodiere aduentanti obuiam, *Status*, eadem, qua heri, pompa, iisdemque inſtructi copiis. Facta, paullo ante ſolis occaſum exſcenſione; a ſtantibus, longo ordine, proceribus, inter currulium machinarum tonitrua, tubarumque & tympanorum clangores, accipitur. Exſcendentem, *Oláhus*, Strigonienſis pontifex, ad hunc *(l.)* modum, adloquutus eſt: *Non eſt tanta mihi facultas dicendi*, SA-

Cæſaris, *ſecundo amne, aduentus:*

Oláhi, *ad eum, oratio:*

k.) Nos LISTHIVM ſequimur, qui non gemina, ſed quadripartita caſtra fuiſſe, memorat; puta: equitum *Bohemorum, & Germanorum*; familiarium *Ferdinandi* & *Caroli*; Cæſaris comitatus; ac denique *Hungarorum*.

l.) Seruauit nobis hanc quoque oratiunculam, laudatus toties LISTHIVS.

CRATISSIME IMPERATOR, REX & DOMINE CLEMENTISSIME! *vt eam animi noſtri exultationem, quam in felici, & fauſtiſſimo, Maieſtatis* TVAE, *in hanc Suam Hungariam, reditu, concepimus, verbis explicare vllo modo poſſim. Tanto enim ea facta eſt amplior, quanto maiore reditus Sacratiſſimæ Maieſtatis* TVAE, *iam a longo tempore, tenebamur deſiderio, quæ duos iam fere annos, rebus grauiſſimis totius reipublicæ Chriſtianæ, ita exigentibus, ſua nos orbos fecerat præſentia, nobis omnibus ſemper iucundiſſima. Maxima itaque lætitia, & animi noſtri exultatione,* TIBI, *Sacratiſſime Imperator! congratulamur. Quid enim potuiſſet nobis, fidelibus ſubditis* TVIS *Hungaris, contingere gratius, iucundius, & optabilius; quam Sacratiſſimam Maieſtatem* TVAM, *de nobis omnibus, & tota republica Chriſtiana, quoquo tempore, optime meritam; iam tandem ad nos incolumem rediiſſe, & eius præſentia vultuque clementiſſimo, coram perfrui? DEum itaque O. M. ſummis precamur votis, vt Sacratiſſimam Maieſtatem* TVAM, *vna cum Sereniſſimis, & Excellentiſſimis filiis* TVIS, *Dominis noſtris clementiſſimis, ac nepotibus, ad plurimos annos, ſanam & incolumem, ſeruare dignetur. Nos vero, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, & omnes Status ac Ordines regni huius* TVI *Hungariæ, quos hic præſentes conſpicis, & etiam alios abſentes Hungaros, fratres noſtros, in gratiam Sacratiſſimæ Maieſtatis* TVAE, *humiliter commendamus, ſupplicamusque; digneris, pro* TVA *ſolita in nos pietate, benigne habere, commendatos & defenſionis noſtræ, atque huius regni* TVI *Hungariæ, ex cuius permanſione, alia* TVA *regna & prouinciæ, non minima ex parte pendent, clementem habere curam; iuraque, priuilegia, libertates, & immunitates noſtras vetuſtiſſimas, veluti pius & iuſtus Rex & Dominus, immo pater noſter clementiſſimus, benigne ſemper obſeruari facere: vt ſub vmbra alarum* TVARVM, *quieti & ſecuri, DEum O. M. ſummis laudibus extollentes,* TIBI *vero omnia proſpera & felicia comprecantes, permanere poſſimus: quod* TVAM *Sacratiſſimam Maieſtatem benigne facturam ſperamus.* Vix hæc ab *Oláho* dicta fuere, cum *Georgius (m.) Seldius*, Romani Imperii *Vice Cancellarius*, Cæſaris nomine ita reſpondit, vt & gratiſſimum ei Hungarorum hoc ſtudium eſſe, teſtaretur, & benignam propenſamque, in *Status* atque *Ordines*, voluntatem eius, paucis, ſed conceptis verbis, profiteretur. Tunc vero, curru auguſtali, qui in ripa aduentantem exſpectabat, conſcenſo, in arcem ſubuectus eſt.

arcem, illic hoſpitaturus, ſubit.

§. VI.

Cæſar, *pro tribunali, quid Status vellent, facere, promulgat:*

QVarto dein Nonas Septembres, duo, in arcis area, tribunalia, pro regum maieſtate, inſtruuntur. Horum alterum, poſteaquam ſacris operatus fuiſſet CAESAR; alterum, quod priori a dextra, ſitu decliuiori, fuit adpoſitum, MAXIMILIANVS, conſcendere. Confluxerant iſthuc, arceſſiti a Cæſare, *Status*, & *Ordines*,

m.) Sigismundum, ISTVANFFYVS vocat, Georgium, LISTHIVS.

nes, tanto numero, vt obſequentiſſimam multitudinem, magna oblectatione, Regum vterque contueretur. Eam celebritatem, CAESARIS, atque MAXIMILIANI comitatus, multo fecerant inſigniorem. Aderant enim, præter quatuor Archiduces, fratres, filiosque MAXIMILIANI, duces atque principes, legati item exterorum, & quos ſpectandorum ſolemnium cupiditas exciuerat, frequenti numero. Hi omnes, tribunalia circumſtabant. Facto mox ſilentio, *Seldius*, iuſſu Cæſaris, ad Proceres verba fecit: *Quod*, inquiebat, *frequentes adeo promptique confluxerint, Status & Ordines, id vero, Sacratiſſimus Imperator, benigna prorſus mente accipit, ſibique, ex hac obſequentis animi, ac voluntatum ſignificatione, haud dubie pollicetur, fore, vt, quod in commune conſulendum erit, id optime, atque, cum in rei publicæ Chriſtianæ, tum Hungariæ in primis, ſalutem vertat. Cauſſas, Veſtri huius congreſſus, Proceres! vt memoremus, neceſſum haud eſt: quippe quas, regiis litteris, Sacratiſſima Sua Maieſtas, pro eo, atque opus fuit, luculenter expoſuit. Quid porro, a Vobis, pro Veſtra, in ſe, inque patriam fide atque amore, diſcuſſum confectumque velit, hiſce paginis, quas Vobis offero, complexa eſt Sua Maieſtas. Veſtrum erit, miſſis ambagibus, in eam vnice curam incumbere, vt, quam de Veſtra fide, prudentia, atque obſequio, ſpem concepit, eam Vos cumulatiſſime expleatis. In primis, pollicetur Sibi de Vobis, in coronando* MAXIMILIANO *filio, faciles Vos & beniuolos futuros.* Seldii, *in eam rem, oratio:*

Concione dimiſſa, eadem, a prandio, luce, de ſumma rerum, conſultari cœptum eſt. Ac Proceres quidem, in hoſpitium Archiepiſcopi; Nobiles, *Statusque* reliqui, ad *Franciſcanorum* cœnobium, coiuerunt. Diſputatum fuit plures dies, vnde negotiorum ducenda eſſent exordia. *Maior pars Nobilitatis*, inquit hiſtoricus, *Palatinum eligi, poſtulabat, ſine quo, coronationem, neque peragi poſſe, neque ſatis firmam eſſe putabat. Submoueri etiam Germanos præfecturis contendebat. Pars vero, qui Principum poſtulata, ſiue honeſta ſint, ſiue inhoneſta, æque amplectuntur, id contra, non eſſe nimis neceſſarium, dicebant; cum ex annalibus conſtare ferrent, ſæpe numero, abſente Palatino, coronationem peractam: nec illum ad alia requiri, quam, ſi regia ſobole deficiente, alius Rex eſſet deligendus: quo tempore, comitiis promulgandis eum præeſſe, & prima eligendo principi ſuffragia habere, certum eſſet. De Germanis amouendis, poſſe etiam poſt coronationem ſtatui.* Hæc ISTVANFFYVS. quibus gemina prorſus habet LISTHIVS. Conſopitis tandem diſputationibus, ægre inter Status conuenit, vti inaugurationis ſolemnia, in VI. Idus Septembris, memoria natiuitatis B. V. MARIAE, inſignes, promulgarentur.

conſultationum initia turbida:

dies inaugurationi Maximiliani, præſtitutus.

§. VII.

NOndum, de inaugurando Rege, coaluerant animis, *Ordines*, cum CAESAR, adparatus omnes, qui honeſtandæ, exaggerandæque pompæ, futuri erant neceſſarii, comparari iubet.

Adparatus, ei honeſtandæ, facti, in æde ſacra:

Itaque, in templo quidem *S. Martini*, contabulationes erectæ ſunt, ad formam theatri, per tria ædis ſacræ latera, circumductæ. Has, pannis, & tapetibus magni pretii, conueſtierant, vt, partim gynæceum, Ducesque peregrinos, partim Status atque Ordines, inaugurationis ritum ſpectaturos, cum elegantia & commoditate, acciperent. Quin & pauimentum, rubeo panno conſternebatur. Geminum hic ſolium erectum fuit: ac dextro quidem altaris latere, vbi CAESAR conſideret. Huic, Archiducum ſubſellia, *Ferdinandi*, & *Caroli*, connectebantur. In medio *Sanctuarii*, MAXIMILIANI ſolium, ſubſtructum erat, Cæſareo illo, eleuatius, ſumtuoſiusque. Gemino hinc paſſu, ad imos altaris gradus, *Reclinatorium*, vbi Rex genua reclinaret, poſitum. At, reginæ MARIAE, & liberis, anterior, dextræ contabulationis, de qua diximus, pars deſtinabatur, ita facta, vt, & ſuis gradibus adiretur, & concamerationis inſtar, pretioſiſſimis auleis, ſecluderetur a reliquo theatro. Hæc apud *S. Martini* templum fiebant. In *Franciſcanorum* quoque æde ſacra, tribunal, multo, quam priora, celſius, inſtructum eſt. Quin & extra vrbem, id, quod obeundæ ſolemnitati, viſum eſt neceſſarium, maturius adparabatur. Et pro porta quidem *S. Michaelis*, qua ſe latior illa area protendit, pegma excitatum fuit, vbi Rex, ab vniuerſa conſpicuus multitudine, iureiurando ſe Regno obſtringeret. Ad *Danubii* autem ripam, collis manufactus, erigebatur. Defixæ humi trabes, perpetua contignatione ſibi inuicem innexæ, tabulatis contegebantur. Ingeſta ſuperne, conſolidataque humus, collem referebat, ei ſimilem, qui rebus integris, *Albæ Regali* fuerat, *S. Stephani* nomine inſignitus; quemque reges, conſcendebant, vt ex more, gladium, in quatuor orbis plagas, euibrarent. His, ſummo ſtudio, neque minori celeritate, vigilia eius diei, qui coronationi præſtitutus fuerat, adparatis; ipſa inauguratio, in craſtinum, non in comitio ſolum, ſed per caſtra etiam, promulgata eſt.

apud Franciſcanos:

extra vrbem.

§. VIII.

Pompa inaugurationis:

SImul, deſtinatus pompæ dies illuxit, vrbs tota, concurſantis, ad faciendum officium, multitudinis alacritate, perſtrepebat. Primus, templum *S. Martini* Archiepiſcopus Strigonienſis, NICOLAVS OLAHVS, cum Prælatis, ingreſſus eſt, vt ſacras veſtes induti, Regum aduentum, præſtolarentur. In his fuere, *Agrienſis*, *Tranſiluanienſis*, *Váradienſis*, & *Modruſienſis*, epiſcopi. Atque *Archiepiſcopus* quidem, ad medium altare, reliqui, poſitis vtroque latere, pari numero ſellis, conſederant. Tunc CAESAR, arce degreſſus, præcedente longis ordinibus, aulicorum caterua, filiis autem & proceribus imperii, exquiſitiſſima pompa comitantibus, inter medias equeſtrium turmarum ſtationes, vrbem, mox & templum, ſubit. Is demum, inter ſymphoniacorum concentus, a præſulibus conſalutatus, iamque, in ſolio conſidens, vtrumque latus, a proceribus imperii, maieſtatis inſignia

Cæſar, *ſuo cum comitatu, in templum venit:*

ſignia tenentibus, incingitur. Adſtabant nimirum, cum gladio ſtricto, *Baro a Pappenheim;* cum ſceptro imperiali, *Comes ab Ebenſtein;* cum pomo denique, *Comes a Lobenſtein.* Cæſarem, MARIA regina, cum *Rudolpho* & *Erneſto*, filiis, atque filiabus, *Anna* & *Eliſabetha*, e veſtigio ſequebatur, ambiente eam, honeſtiſſimo, nobiliſſimarum feminarum, comitatu. Reſedit eo, quod meminimus, tabulato. Tandem, MAXIMILIANVS quoque, ab *Hungaris*, in idem templum deducebatur. Huc vbi acceſſit, ſacellum S. Trinitatis, *Capellam* vocant, infima templi ora ſitam, adiit. Aſſeribus id, a reliquo templo, diſcriminauerant, vt ſacrum diadema, cum inſignibus regni ceteris, illic reponeretur. Hic, *pallium* S. STEPHANI, ſumſit MAXIMILIANVS. quo humeris aptato, Proceres, qui eum huc deduxerant, deſtinata quisque inſignia prenſabant, quæ Regi, ad ſummum altare progreſſuro, priſco ritu, præferrent. Aderant interea, duo epiſcopi, ætate reliquis grauiores, *Agrienſis* puta, & *Tranſiluanienſis*, qui e ſacello, ad altare, Regem inuitarent. Egredientem hinc, Proceres, inſignia ferentes, præcedebant. Et *Franciſcus* quidem *Battyány*, graui adſpectu, & veneranda canitie ſenex, loco Palatini, ad quem id officii pertinet, *Coronam; Andreas Báthory*, Iudex Curiæ Regiæ, ob pedum vitia ſella geſtatus, *Sceptrum;* Nicolaus Zriny, Magiſter Tauernicorum, *Globum*, cruce infixa conſpicuum; Franciſcus Forgách, epiſcopus Váradienſis, *Pacem;* Petrus Erdődy, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ Banus, *Crucem;* Franciſcus Thahy, *ſtrictum enſem;* Gabriel Perény, conditum vagina S. STEPHANI *Gladium*, præferebant. Præibant his: Nicolaus Báthory, vexillum *Regni Hungariæ;* Georgius Zrinius, Nicolai filius, *Dalmatiæ;* Ladislaus Bánffyus, *Croatiæ;* Stephanus Dobó, *Sclauoniæ;* Ladislaus Keretſénius, *Seruiæ;* Nicolaus Frangepani, cognomento Therſaſzky, *Boſniæ;* ac denique, Matthæus Keglevitſch, *Bulgariæ*, vexilla, antiquo more, præferentes. Atque, *Corona* quidem, *Sceptrum*, *Pomum*, *Pax*, & *Enſis* S. STEPHANI, per epiſcopos, e manibus *Baronum* accepta, in ſummo altari, cui Archiepiſcopus adſtabat, depoſita ſunt; *Magiſter* autem *Agazonum*, cum ſtricto enſe, reliqui item *Barones*, cum vexillis regnorum, nouum Regem circumſtabant.

eum Maria *regina:*

mox & Maximilianus *ſequitur:*

induitur S. Stephani *pallio:*

progreditur ad altare, inſignibus:

atque regnorum vexillis, præ-latis.

§. IX.

DEductus, hoc ordine, ad altare, MAXIMILIANVS, in genua, ſuper ſcabello, quod ad infimos gradus poſitum diximus, procubuit. Tunc cani *Litaniæ*, & preces ſolitæ recitari cœptæ ſunt. Poſtquam autem, inter cerimoniarum hæc ſacra, eo ventum eſt, vt regium caput, iam iam diademate cingi deberet, *Franciſcus Battyány*, loco Palatini, alta, terque repetita voce, Nobiles, Proceresque, patria lingua, interrogauit: *Akarjátok, kiuánnjátok, parantſoljátoké, ezen Maximiliánuſt, Királynak koronáztatni?* vellent,

Cerimoniarum initium:

ſolemnis, rogandorum Statuum, de coronando Rege, formula:

cuperent, iuberentne, Maximilianum Regem coronari? cum, se velle, cupere, iubere: *Akarjuk, kivánnjuk, parantsóljuk!* lætis vocibus adclamassent; tum demum diadema, vncto iam capiti, impositum est, additæque solemnes illæ preces, quibus nouo Regi, omne felicitatis genus, comprecari moris est. Sequutus extemplo, hilaris omnium adplausus, *Ambrosiani hymni*, & Symphoniacorum concentu, per interualla, scitissime exceptus: cum interim foris, per arcis & vrbis mœnia, maiora minoraque tormenta, ingenti lætoque fragore, disploderentur. Posteaquam mysteriis vacatum satis est, pedibus hinc, ad sacram *Franciscanorum* ædem ibatur. Nam, & hanc ritus partem, obseruatam voluit FERDINANDVS. Nempe, sicuti olim, *Albæ Regali*, e Cathedrali templo, ad *S. Petri* ædem, Reges, corona redimiti, proficiscebantur, vt illic, gladio S. STEPHANI succincti, in tribunali considerent, crearentque, ex more, equites; ita heic *Pisonii*, idem vti fieret, regis non minus, quam patrum consensu, statutum est. Ergo, Rege, coronam capite gestante, & gladio S. STEPHANI accincto, præeuntibus ordine vexillis, & insigni ducum principumque turba, ad ædem *Franciscanorum* ventum est. Inter eundum, duo quæstores, aureos argenteosque numos, noui Regis nomine ac lemmatibus signatos, in vulgus spargebant: qui vna cum rubeo panno, quo viæ instratæ fuerant, a circumfusa multitudine, ingenti spectantium risu, certatim diripiebantur. In *Franciscanorum* templo, tribunal, cuius supra meminimus, aureis pannis inductum, Rex, vbi conscendit, equites, leui, per humeros, gladii tactu, creare cœpit. In his fuere, *Georgius Thury*, *Antonius Székely*, *Ladislaus Gyulaffy*, & *Nicolaus Hennyei*; viri, rebus aduersus Turcas, strenue gestis, clari. Sed, cum facta per publicam hilaritatem potestate, digni, iuxta & indigni, adcurrerent, ab eo ritu cessatum est. Templo egressus, equo Rex insedit. quo vectus, nudato ense, atque vexillis adhuc præcedentibus, per *D. Michaelis* portam, ad pegma illud, quod sub dio constitutum diximus, perrexit. Ornatum hoc quoque erat panno rubro, & tapetibus auro illusis. Id, simul conscendit, iusiurandum, præeunte Archiepiscopo, recitauit, seque, ad seruandas regni immunitates, priuilegia, atque in primis, inuiolabile *(n.)* ANDREAE Regis decretum, solemniter obstrinxit. Tanta autem, ad hoc forum, cum Hungarorum, tum exterorum, multitudo confluxerat, vt vix tantillum Regi viæ patuerit, qua eques gradiretur; frustra, ingentem populum, submouentibus, quibus id muneris datum fuerat. Iuris iurandi formula recitata, tubæ iterum, tympana & tormentorum repetitæ explosiones, atque plausus festiui, concrepuere. Postea, secus mœnia, ad ripam Danubii descensum est, vbi in collem, imitatione eius, qui *Albæ Regali* fuit, vti monuimus, manu factum, Rex, citato equo subuectus est. quo eleganter in gyrum verso, ensem, vagina nudum, in quatuor cæli plagas, strinxit, vt significaret, regnum, quod

Rex, *corona redimitur:*

ad Franciscanos *cum omni pompa, concedit:*

auratos equites creat:

vrbe egreditur:

iurata publice fide, Regno se obstringit:

in colle regio gladium S. Stephani, *quater stringit:*

n.) Ita ISTVANFFYVS Lib. XXI. p. 425., 33.

quod capessiuit, aduersus omnes hostes, hinc illincue imminerent, se fortiter defensurum. *Quibus peractis*, verba sunt ISTVANFFII, *per portam flumentaneam, quæ ab æde vicina D. Martini, nomen habet, in vrbem, ad domum Archiepiscopi reditum est, ibique Rex, singulis regni insignibus, in oblonga mensa collocatis, prandium sumsit. Cui adsedere, Ferdinandus & Carolus fratres, ac Michael Cuenus Salisburgensis, & qui eum coronauit, Strigonienses, Archiepiscopi. Epulas mensis intulere nobiles Hungari adolescentes, quos Stephanus Bánffyus, cum eburneo auratoque scipione, præcedebat, qui eo tempore Dapiferorum magistratum gerebat. A poculis autem ministrabat, Balthasar Battyánius, Christophori patris, qui importuno morbo impeditus aberat, vices & munia sustinens.* Ad regalis conuiuii decus augendum, abacum instruxerant, aureis argenteisque vasis, ad fastum oneratum. Partem fuisse supellectilis CAROLI V. e thesauris regum Hispaniæ depromptæ, vulgari sermone, ferebatur. LISTHIVS auctor est, vasa pleraque, tantæ, & molis, & ponderis fuisse, quibus portandis, robustissimi cuiusque vires potuissent fatigari. Alioquin, tempus prandii, cui Rex, pallio S. STEPHANI amictus, accumbebat, musicis concentibus, scite distinguebatur. In vrbe certe, læta erant omnia, & mutuis plausibus, tubarum item & tympanorum strepitu, sonora. Hæc eo die, hilariter, & sine offensa, gesta sunt.

in vrbem redit, & discumbit:

epuli magnificentia.

§. X.

TErtia Nonas Septembris, MARIAE, is honor habitus est, vt in Reginam Hungariæ, ritu vetere, inauguraretur. Rogante MAXIMILIANO, impensius autem commendante FERDINANDO, *conuenerat inter Status & Ordines*, vti MARIAM quoque, duorum Archiducum *matrem, quorum maior natu Rudolphus*, regia dignitate, viuo adhuc patre, potitus est, sacro Hungariæ diademate, redimirent. Ne igitur, ex cunctatione, vti erant hominum ingenia, molestioris quidpiam moræ intercederet, dies, qui MAXIMILIANI excepit inaugurationem, omnium, atque Regum in primis, suffragio, iterandæ huic pompæ, designatur. Is, vbi illuxit, *Hungari*, iuxta & *Germani* proceres, ad hospitium MAXIMILIANI, frequentes confluunt. Hinc, solemnitatis hesternæ imitatione, superbis progressi ordinibus, lento tandem gradu, ad ædem *S. Martini* perueniunt. Carpento MARIA vehebatur, pro more seculi, eleganti sumtuosoque. Rex eques, cum aulicorum corona, currum præibat. Sequebatur gynæceum, e nobilissimis quibusque feminis, delectum. Cum ædes sacra subiretur, musicorum symphoniæ, alternis resonantes, introeuntem Reginam, consalutabant. Itum recta fuit, ad summum altare, Archiepiscopo, cum præsulibus reliquis, aduentantem illic opperiente. Et Regina quidem, partim a matronis, partim a proceribus Hungaris, in solium deducebatur; cum interim Rex, augustalem sellam, prope ad patris latus

Maria, *sequente die, ritu vetere, coronatur:*

cerimoniarum:

latus positam, occuparet. Nam, CAESAR quidem, sed pompa, quam, qua heri vsus fuerat, multo parciore, iam ante, templum intrauerat. Reliquus, Archiducum, Ducum, Principum, & festiuæ multitudinis comitatus, tabulata, hesterno decore adhuc superba, conscendit. Facto, tota æde sacra, silentio, Rex MAXIMILIANVS, e solio adsurgens, prehensam manu Reginam, ad altare deducit, eamque, ritu vetere, in regni consortem inaugurandam, tribus, quod aiunt, verbis, Archiepiscopo commendat. Tunc Regina, prensantibus eam feminis, in genua molliuscule sese demittens, sacræ illius cerimoniæ, initium facit. Iniit postea *Ritus Pontificalis*, instituto maiorum, in coronandis Reginis adhibitus. Singulis rite peractis, domestico diademate, Reginæ caput ornatum est, pretiosissimo illo, atque scitissime facto. Mox, humero, Hungaricum vetus imponebatur; tamquam in ferendo, administrandi regni onere, marito auxiliaturæ. Quo viso, intonuere iterum tubæ atque tympana, totaque ea solemnitas, *Hymni Ambrosiani* decantatione, finiebatur: extus, tormentorum boatu, implente aera. Ad eum modum, inaugurata Regina, eodem, quo ventum fuit ordine, in hospitium reducebatur. Instructissimæ hic epulæ aduenientes præstolabantur, iisdem, qui heri, vna accubuerant, Archiepiscopis, duabus item filiabus, *Anna* & *Elisabetha*, lectissimæ formæ virginibus, in conuiuium adhibitis. Datum id honori nouæ Reginæ fuit, vt, præter solita procerum ministeria, primores aliquot feminæ, prandenti famularentur. Sed CAESAR, quod valetudine adfecta esset, in ædibus Præpositi Pisonienſis, templo *D. Martini* adfinibus, pransus, ac deinde, a filiis Archiducibus, & qui prandenti adstiterant, proceribus aliis, in arcem deductus est. Ludi postea equestres, pugnarumque simulacra, oblectando Regi Reginæque, exhibebantur. Sed spectaculum arcis expugnandæ, ingenti adornatum apparatu, pessime cecidit. Arcem, aperto, vltra *Hungarorum* castra, campo, nescio quis architectus, ex materia scite contabulauerat: tormentis, per propugnacula, iustoque præsidio, impositis. Eam, obsidione cinxerant alii, aggeres militares suggestusque circumducentes. Fit oppugnatio, tanta incursantium defendentiumque contentione, vt rei ignaris, rem serio geri, facile persuaderi potuisset. Iam in plures horas, ludicri adsultus, protrahebantur; cum incuria præsidiariorum, pyrius puluis, ignem subito concipit, sparsoque, opinione celerius, incendio, vniuersam machinam corripit. Præclusis, pro obsidionis more, aditibus, cum nemo elabi posset, pauci, per summa tabulata, luxatis, ex casu, membris, se foras proiecerunt, multi ibidem flammis exstincti sunt; ipso, simulatæ oppugnationis auctore, illic enecto. Italorum fuisse commentum, ORTELIVS *(o.)* auctor est: quippe qui, aduerso hoc suorum casu, tantopere offensi fuerunt, vt iam iam manus cum *Hungaris* conserturi essent, nisi missi a Cæsare prætoriani, pugnam, ante quam inierat, diremissent. Funestus adeo ludus,

& coronationis ratio:

augustales epulæ:

ludi equestres, & pugnarum simulacra exhibita; quo euentu.

o.) Parte I. p. 96, b.

ludus, inter sinistra omina relatus est. Sed & primores, militares ludos, dedere. *Inter hæc*, inquit ISTVANFFYVS, *(p.) Georgius Thurius, & Ladislaus Gyulaffy, infestis hastis concurrerunt: verum* CAESAR, *ne per speciem ludicri congressus, grauiter sauciarentur, missis nunciis, vt incepto desisterent, mandauit.* Ista, de inaugurationis MAXIMILIANI, atque MARIAE, pompa, dicere habuimus. Nunc, breui fasce, Regum, qui in vrbe nostra, regni insignia capessiuerunt, solemnitates porro complectamur.

§. XI.

NOuennium interceſſit, cum RVDOLPHVS, huius, quam diximus, spectator pompæ, iisdem ritibus atque cerimoniis, *Pisonii*, diademate reuinctus, & Rex Hungariæ, ingenti procerum ac populi adsensione, consalutatus est. Didicerat, suo ipsius exemplo MAXIMILIANVS pater, ingens, domesticæ potentiæ, momentum accessurum, si cunctatione semota, filium, regiis, apud Hungaros, insignibus, curaret inaugurandum. Recens adparatuum, quibus suam coronationem Hungari cohonestauerant, recordatio, facile ei consilium, quid facto opus esset, suggessit. Igitur, missis ad *Hungaros*, mandatis, vti pro temporum habitu, se pompæ illi adpararent, RVDOLPHVS quidem terrestri, ipse nauali itinere, exeunte Sextili, vno eodemque die, *Pisonium* accessere. Prior, vti conuenerat RVDOLPHVS, eadem fere, qua anno MDLXIII. pater, prope ad *Köptsenyium*, cerimonia acceptus est. Bis mille quingenti equites, ad omnem luxum exculti, venientem, apertis campis, præstolauere. ISTVANFFYVS *(q.)* auctor est, hoc primum tempore, *Hungaros*, scuta oblonga atque inflexa, *quibus hucusque*, domi militiæque vtebantur, suadente *Georgio Zrinio*, vt essent, *in re militari* expeditiores, abrogauisse. Simul atque per nuncios, didicere Status, *ad desertam* turriculam, quæ vltra *Köptsenyium*, in Hungariæ atque Austriæ collimitio visitur, cum exercitu & currulibus tormentis, RVDOLPHVM aduenisse, *Nicolaus Báthory*, qui exercitui cum imperio præfuit, & *Balthasar Battyány*, ad eum publico nomine salutandum, superbo cum comitatu processere. Salutantium adlocutio, eo pertinuit, vt, & de Hungarorum in aduentantem fide atque amore, testarentur, & rogarent impensius, vti porro procederet, haberetque Hungariam, cuius sceptra capessurus esset, gentemque vniuersam, tot adtritam malis, sibi, quam commendatissimam. Benigne ab eo auditi, vtque spem de se optimam conciperent, blandissime admoniti, ad exercitum, instructa acie & fluitantibus signis, late diffusum, rediere: eoque, lentis passibus imminentem Regem prægredi iusso, ipsi, cum sacerdotum choro, eodem vestigio subsistunt. Vix *Köptsenyium* transierat RVDOLPHVS, cum *Verántius*, Archiepiscopus, cum delecto sacrorum virorum, maioris minorisque

Rudolphi inauguratio:

aduentantem, quomodo acceperint Hungari:

p.) Loco toties citato, p. 426, 13.

q.) Lib. XXV. initio.

que ordinis, quin procerum etiam comitatu, in pirorum siluula, quæ tunc nemoris instar, ea regione fuerat, Regi occurrit, eumque, comta oratione, excipit. Sententiam eius hanc fuisse, ISTVANFFYVS prodidit: *Minime mirandum esse, quod e regno & prouinciis adnexis, armorum quondam gloria, & fortium virorum frequentia, clarissimis, ad coronationis pompam exsequendam, copiæ, opinione pauciores, conuenissent: postquam ab hostibus, continua ac ferme quotidiana populatione & cædibus, ac captiuitate, ad contemnendum ferme numerum redacti, hoc quoque, quod exiguum conspiciat agmen, vix ægre coegissent. Se tamen, & omnes Ordines, certa spe teneri, futurum, vt Cæsare patre, & Ipso, secundum Dei immortalis opem, adnitentibus, arma propediem expediantur, quibus regnum, olim diues & opulentum, ac omnibus, ad vitæ militiæque vsum necessariis dotibus, benigne & largissime a natura ornatum, rediuiua virtute resurgat, ac eiectis barbaris, pristino nitori restituatur.* Hæc ille dixerat: cui, *Iohannes Vlricus Záſius*, Romani Imperii Cancellarius, breuiter non minus, quam eleganter respondit. Acceptum ita Regem, ritu fere castrensi, inter tibiarum tympanorumque strepitus, ad pontem vsque, qui naualis in Danubio fuerat, deducunt, eoque superato, pars in arcem comitantur, illuc, inuisendorum parentum caussa, qui iam *(r.)* ante, secundo amne adpulerant conscendentem; pars in hospitia & castra, reuertuntur. Vt officio, apud Cæsarem, satisfecit RVDOLPHVS, in Archiepiscopi ædes hospitatum concessit. Plures dies, inter publicas Hungarorum querelas extracti sunt, donec inaugurationis tempus præstitueretur. Eo tandem ad VII. Calendas Octobres, mutuis suffragiis, designato, *non alio ritu*, inquit historicus, *religione, solemnitate, locis, templis, quam quibus ante nouem annos, dum* MAXIMILIANVS, *eodem diademate exornaretur, omnis pompa finita est: imponente capiti Regis coronam*, Veránczio *Archiepiscopo, adstantibusque de more, episcopis. Subsequuta illico est, fausta populi adclamatio, ac gratulantium inconditæ voces, hilaritatisque plenæ: nec non tubarum, & tympanorum ingentes sonitus; & omnia, quæ in huiusmodi festiuis fieri adsolent.* Sed & augustale epulum, quo CAESAR, cum nouo Rege, accipiebatur, eodem, quo antea, & ornatu, & ministerio fiebat. Ac *Balthasar* quidem *Battyány*, dapiferis; poculis, *Michael Varday*; agazonibus, *Emericus Czobor*, vice *Francisci Tahy*, qui letali morbo impeditus aberat, præfuere. Sublatis mensis, iuuentus militaris, & virorum illustrium filii, oblectandis regibus, saltationem instituere. In primis spectaculo fuit, *Valentini Balassæ*, Iohannis filii, saltatiuncula, quam is, annos viginti & vnum natus, opilionum more, ediderat. *Panes* nimirum, & *Satyros* imitatus, nunc contractis, mox laxatis pedibus, modo subsultim se adtollens, iterumque, humi quasi subsidens, seque vnius calcis ope, in gyrum

Verántii, *ad* Rudolphum, *oratio:*

eodem, quo Maximilianus, *ritu, coronatur:*

saltationes festiuæ.

r.) Nescio, quid ORTELIO in mentem venerit, dum Parte I. Chronici, p. 119. a. scribit: *Cæsarem, cum vxore* MARIA, *& filiis*, MATTHIA *atque* MAXIMILIANO, *noctu, prælatis facibus, repudiataque pompa omni, vrbem & arcem, quatriduo ante inaugurationem, subiisse.* Quod non erat ita.

gyrum versans. CAESAR, insolitum saltationis genus, cum Rege, & viris principibus, diu magna hilaritatis significatione, ex altiori loco, spectauit.

§. XII.

ATque, hæc quidem *Rudolphinæ* inaugurationis solemnia fuerunt. Sex & triginta anni abiere, dum pompam hanc, *Pisonium* denuo spectaret. MATTHIAS Archidux, extusa RVDOLPHO, qua vi, qua precibus, quemadmodum supra diximus, *Hungariæ Corona*, anno MDCVIII. in regem sublectus, adnuenteque fratre, coronatus est. Prolixe, rem gestam KHEVENHILLERVS *(s.)* meminit: nos, in compendio referemus. Recuperato nimirum, diademate, comitia *Pisonium* indixit MATTHIAS. Huc, vbi ad III. Calendas Octobris, exciti rei nouitate, Status, frequenti numero conuenissent, id in primis egere, vt Regem, pro eo, ac decet, acciperent. Itaque, non vrbs modo ipsa, sed castra etiam, vbi *Hungari* consederant, adparatibus complebantur. MATTHIAS, die XX. Octobris, Vienna digressus, *Haynburgum*, eadem luce accessit. Missi, ab Ordinibus, *Stephanus Istvánffyus*, & *Stephanus Pálffyus*, qui aduentantem consalutarent, id retulere, sequente die, *Pisonium*, regia pompa, subiturum: quam *Hungari*, ad hunc modum instruxerunt. Equites, *Iaurino*, *Papa* atque *Vesprimio* arcessiti, plus minus septingenti, ad *Farkasfalvam* Austriæ, *Wolffsthal* Germani adpellant, nitide omnes vestiti armatique, obuiam Regi processere. Hos, procerum, atque prælatorum copiæ, sequebantur. Et *Franciscus*, quidem *Forgáchius*, Cardinalis & Archiepiscopus Strigonienſis, equites tercentos, pedites centum quinquaginta, sub rubeis signis, veste itidem rubra amictos, ad honestandam pompam, mittebat. Ipse, carpento, cum nuncio Apostolico, vectus, cruce argentea prælata, turmas comitabatur. Sequebatur e vestigio, *Sigismundus Forgách*, cum ducentis equitibus, peditibus septuaginta quinque, cærulea signa vestemque gerentibus. Tunc, *Stephani Illyésházii*, sexcentorum equitum alæ, cohortes peditum tercentorum, sub septem signis, rubri luteique coloris, incedebant. Mox, *Georgius Thurzo*, tercentos equites, pedites centum quinquaginta, ductabat. Rubra his quoque, & vexilla, & habitus, quin & hastæ, eodem colore insignes fuerunt. Eum, *Stanislaus*, & *Christophorus Thurzo*, patrueles, sequebantur, tercentenis & quinquaginta, equitibus, peditibus ducentis, comitati. Vtrisque, viridia, rubraque, & signa, & vestis erant. Succedebant his, *Thomas Erdödy*, & *Iohannes Keglevith*, ducentorum equitum, peditum centum quinquaginta, manum, gemino sub signo, rubro altero, altero roseo, ductantes. Quorum vestigiis,

Matthiæ II. *coronatio:*

Statuum, in accipiendo eo, pompa:

s.) *Annalium Ferdinandeorum*, Tom. VII. p. 16. seqq. Adde, PETRVM de REVA, Coronæ Hung. Cent. VII. p. 120.

Episcopus Jaurienſis, Frater Simon Bratulich, cum ducentis equitibus, peditibus tercentis, inſiſtebat. Cærulea iis ſigna ſagumque fuere. Poſtea, *Georgius Drugeth de Homonna*, cum ducentis quinquaginta militibus ibat. *Georgius Szétſchy*, atque *Michael Czobor*, hunc excipiebant, eo inſignes, quod militem ducerent, ad morem *Turcicum*, vexillis, armis, ac veſtibus, quin & militari ſymphonia, inſtructum: ducenti equites, pedites centum fuere. Hinc *Sebaſtianas Tököly*, & *Stephanus Nyáry*, cum quadringentis equitibus, peditibus centum, ſubibant. Poſt hos, *Andreas Dóczy*, equites centum, pedites ſeptuaginta quinque; item, *Sigefridus a Collonitſch*, quinquaginta ſuorum, deducebant. Agmen, *Stephanus Pálffy*, *Petrus*, & *Franciſcus Révay*, cum ducentis viginti quinque viris, claudebant. Fuit vniuerſim, quinque millium ſexcentorum ſeptuaginta quinque capitum, exercitus. Traiecto is *Danubio*, quum in aciei formam, pone viam, qua MATTHIAS ingreſſurus erat, explicatus, turmatim conſtitiſſet, maiorem, quam pro numero, ſpeciem referebat. Vix quidquam moræ interceſſit, cum Rex, a *Buchaimio* equite, & *Hungaris*, qui eum ad *Farkasfalvam*, opperiebantur, comitatus, in noſtrorum conſpectum venit. Aduentantem, Archiepiſcopus Strigonienſis, corona præſulum, & optimatum cinctus, diſerta oratione ſalutauit. Cui MATTHIAS, præter morem, ita reſpondit Ipſe, vt omnium, qui loquentem audiuerunt, animos, in ſui amorem, venerationemque traheret. Conſalutato eo, ſedecim, maioris modi, currulia tormenta, mortaria quinque, *Comaromio*, & *Laurino* huc adducta, ingenti fragore, diſploſa ſunt. Quod dum fiebat, proximi quique, e Statibus, deoſculata noui Regis manu, benignitati ſe eius inſinuabant. Exercitus autem, edito plauſu, in vrbem, eodem, quo proceſſerat, ordine, inter militares, tibiarum, tympanorumque concentus, redibat, MATTHIA, cum proceribus, lentis paſſibus, ſubſequente. Vbi *Danubium* tranſiit, vrbicæ eum cohortes primum; Senatus poſtea, ad flumentaneam portam, accipiebat. Hic, breui oratione ſalutato, conſul, claues vrbis, obtulit. quas ille, modice adtrectatas, de benignitate ſua ſecuris eſſe iuſſis, reddidit iterum. Detonuere mox, propugnaculorum omnium machinæ, dum interim Rex, cum primorum comitatu, arcem ſubit: quam, vt intrauit, tertium, feſtiuus tormentorum fragor, auditus, pompaque ea, ſingulari omnium hilaritate, confecta eſt.

ſalutatur ab Archiepiſcopo Strigonienſi:

a Senatu Piſonienſi:

ſubit arcem.

§. XIII.

VBi dies, *D. Eliſabethæ*, inaugurando Regi, deſtinatus illuxit, diadema primum, ad *D. Martini* ædem, Comite *Trautſon*, & *Iohanne Draskovith*, adminiſtris, ex arce deductum eſt. Tunc MATTHIAS ipſe, veſtem indutus *Hungaricam*, eques ſequebatur: cui frater ſuus MAXIMILIANVS, ſiniſtro latere adequitabat. Præcedebant,

Inaugurationis ſolemnia:

bant, ſuperbis ordinibus, regni proceres; *Sigefridus* autem *Collonitſch*, præeunte caduceatore *Hungaro*, ſtrictum enſem, Regi præferebat. Sequebatur e, veſtigio, *Nuncius Apoſtolicus*, præſulum comitatu ſtipatus. Reliqua inaugurationis ſolemnia, ritibus iisdem, quos iam recitauimus, conſtitere. Eos meminiſſe iuuat, qui Regi ad ſummum altare progredienti, inſignia vexillaque regnorum, præferebant, vt exſtet, ſummorum virorum memoria. Ac *Coronam* quidem, *Stephanus Illyésházy*, nuper, poſt longam eius dignitatis ceſſationem, in Palatinum creatus; *Sceptrum*, Thomas Erdődy; *Pomum*, Sigismundus Forgách; *Gladium* S. Stephani, vagina conditum, Georgius Thurzo; *Pacem*, Thomas Széchy; *Crucem* denique Franciſcus Battyány, deferebant. Vexilla autem: *Hungariæ:* Stanislaus Thurzo, loco Comitis Zrinii; *Dalmatiæ*, Stephanus Török; *Croatiæ*, Georgius Homonnay; *Sclauoniæ*, alter Thomas Erdődy; *Ramæ*, Andreas Dóczy; *Seruiæ*, Petrus Révay; *Gallitiæ*, Georgius Szétſchy; *Lodomeriæ*, Stephanus Pálffy; *Cumaniæ*, Nicolaus Thurzo, vice Ladislai fratris; denique *Bulgariæ*, Thomas Nádasdy, geſtabant. Suſcepto rite diademate, cum ad *Franciſcanorum* ædem, creandis illic, pro more, *auratis equitibus*, per vrbis compita, viridi, rubro, alboque panno inſtrata, pedes Rex proficiſceretur, nummi memoriales, in vulgus ſpargebantur. Qui id muneris obibant, Regem, ſuſpenſis de collo ſericeis loculis, ſequebantur: tanto, cupidiſſimæ multitudinis impulſu; vt eorum alter, *Daniel Schleger*, equo detractus, ægre, ſeruatis aliquot nummulis, in ædem ſacram euaſerit. Aurati equites, quos heic Rex creauit, hi fuere: *Georgius Homonnay*, *Thomas Nádasdy*, *Michael Czobor*, *Stephanus*, & *Chriſtophorus Erdődy*, *Iohannes*, & *Georgius Keglevith*, *Ludouicus Rákóczy*, *Nicolaus Forgách*, *Stephanus Dóczy*, *Benedictus*, & *Georgius Pográny*, *Stephanus Oſztroſitſch*, *Iohannes Deſſőfy*, *Stephanus Korlát*, *Thomas Bosnyák*, *Nicolaus Abaffy*, *Laurentius Poloni*, *Georgius Kelechény*, *Aegydius Nagy*, *Georgius Petheö*, *Chriſtophorus*, & *Wolffgangus Mrianchich*, ac denique, *Iohannes Petrichovich*. Nempe, conſcenſo, quod in æde ſacra poſitum erat, ſolio, ſingulos, ordine ſuccedentes, & in genua, ad ſolii pedem prolapſos, ter repetitis, gladio S. STEPHANI ictibus, per dorſum tangebat: quod, quibus euenit, in *auratorum hi equitum* numero, referebantur. Itum hinc porro, ad ea loca fuit, vbi, quod cerimoniarum ſupererat, adulto ritu, confici debuit. Nam, & iusiurandum, de pegmate, quod in ſuburbio inſtructum fuit, præeunte *Archiepiſcopo*, palam recitauit, & gladium S. STEPHANI, in regio illo, ad ripam Danubii, colliculo, ter vibrauit: ſignis regnorum, perpetuo ordine, præcedentibus. Tandem, vbi in arcem ventum eſt, auguſtale epulum dabatur. Et Rex quidem, paludamento S. STEPHANI amictus, atque diadema capite gerens, diſcubuit: fratre *Maximiliano*, Cardinali *Forgách*, Nuncio Apoſtolico, atque *Palatino*, in conuiuium adhibitis. Sed vbi Rex, primam potiunculam ſumſit, coronam poſuit, patera

priſco ritu peracta:

qui inſignia, & regnorum vexilla, prætulerint:

Rex, auratos equites creat:

ra inaurata exceptam. Erat, in reliquis menſæ regiæ oblectamentis, artocreas, ea mole, vt nouennem puerum, cum cymbalo, caperet. Is, vbi adpoſitus, neque a quoquam accumbentium obſeruatus eſt, ſcitiſſime id pulſare, mox & laudes noui Regis, carmine decantare cœpit, columbis, quas ſecum habuit viuas, ſubinde emiſſis: inſigni, & Regis, & conuiuarum delectatione. Ceterum, diſcumbenti Regi, ne id quoque taceamus, *Thomas*, *Chriſtophorus*, & *Sigismundus Erdődy*, *Iohannes Draskovitſch*, *Andreas Collonitſch*, *Michael Czobor*, *Stephanus Török*, *Thomas Vizkelethy*, *Stephanus*, & *Sigismundus Balaſſa*, *Emericus*, & *Chriſtophorus Thurzo*, *Chriſtophorus Bánffy*, *Stephanus Liſthius*, *Georgius*, & *Iohannes Keglevitſch*, *Sigismundus Forgách*, *Thomas*, & *Georgius Szétsy*, *Nicolaus Zriny*, *Thomas Nádasdy*, *Georgius Homonnay*, & *Paullus Aponi*, miniſtrauerunt. Prandente adhuc Rege, multa paſſim, lætitiæ ſigna edebantur, in ſeram noctem protracta. Danubius certe, feſtiuis ignibus ardere viſus eſt, dum nox concubia, ſolemnitati, nulli, poſt inauguratos *Piſonii* reges, *(t.)* ſecundæ, ſine vlla cuiusquam offenſa, finem faceret.

epuli feſtinitas:

eius adminiſtri:

publicæ hilaritatis ſigna.

§. XIV.

Ferdinandus II.

IAm FERDINANDI II. coronationem, quæ anno MDCXVIII. vrbem illuſtrauit, expromſiſſe, noſtra intereſt. Adoptato, in filium, FERDINANDO Archiduce, id egit MATTHIAS, vt quam primum, ad eum eligendum & inaugurandum, Status & Ordines, induceret. Ergo, edictis *Piſonium*, ad quartum Martii diem, comitiis, diu, magna animorum contentione, diſceptatum eſt, dum corrogatis *Ordinum* ſuffragiis, regia dignitas, FERDINANDO deferretur. Cum vero, & libertati ſuæ, ſatis ſe cauiſſe, & futurum Regem in æquiſſimas leges, dato diplomate, conſenſiſſe viderent, XVII. Calendas Maii, Regem Hungariæ, magna lætitiæ ſignificatione, & eligunt, & conſalutant. Iam dies inaugurationi præſtituendus erat, cum tempeſtate ſubito coorta, quod & ſupra meminimus, turris, in qua diadema condebatur, fulmine percuſſa eſt. Varie acceptum omen. Nam alii quidem infauſti quiddam, cum nouo Regi, tum Hungariæ, portendi, aiebant: leniebant alii metum, & Hungarorum duritiem, eo fulmine peti, ominabantur. Id ſane verſus hi loquuntur, quos PETRVS de REVA *(u.)* exhibet:

in regem eligitur:

diadematis conditorium, fulmine, ante coronationem, percuſſum:

quid ominis habuerit?

Hungarici Proceres, ſacram differre Coronam,
Cui DEus & ſanguis, votaque cuncta fauent,
Nil facitis! ſiquidem mundoque Deoque reſiſtunt,
Quid condunt, fulmen, quod reſerare poteſt.

Tandem, ſiue conſiliis re vera coaleſcentibus, ſiue, ominis metu perculſis animis, *Calendæ Iulii*, coronando Regi, deſignantur. Sed heic quoque noua coorta lite, cum de cerimoniis, non ſatis inter Status conueniret, duumuiros creari oportuit, qui pompam inſtruerent, moderarenturque. Alter, *Bernhardus a Herberſtein*, Ferdinandi aulæ præfectus, alter, *Petrus* de *Réva*, Coronæ cuſtos, & per Hungariam Magiſter Curiæ, fuit. Horum itaque arbitratu, illucescente die ſolemni, templi portæ, ne vulgus irrueret, e magnatibus quidem, a *Nicolao Forgách*, & *Thoma Pográny*; e nobilibus autem, a *Stephano Herenchény*, & *Nicolao Csehy*, ſummo mane, cum centum Hungaris, totidemque Germanis, inſeſſæ ſunt. Vix orto ſole, hi, quos deducendo, ex arce, diademati, Ordines deſignauerant, ad hoſpitium Palatini, *Sigismundi Forgách*, alacres confluunt. Fuere autem, præter Coronæ duumuiros, *Comes Palatinus*, *Demetrius Náprágy*, Archiepiſcopus Colocsenſis, *Petrus Demitrovich*, Epiſcopus Zágrábienſis, *Franciſcus de Battyán*, Agazonum magiſter, *Georgius Homonnay*, *Stanislaus Thurzo*, *Paullus Apony*, *Melchior Alágy*, *Nicolaus Eſzterházy*, *Chriſtophorus Erdődy*, *Georgius Zriny*, *Emericus Thurzo*, *Georgius Szétsy*, *Sigismundus Rákóczy*, *Caſpar Illyésházy*, *Stephanus Veſſelény*, *Michael Károly*, *Caſpar Horváth* de Vegla, *Sigismundus Prépoſtváry*, *Benedictus Pakay*, *Nicolaus Dallós*, Capituli Strigonienſis nuncius, *Balthaſar Napuli*, Præpoſitus Zágrábienſis, *Stephanus Patathich*, *Moyſes Cziráky*, *Sigismundus Lónyai*, *Caſpar Terſztyánſzky*, *Iohannes Sándor*, *Franciſcus Strucz*, *Martinus Réway*, *Michael Szerdahly*; *Franciſcus Szántóházy*, *Valentinus Horváth*, nuncii ciuitatum *Caſſouienſis*, & *Sempronienſis*. Hi, vbi in arcem acceſſerunt, collegas, a Cæſare, *Melchiorem Cleſelium* Cardinalem, *Iohannem a Molard*, *Iohannem* item *Ludouicum ab Vlm*, imperialem procancellarium, accepere. Tunc, *Petrus* de *Réva*, interrogatis ſemel iterumque, qui aderant; *Regisne, & Statuum ea voluntas eſſet, vt Coronam, & regni clenodia, e conditorio expromeret?* iisque, iterato adſerentibus, fornicem aperuit, Coronam, e ferrea ciſta, cum inſignibus reliquis, exemit, atque alii capſæ, purpura contectæ, impoſuit. Aberat, ſiue forte fortuna, ſiue, quod ita rem ordinarit *Cleſelius Cardinalis*, currus, deducendæ coronæ, deſtinatus. Proinde, carpento *Cleſelii*, magna FERDINANDI, e feneſtra proſpectantis, indignatione, impoſito diademate, cingentibus id, hinc viginti *Hungaris*, totidemque illinc *Germanis* militibus, ad *D. Martini* ædem, deuehebatur. Huc, vbi ventum eſt, iidem illi primores, qui Coronam currui impoſuerant, *Chriſtophorus* ſcilicet *Erdődy*, *Sigismundus Rákóczy*, *Michael Karoly*, & *Sigismundus Prépoſtváry*, curru ſublatam, in ædis ſacræ adyta, detulerunt: exemtam mox, præſentibus, quos nominauimus, arbitris, & in holoſericeo puluillo, mollius repoſitam. Sed paludamentum quoque regium, & indumenta reliqua, menſæ, quæ in poſtica ſummi altaris fuerat inſtructa, per *Benedictum Pakay*, perſonalem præſentiæ regiæ, & *Moyſen Czáráky*, *Petro de Réva* præeunte, ſepoſita, & velo conte-

dies inaugurationis, & duumuiri, inſtituendæ pompæ, deſignati:

templi cuſtodes:

qui Coronam *ex arce, ſuſtulerint:*

in adyto, cum inſignibus repoſitam, eximunt eius conſeruatores:

t.) ANNAE, vxoris MATTHIAE II. inauguratione, PETRVS de REVA, prolixe deſcripſit. Cent. VII. p. 138. ſeq.

u.) Centuria VII. p. 133.

contecta fuere. Adyta interim, vbi Corona, cum insignibus, atque regnorum vexilla, inerant, seni milites, æquali ex Hungaris, & Germanis, numero delecti, atque *Capellani* duo, obseruabant: Palatino, cum proceribus ac nobilibus, qui coronam ex arce deduxerant, ad FERDINANDI hospitium, digressis. Ne quid vero, in ipso templo, præpostere fieret, adscensum quidem ad *Sanctuarium*, *Stephanus Dóczy*, & *Andreas Jakusith*; destinatum Gynæceo suggestum, *Stephanus Vesselény*; musicorum stationem, *Stephanus*, & *Franciscus*, vterque *Poglány*, custodiebant.

intra ædem sacram, ne quid fiat præpostere, cauetur.

§. XV.

Ferdinandus, *ad ædem sacram venit:*

ADparatis, quæ ad pompam requirebantur, omnibus, FERDINANDVS, a Palatino, splendida magnatum corona cincto, hora diei septima, ad templum, cum Archiduce *Maximiliano*, pro maiestate, deductus est. Ingredienti ædem sacram, *Bernhardus ab Herberstein*, aulæ præfectus, & *Petrus de Revá*, pompæ instruendæ duumuiri, occurrunt, acceptumque pro foribus, in adyta, *sacristeriam* vocant, deducunt: *Maximiliano*, sinistro subselliorum ordine, qui in *Sanctuario* instructus fuit, subsidente. Id, dum illi faciunt, symphoniacorum chori, varie, per theatra dispositi, concrepuere. Silentio ad nutum facto, *Petrus de Réva*, Coronam, & cetera *Clenodia*, signa item regnorum, Regi præferenda, inter hos, qui comitiorum suffragio nominati fuerant, distribuit. Et *Corona* quidem, Comiti Palatino; Sigismundo Forgách, *Gladius*, vagina nudatus; Francisco Battyán, Agazonum Magistro, *Sceptrum*, quod, qua Iudex Curiæ, ex muneris prærogatiua gestare debuerat, eo officio vacante, Nicolao de Frangepani, Bano Sclauoniæ; Thoma Erdődy, Tauernicorum Magistro absente, *Pomum*, Georgio Homonnay; *Gladius*, S. Stephani, vagina conditus, Andreæ Dóczy; *Pax*, Stephano Pálffy; *Crux* denique aurea, Stanislao Thurzo, obtigere. Sed vexilla, hi, e comitibus *(v.)* prætulere: *Hungariæ*, Nicolaus Eszterházy; *Dalmatiæ*, Paullus Nádasdy; *Croatiæ*, Georgius Szétsy; *Sclauoniæ*, Christophorus Erdődy; *Ramæ*, Emericus Thurzo; *Seruiæ*, Georgius Zriny; *Gallitiæ*, Christophorus Bánffy; *Lodomeriæ*, Sigismundus Rákóczy; *Cumaniæ*, Caspar Illyésházy; *Bulgariæ*, Michael Karoly. His rite distributis, cerimoniarum præfecti, duos, e numero episcoporum, quos Strigonienſis pontifex legerat, ad ianuam adyti, vbi Rex erat, adducunt. Hi, egredienti se coniunxere, insignibus, & vexillis, præcedentibus ad solium vsque, quod medio substructum *Sanctuario*, gemino fere passu, ab altari aberat. Hic, vbi electus

in adytum deducitur:

atque insignibus Regni distributis:

inde, ad solium:

v.) Laudatus PETRVS de REVA, loco cit. p. 134. *Singula*, inquit, *vexilla, singuli, vt cuique sunt adtributa, in memoriam adseruant. Olim, &* DIVI STEPHANI *vexillum, in coronationibus præferebatur; quod inauguratione* CAROLI Parui, *confractum, historia eiusdem, memoriæ tradidit.* Vide BONFINIVM Dec. III. Lib. I. p. 364, 20.

electus Rex consedit, a vexilliferis, vtroque latere, incinctus est; insignia autem Regni, ad altare delata, episcopi, per magnatum manus, summa veneratione, recepere. quibus redditis, dextro solii latere, sicuti duumuiri pompæ, sinistro, constitere singuli. Tunc FERDINANDVS, e solio degressus, ad altare perrexit, atque illic, sericeo puluinari, genibus innixus, insignem pietatis significationem edidit: ritus inaugurationis summo Strigonienſium præsule, auspicato faciente. Decantatis nimirum *Litaniis*, verbis vtemur *Petri de Réva*, electi habitus, *ad pectus soluitur, sic etiam ad brachium dextrum, in loco ad hoc destinato, per supremum cubicularium, &* Andream Dóczy, *cubiculariorum magistrum: quod vnctio subsecuta est. Qua peracta, indutus electus, habitu & paludamento* D. Stephani *Regis, consedit in throno, comitatus ab Archiepiscopo Colocsensi, & Cancellario, ad latus throni, considentibus. Post cerimonias,* Missæ *introitus decantatus post epistolam, & graduale, vt vocant, gladius S. Stephani euaginatus, manibus electi traditus est, cum sermonibus, in pontificali contentis: Accipe gladium fortitudinis &c. Mox resumtus gladius, & reconditus, accingitur electo, cum verbis: super femur tuum accingere gladio tuo potentissime: illudque menti altius imprime; sacro sanctos viros, non gladio, sed fide regna vicisse. Quo euaginato, conuersus ad populum, tres ictus fecit, introrsum, & ad latera duo, tandemque recondito, flexit genua. Accidit autem, vt cingulus gladium sustinens, dum lateri regis accommodatur, ruptus, redintegrari necesse habuerit: vetustati, an præsagio adscribant, aliis liberum relinquitur.* Tandem vero Palatinus, ad supremum altaris gradum progressus, accepta, e manu Archiepiscopi corona, ad *Status* & *Ordines*, conuersus, eos semel atque iterum, ac tertio, interrogat, vellent, iuberentne, FERDINANDVM, Regem Hungariæ coronari? qui vbi, ad singulas interrogationes, suum illud: *Akarjuk!* hoc est: *volumus*, iubemus, proclamassent, *Petrus Pázmány*, diadema, regio capiti, adtrectantibus vna episcopis, imposuit, formulam & hic solemnem, profatus. Nondum ille, manum a Regis capite submouerat, cum *Ordines* vniuersi, festiuo clamore, solitum plausum, VIVAT REX! interstrepentibus tympanis tubisque, continuo edunt. *Sceptrum* postea, atque *Pomum*, Regi traditum, additæque preces, quæ monerent inauguratum, quid sibi vellent, hæc tam magnifica insignia. Tunc, gladio *S. Stephani*, discincto, eoque *Andreæ Dóczy* tradito, sceptrum dextra, leua pomum gerens, ab Archiepiscopo, & præsulibus aliis, ad solium deductus est. Hic vbi resedit, *Hymnus Ambrosii* decantari cœptus est, tubarum tympanorumque, clangore, solemnem cantum prosequentibus. *Fuit iste tunc, in corona notabilis casus,* inquit PETRVS de REVA, *(x.) quod vna catenula, ex dependentibus, in hoc actu, distracta, decidens, filo sericeo suppleta est, & religata.* Sacris ritibus, rite peractis, Archiepiscopus, *Euangelium*, & *Credo*, decantauit. Quod dum ille facie-

mox ad altare progressus:

vngitur:

induitur S. Stephani *pallio:*

gladio:

haud sine præsagio, accingitur:

ornatur corona:

quid diademati, inter coronandum accíderit?

x.) Loco citato, p. 135.

bat, Rex, sceptrum & pomum, suis administris, *Iohanni Vlrico ab Eggenberg*, & *Bernhardo ab Herberstein*, hi vero iis, qui ea gestauerant, reddunt. Deducentibus, postea, duobus episcopis, ad *Offertorium*, processit, oblataque haud modica auri vi, quam in altari reposuit, ad solium iterum deductus est. Vix isthic resederat, cum volente ita Ferdinando, coronam capite, *Eggenbergius*, cum *Herbersteinio*, demunt, Palatinoque tradunt. Fit interim *Eleuatio*, quam vexilliferi, signis, summa parte, in humum reclinatis, venerabantur. *Missa* denique, vsque ad *communionem* producta, Rex, ab iisdem, qui ei hucusque ministrabant, antistitibus, ad sacrosanctam Synaxin, deducitur, cui, posteaquam summa pietatis significatione, operatus est, ad thronum rediit, coronamque, per eorum manus recipit, qui eam demserant.

Ferdinandi, *post acceptum diadema, pietas.*

§. XVI.

Itur ad templum Franciscanorum:

His ergo ritibus, quos iterum recensuisse, operæ duximus pretium, inauguratus Rex, eadem, qua Matthias, ante decennium, pompa, ad *Franciscanorum* templum, per contabulatum totis plateis, atque rubro ac viridi panno instratum pontem, ingressus est: numis in vulgus sparsis, cum inscriptione: Ferdinandvs II. coronatvs in Regem Hvngariae, primo die Ivlii, Anno 1618. Quos hic equites auratos creauerit, iuuat non siluisse. Erant nimirum, ex magnatum ordine: *Georgius Zriny*, *Paullus Nádasdy*, *Nicolaus Eszterházy*, *Iohannes Pálffy*, *Casparus Horváth* de Veghla, *Casparus Illyésházy*, *Sigismundus Prépostváry*, *Petrus Forgách*, *Petrus Balassa*, *Stephanus Pográny*, ac *Iohannes Osztrosith*: e nobilibus autem: *Martinus Móricz*, *Stephanus Balogh*, *Stephanus Herenchény*, *Franciscus Beniczky*, *Iohannes*, & *Balthasar Lengyel*, *Iohannes Kátay*, *Stephanus Soós*, *Daniel*, & *Paullus Eszterházy*, *Casparus Horváth* de Vásonkő, *Georgius Gondicz*, *Iohannes Kis*, *Iohannes Orlay*, ac denique, *Franciscus Balogh*. Quidquid postea rituum supererat, summa id adcuratione Ferdinandvs obiit. Nam, & iureiurando, palam, dictante formulam Archiepiscopo, semet obstrinxit; & in augustalem collem, e quo prouectus, solemnes, aduersus quatuor cæli plagas, ictus, gladio S. Stephani, adspectante festiua multitudine, vibrauit. Reduci in arcem, prandium, regali fastu, instruebatur, cui, pro Regis maiestate honestando, eximius procerum, atque nobilium (*y.*) numerus, & dapes inferebat, & partitis ministeriis, famulabatur. Ne vero dies, communi omnium lætitia, insignis, quomodocunque funestaretur, tametsi & arx, vbi *Status* & *Ordines*, Regio conuiuio accipiebantur, & vrbs, faustissimis plausibus resonaret; tamen militi,

aurati equites isthic creati:

cerimoniarum reliquum:

regale epulum:

y.) Recensendis nominibus supersedemus: legi autem poterunt apud Petrvm de Reva, loco cit. p. 157. Adde, Khevenhilleri Annalium Ferdinandeor. Tomum ix. p. 17. seqq. Et Ortelii Chronicon, Parte ii. p. 56. seqq.

ti, Baccho & Cerere interdictum fuit. Sequenti demum luce, militares, per castra, commessationes, iniere. quæ, vt hilariter agerentur, annonæ atque vini affatim, vniuersis castris, distributum est, datique singulis memoriales numi, eo quod, cum in vulgus spargerentur, miles in stationibus fuit. Ceterum, sublatis mensis, *Coronam*, cum insignibus reliquis, iidem, qui exemerant, proceres, in conditorium intulere, inque ferrea cista repositam, suis, & recuperatorum Cæsarianorum sigillis obsignauere. Accidit vero, vt cum diadema, suis, pro more, pannis inuoluendum esset, solita purpura desideraretur, quam (*z.*) *Canonici* ad Aedem *D. Martini*, cupidius retentam, frustra repetentibus custodibus, detrectabant restituere: quæ res, multis obtrectationibus locum fecit. Atque ad hunc modum inauguratio Ferdinandi, peracta est. Proximo post die; cum paullatim soluerentur comitia, sub ipsum crepusculum, ludicri in *Danubio* ignes; & id genus spectacula; edita sunt, totique ei solemnitati, finis auspicato fuit impositus.

corona reconditur denuo:

sequentis diei hilaritas.

§. XVII.

Satis, de inaugurationis solemnibus, tamquam præcipua vrbis nostræ prærogatiua, dictum credi posset, nisi, quatuor sacratissima capita, cælesti hoc diademate redimita, superessent. quæ silentio præterire, nefas habemus. Proinde, dicemus de singulis, sed strictim: siquidem, præter rem gestam, nihil amplius rituum superest, quod non sit hactenus a nobis expromtum. Primus in his, Ferdinandvs IV. est: (nam pater quidem suus, *Ferdinandus III.* Sempronii, insignia Regni capessiuit;) qui enitente genitore, in Regem electus, tandemque, prisco illo ritu, isthic inauguratus est. Res ita se habuit. Indictis ad diem *S. Bartholomæo* festum, anno MDCXLVI. *Pisonium* comitiis, id, non obscure Caesar Hungaros volebat facere, vti se adhuc viuo, maiorem natu filium, Ferdinandvm, in Regem legerent, coronarentque. Multa tunc interceserant, quæ voluntatem Cæsaris, longe æquissimam, in annum vsque MDCXLVII. irritam reddiderunt. Quibus tandem, *Martio* exeunte, sublatis, communi omnium adsensione, Caesar, voti damnatus est. Quo audito, nec cunctatus, octauo Calendas Iunii, *Pisonium*, quod nuper deseruerat, rursum rediit, vt, & latas leges, adfirmaret, & destinationi, in quam pronos iam *Hungaros* habebat, vltimam manum imponeret. Aberat *Pisonio* sacrum diadema: quippe, *Jaurinum*, Rákóczianæ seditionis metu, deductum. Hoc itaque, pompa, quam poterant, magnificentissima, *Pisonium* reuehunt *Status*. Quadraginta sex seiugibus carpentis, præter instructissimas, quingentorum equitum alas, comitatum constitisse, annales (*a.*) referunt. Ne quid vero præter

Reliquorum Regum inaugurationes, haud silendæ:

Ferdinandi IV. coronatio:

rei gestæ narratio:

z.) Petrvs de Reva, p. 137.

a.) Ortelivs Parte ii. p. 153, b. ad annum 1646.

fas æquumque fieret, diem, quo publico in comitio, FERDINANDVS in Regem eligeretur, *Ordines* sibi ipsis præstituunt. Tertius *Nonas Iunii* fuerat, cum suffragia rogarentur, aduersumque est, tanto maiori alacritate in sententiam nunc iuisse *Status*, quo pertinacius contraibant hucusque. Ergo, nemine obloquente, vno omnium suffragio, FERDINANDVS, Rex deligitur, lætisque vocibus, cum in comitio, tum per vrbis compita, proclamatur. Quod vero absenti hæc maiestatis accessio contigit, ipsis Nonis Iunii, *Adamum Battyánium*, Dapiferorum Magistrum, cum honestissimo comitatu, Viennam mittunt, eique, non modo electionem hanc, felicem precantur faustamque; sed impensius etiam rogant, vti ne grauaretur, ad capessenda Regni insignia, *Pisonium* quam primum descendere. Ac FERDINANDVS quidem, collaudatis Hungarorum aduersum se studiis, nil quidquam moratus, *Pisonium* accessit. Venientem, pro eo, ac decuit, *Status* & *Ordines*, recepere. Iam inaugurationi, cum pompa celebrandæ, adparata erant omnia, cum fortuitum, ex coqui negligentia, apud *Comitem Martiniczium*, *Bohemiæ Cancellarium*, incendium *(b.)* erupit, tanta vehementia, vt ante LXXII. ædes conflagrarint, quam restingui potuerit. Ergo, prorogato, de quo iam conuenerat, inaugurationis die, XVI. *Cal. Iulii*, ritus omnis, magna procerum omnium hilaritate, confectus est. Ad felicitatem profecto superiorum annorum, quibus Reges inauguratos meminimus, nihil, præter Regis longæuitatem defuit.

inauguration em, funestum præcedit incendium.

§. XVIII.

Moritur Ferdinandus IV.

ENim vero, FERDINANDVS IV. anno MDCLIV. octauo Idus Iulii, morbillis, fatali Austriacorum genti morbo, exstinctus, nouæ inaugurationi, locum fecit, nouamque *Pisonio*, etiam inuito, celebritatem conciliauit. *Quid* enim ageret, tanta, tamque improuisa calamitate perculsus pater FERDINANDVS, quam vt, tot regnorum orbitati, ante consuleret, quam ipse vita migraret. LEOPOLDVM, quintum & decimum ætatis annum agentem, fata, huic fastigio, destinauerant. Adsuefaciendum curis gubernandæ reipublicæ, ratus parens, anno MDCLV. Austriæ regentem, adactis in eius fidem *Ordinibus*, creat. Mox, coactis eodem anno *Pisonium* comitiis, sacro Hungariæ diademate, regiæ dignitati inaugurandum curat. Coiuere nimirum *Status*, vti iussi fuerant, nono Calendas Februarii, eo frequentiore numero, quo magis reipublicæ interesse, eligendum denuo, coronandumque Regem, putabant. At, vbi in commune consuli cœptum est, recruduere querelæ *Ordinum*, quas anno MDCXLVII. Cæsari detulerant. Certe, de Rege eligendo, non ante rogaturos sententias, palam professi sunt, quam efficacibus præsentibusque remediis, saluti patriæ subueniretur, malis vero, quæ atrociora in dies metue-

comitia, nouo Regi eligendo, Pisonium indicta:

iniectas, ei rei difficultates,

b.) Meminimus eius supra Cap. IV. §. XLII. cum VRBIS fata, sub *Austriacis Regibus*, explicaremus.

metuerentur, modus poneretur. Sed, qua fuit, cum prudentia, tum benignitate, CAESAR, euicit tandem Statuum animos, permouitque, vt, & clementiæ suæ, nouis legibus adfirmandæ, confiderent, & eligendo Regi diem suum darent. Is vbi adfuit, posita obstinatione, LEOPOLDVM, non tam eligunt, quam Regem sibi dari postulant. Sanctio, in eam rem edita, sic habet: *Quam sint exitiosa, regnis & prouinciis, interregni tempora, adflicta hæc patria, olim potens & florentissima, proprio deplangit experimento: cuius regimen, & gubernium, suæ Maiestati sacratissimæ, exoptant diuturnum; non ignorant tamen, Regum quoque & Principum statum, mutationi mortis esse obnoxium: ob quod, pernicioſi interregni statum, ab hoc regno arcere, pacisque & tranquillitatis desideratam requiem, stabilire volentes, dum intentis eo cogitationibus suis, de futuro ipsorum Rege, mature prouidendum laborant; Serenissimum principem* LEOPOLDVM, *Archiducem Austriæ, paternarum virtutum viuum repræsentatorem, ac Suæ Maiestatis sacratissimæ filium, in patre desideratissimum, sibi, ad hæc adflictissima rerum tempora, diuinitus prouisum & ordinatum, non sine singulari ipsorum solatio, contemplantur. Cuius desiderio, Status & Ordines, deuincti & prouocati, in futurum ipsorum Regem, post acceptas conditiones, accedente ad id suæ quoque Maiestatis benignissimo adsensu, & paterna benedictione,* SPONTE, ET LIBERE, VNANIMI VOTO ET CONSENSV RITE ET LEGITIME ELEGERVNT, *ac inuocato Diuini nominis auxilio, feliciter coronarunt; certam sibi pollicentes spem, suam Maiestatem paternarum virtutum obseruatorem, fidelibus suis Statibus & Ordinibus, Regia sua benignitate & gratia, iuxta benignam suam oblationem, præsto semper futuram.* E re visum est, integram adscripsisse sanctionem, vt præfocarentur, male feriatorum hominum cauillationes, seditionibus obtendentium; *obtrusum sibi* LEOPOLDVM *fuisse.* Coronationis solemnia, ritu veteri, pompa autem, qualem vidimus hucusque, haud minore, in stituta fuisse, annales passim referunt. De ea WAGNERVS: *(c.) Coactis Pisonium comitiis; quinque nobilium millia adfluxisse memorant;* LEOPOLDVS *Rex electus, & vetustis ritibus, coronatus est. Est, præter cetera, in more, vt nouus Rex, equo, in collem, seu terreum aggestum deductus, vibratum, in crucis figuram, gladium, ad quatuor orbis latera, circumferat, rei, nescio cui, significandæ?* Atqui, diserte significationem, eius cerimoniæ, BONFINIVS *(d.)* meminit: *Soluta*, inquit, *concione, reuersus;* (de WLADISLAI inauguratione ei sermo est,) *haud procul, in suburbii tumulum, accepto stricto gladio, quem Paullus præferebat, ad solis exortum & occasum: item, ad meridiem, & septentrionem, pro defensando regno, bellum, ex more, interminatur: Romanam quoque consuetudinem imitatus, cum a columna campi Martii, in partem futuri belli, consul hastam iacere consueuisset.* Illud faceti ominis quidpiam habuit, quod WAGNERVS porro memorat. *Quam rem in ludibrium vertens Budensis Vezirius, in lectum se dat, caput, velut*

Cæsar superat:

elegitur Leopoldus, summa voluntatum propensione, quam publica sanctio loquitur:

eius inauguratio, more patrio, peragitur:

quid gladii, in colle regio, vibratio, significet?

a.) In Historia LEOPOLDI M. Lib. I. p. 8. | *d.*) Decadis IV. Lib. X. p. 681, 46.

vulnere ſaucius, faſcia obligat; quiritatur; chirurgos adeſſe iubet. Mirantibus, qui ſanum noſſent, barbara facetia repoſuit: Vngariæ Regem, gladio, quem nuper dirum in modum vibraſſet, ingentem ſibi plagam impoſuiſſe. At, profecto erit, cum eadem, nequaquam ioco repetent, Ottomanni innumeri. Ita ſane euenit, quod & hiſtoriæ loquuntur, & noſtra ætas meminit. LEOPOLDI hanc inaugurationem, ELEONORAE, Caroli II. Mantuæ Ducis filiæ, quam ſibi FERDINANDVS, tertiis votis, anno MDCLI. pridie Calendas Maii, coniunxerat, præceſſit, quam recenſere *(e.)* non eſt opus, quia eo munere, in enarranda Reginarum coronatione, ſupra defuncti ſumus.

§. XIX.

Coronatio Ioſephi:

IOSEPHI demum ſucceſſit inauguratio, interlabente XXXII. annorum, curriculo. Incidit ea in annum MDCLXXXVII. partis, de Turca, victoriis, prorſus triumphalem. Hoſte nimirum, longe depulſo, vt partas ſuis auſpiciis victorias, in perennem *Hungariæ* felicitatem, verteret LEOPOLDVS, comitia, *Piſonium*, ad XVIII. Octobris diem, edixit. Adfuere *Ordines*, maiore, quam vnquam, alacritate, atque in his permulti, qui repudiatis *Tökölii* partibus, fidem Cæſari denuo adprobauerant. Hoc animorum calore vtendum ratus LEOPOLDVS, Octobri ſeneſcente, *Piſonium*, cum ELEONORA, & Archiduce IOSEPHO, acceſſit. Huc, antequam veniſſet, *Farkasfalvæ* Auſtriorum, magna horum, qui miſſi fuerant, reuerentia, conſalutabatur. Communis lætitiæ interpretem, *Georgius Féneſey*, Agrienſium præſul, egit, in hanc ſententiam loquutus: *Nondum Auguſtiſſime* CAESAR! *Auſtriæ fines egreſſus es, cum, quantam ex aduentu Tuo, letitiam capiant, Status & Ordines Hungariæ, me interprete, profitentur. Adſum, cum hoc, quem vides, comitatu, vt Te, Hungariæ, longa retro annorum ſerie euaſtatæ, reparatorem, victorem triumphatoremque hoſtium, conſalutem, atque vnus, reliquorum nomine, omni fide, obſequioque Tibi, Clementiſſime Domine! teſtatum faciam, Tua quidem præſentia, non incolumi modo ea, ſed innumeris etiam tropæis nobilitata, nihil iucundius, exoptatius nihil, Statibus & Ordinibus accidere poſſe. Nimirum, Tua ſalute, ſuam contineri rati, nouam ſibi in* IOSEPHO, *quem hic auſpicato contuemur, ſalutem exoriri ſpondent. Re vera enim, id ſibi nunc abs Te, in* IOSEPHO *dari exiſtimant Hungari; quod olim* Pharao, *Aegyptiis impertiuit: Seruatorem ſcilicet populi, patrem patriæ, & vt paucis multa complectar,* FELICIVM TEMPORVM REPARATOREM. *Ergo, age, Auguſtiſſime Cæſar! ſubi, regni Tui fines, &, quæ indixiſti comitia, Tuæ maieſtatis iubare, colluſtra, anima, recrea. Tu vero Sereniſſime* IOSEPHE! *a quo nobis, paternarum victoriarum, non modo perpetuum tenorem, ſed acceſſiones etiam tanto maiores pollicemur, quanto ſol, lunam & aſtra reliqua, ſplendore ſuo antecellit. Ingredere regnum*

comitiis indictis, ſuſcipitur:

Leopoldus, *cum* Ioſepho, *Piſonium aduentat:*

ſalutatur Farkasfalvæ, a Georgio Féneſey:

e.) Hiſtoriam integram, ſi lubet, lege apud ORTELIVM, Parte II. p. 169, b. ſeqq.

gnum, iure hæreditario, Tibi debitum; ingredere inquam, & quod felix, fauſtum fortunatumque ſit, reipublicæ Chriſtianæ, diadema Hungaricum, omnium Ordinum ſuffragiis, bono cum DEO, *capeſſe.* Simul hæc dixerat, *Féneſeyus*, Cæſar, in viam ſe dedit. Præſtolati, in finibus, *Status*, plauſu eum acceperunt, ad omnem, & pompam facto, & hilaritatem, deductumque in arcem, qua poterant, reuerentiæ ſignificatione, proſequuti ſunt. Pridie demum Calendas Nouembres, quid vellet Imperator, per *Iohannem Maholánium*, coactis, in palatium *Ordinibus*, ſermone *Hungarico*, exponit. Conſultum poſtea in commune fuit, rogatæque leges variæ, quas ſuo loco recognoſcemus. LEOPOLDI certe, vti princeps, ita cura fuit æquiſſima, vt IOSEPHVS quam primum, non tam electione, quam hæreditario iure, Rex crearetur. Quanta, in eam CAESARIS ſententiam, alacritate iuerint *Status*, ſanctio, *(f.)* quam tulere, loquitur. *Dum perpendentes*, inquit, Ordines, *Regum quoque, & Principum conditionem, mutationibus mortis eſſe obnoxiam, hoc ex reſpectu, eo cogitationes ſuas, quo Eadem Sua Maieſtas Sacratiſſima, poſt ſera etiam funera ſua, in auguſtiſſimis hæredibus ſuis, a feliciter continuando erga ipſos regimine & gubernio, non deſiſtat, in omne tempus dirigunt, deque inaugurando exinde futuro eorum Rege, & Domino, ad anteuertenda quoque exitioſa interregni tempora, mature prouidendum laborant, Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum* IOSEPHVM, *Archiducem Auſtriæ, &c. paternarum virtutum viuum ſpecimen, ac Suæ Maieſtatis Sacratiſſimæ primogenitum filium, in patre deſideratiſſimum, ad id ſibi cælitus prouiſum & ordinatum, non ſine mirifico ipſorum ſolatio, contemplantur. In cuius deſiderium, vt primum ipſis viſus eſt, ob ſingularem plane & eximiam, eamque Regiam indolem, Status & Ordines, ſupra, quam par credere eſt, rapti, ſuam Serenitatem in futurum ipſorum Regem, & Dominum Clementiſſimum, poſt acceptatos, benigno diplomati Eiusdem inſertos articulos, & ſuperinde ſubinſertam formulam, depoſitum iuramentum, accedente ad id, ſuæ quoque Cæſareæ & Regiæ Maieſtatis clementi adſenſu, & paterna benedictione, inuocatoque Diuini numinis auxilio,* VNANIMITER, *& fauſtis acclamationibus, rite coronarunt, certam ſibi pollicentes ſpem, Suam Maieſtatem, neo-coronatam, Clementiſſimi parentis, clementiſſimum filium, fidelibus Statibus & Ordinibus, benignitate & gratia ſua, nunquam & nusquam defuturam.* Nulla hic, ELECTIONIS mentio legitur, quam olim ſollicitiſſime ingerere moris fuit. Quinto Idus Decembris, ritu & pompa vetere, ſpectantibus LEOPOLDO, & ELEONORA, inaugurationis ſolemnitas, confecta eſt. *Georgius Szétsényius*, Strigonienſis pontifex, annos *ſex & octoginta* natus, regium adoleſcentis caput, diademate ornauit, cerimoniam illam, cygneo Simeonis cantico finiens: *Nunc dimitte ſeruum tuum,* DOMINE! *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, & quia ſedente Romano Pontifice* Innocentio, *hanc in throno innocentiam,* IOSEPHVM, *coronauerim!* Multum, ob inauguration em eam, *Tökölius*

ſanctio, de coronatione Ioſephi:

eam Georgius Szetsény:

magna animi voluptate perag it:

f.) Decreto A. MDCLXXXVII. Art. I.

Tökölii *inanis fremitus.*

lius ringebatur: quippe, armatus adhuc in Cæsarem, & ex Turcarum resarcita amicitia, ferox. Sed enim, in cælum exspuebat infelix, eo, quod *(g.)*

Sequitur superbos, vltor a tergo DEVS.

Iosephi, certe, vti inauguratio iustissima, ita, rei publicæ administratio, æquissima fuit: vt prorsus symbolo suo, quo vtebatur: Amore et Timore, responderit: dignus, cui cum vita diuturniore, imperii regnique contigisset perpetuitas.

§. XX.

Historia, inaugurationis, Caroli VI. Cæsaris, & Regis, indulgentissimi:

Svpererat, vt Caroli VI. Cæsaris Regisque, cuius hæc auspiciis scribimus, indulgentissimi, inaugurationem, quam is anno MDCCXII. *Pisonii* celebrauit, commemoremus: sed breuius tamen, quam pro rei magnitudine; tum, quod ritus in coronandis Regibus patrios, toties recoluimus; tum, quia difficile est, *nuper*am rei gestæ memoriam, verborum coloribus ad eum modum depingere, quin scribenti effluat quidpiam ex animo, cuius tamen recordatio subeat alios. Redux ex Hispaniis Carolvs, posteaquam Cæsareum diadema, Francofurti, anno MDCCXI. XXIII. Decembris, mira electorum omnium, in se vnum, propensione, accepisset, *Viennam* venit. Curarum hic ei præcipua fuit, vti pacatam nuper Hungariam, ægreque adhuc, post tot ciuiles clades, respirantem, consilio, ope, ac salutaribus legibus, refoueret. Igitur, *Pisonium*, ad tertium Nonarum Aprilis, comitia, missis quaquauorsum litteris, promulgat. *Hungari* certe, tot malorum, quæ tolerauerant hucusque, pertæsi, nihil prius ducebant, quam vt nouo Regi, sine cunctatione obsequium probarent. Coitur *Pisonii*, *ingenti numero* ac celebritate, fit consultationum *initium*. In eam præcipue curam *Statibus*, ex præscripto Regis, incumbendum erat, vt, quod esset, cum maiestate inaugurando sibi necessarium, maturius adpararent. Aberat *Pisonio*, sacra Corona: quippe, quam Leopoldvs, seditione *Rákócziana* admonitus, Viennam, ne inter domesticos fluctus periclitaretur, deferendam iusserat. Missi ergo sunt Coronæ custodes, *Nicolaus Pálffy*, atque *Adamus Collonitsch*, cum splendido procerum comitatu, vti diadema, Vienna, Pisonium reducerent. Id vero Caesar, haud grauate, quinimmo, solemni ritu *Hungaris* tradendum putauit. Nimirum, decimo sexto Calendas Maias, in Regiam venere proceres, vbi eos spectatissimus aulicorum ordo, opperiebatur. Deducti ad Caesarem, Solio, pro maiestate, insidentem reperiunt. Ei, cum, quid vellent, breui obsequentissimaque oratione exposuissent, respondit ille, cista, qua diadema, cum insignibus reliquis continebatur, commonstrata: *Tollerent, bona sua venia, sacrum diadema, sed ea fide, quæ*

reduxex Hispania, curam Hungariæ; suscipit, comitiaque edicit:

Corona, Pisonium, Vienna reuehitur:

g.) Seneca, Hercule furente, vers. 384.

quæ Custodes Coronæ deceret; cumque seditione compressa, necessum haud sit, aliena sede, diuinissimum munus seponi, darent operam, vt Pisonii, *sancte haberent tantisper, dum dies, ad inaugurandum præstitutus, auspicato illuxerit.* His dictis, prensataque, ab *Hungaris*, ad deosculandum, Regis manu, cista, a senis corporis custodibus, spectante Cæsare, & vtriusque gentis proceribus, tollitur, perque conclauia, comitante eam, *Antonio Floriano Lichtensteinio* principe, defertur in currum. Hic, vbi reposita fuit, Coronæ, quos meminimus, Custodes, *Pálffyus*, & *Collonitschius*, adsedere. Per portam regiam eductam, Cæsarei satellites, apertis capitibus, vltra munitiones extimas, comitabantur. Postea, triginta equitibus prætorianis, ad custodiam datis, *Pisonium*, ingenti populi atque procerum lætitia, inuehitur, pristinoque loco, magna religione, reconditur. Diademate, tamquam Palladio quodam, reciperato, id quod, seu accipiendo Regi, seu instruendis cerimoniis, opus fuit, eo maiore *Ordinum* studio, comparabatur, quod dies, quem Caesar, pompæ illi designarat, adpropinquaret.

adparatus reliqui.

§. XXI.

Caesar postea, decimo sexto Calendas Iunias, impedimentis, & comitatu reliquo, iam ante iussis præcedere, Vienna mouit, sumtoque apud *Fischamündam*, prandio, noctem *Petronellæ*, in commodissimo, *Trauniorum Comitum* prætorio, exegit. Sequente luce, qua *Pisonium* subeundum fuit, hinc profectus, *Wolffsthalæ*, nos *Farkasfalvam* dicimus, pransus est. Hic, cum esset, adfuere *Ordinum* legati, qui ei, felicem in *Hungariam* ingressum comprecarentur, fidemque, & obsequium testarentur. *Emericus Csáky*, Archiepiscopus Colocsensis, *nomine omnium*, vti fuit facundissimus, Cæsarem adlocutus; eum, vti Hungariam suam, *tot hucusque* malis pene confectam, subire, & moestos, ex Iosephi præmatura morte, *Ordines*, suo iubare, recreare, capessereque sacrum diadema, sibi vni, consummatissimo iure debitum, ne grauaretur, conceptissimis verbis rogauit: diserte professus, eas *Hungarorum* esse voluntates, *studia*que, vt spes sit haud dubia, si alias vnquam, nunc profecto, summa animorum consensione, non insignibus modo regiis potiturum, sed leges quoque rogaturum, lacerato regno necessarias. Paucis Caesar, sed ea audientium admiratione, respondit, vt omnium, qui aderant, animos, veneratione iuxta & amore sui, percelleret. benigneque dimissis, adfuturum se mox, spopondit. Rediere illi ad suos, cum Caesar, sublatis mensis, iter prosequutus, hora, post meridiem, prima, Hungariæ fines, vbi aduentantem *Ordines* præstolabantur, adtigit. Simul ponticulum, regionis, ab Austria, disterminatorem, transiit, *Christianus Augustus*, Cardinalis de Saxonia, & Strigonienſium præsul, Palatinus item Hungariæ, *Paullus Eszterházy*, S. R. I. Princeps, coro-

Carolvs, *Vienna, in Hungariam mouet:*

ab Ordinibus, ad porro pergendum, inuitatur:

fines regni contingit:

corona procerum comitante, augustali currui adpropinquant, deductumque in tentorium, quod secus viam instructum fuerat, CAESAREM, verba, *Cardinali de Saxonia*, faciente, quam possunt obsequentissime, consalutant. Tunc & CAESAR, suam, in gentem vniuersam, propensionem, testatus, bene de se, suaque clementia, *Ordines* sperare iubet, admissosque ad dextræ osculum, magna benignitatis significatione, a se dimittit. Mox, sumta *Hungarica* veste, conscensoque generosissimo equo, eo, quem cerimoniarum magistri struxerant, ordine, versus pontem progreditur: desultoria *Rabutini* legione, excubias, apertis campis, agente. Quod dum fieret, qui in arce erant, tormenta totis suggestibus displodunt; idem, & vrbici machinatores æmulantur. Interim, *Cardinalis de Saxonia*, & Archiepiscopus Colocsensis, viginti plus minus, seiugibus prælatorum carpentis, comitati, Cæsarem præcedunt, vt arcem subiturum, tamquam Regem Apostolicum, sacras vestes induti, cum *Benedictione*, acciperent. Vbi ad pontem naualem, quo Danubius iungebatur, ventum est, Cæsarem, vtroque latere, prætoriani sui incinxere. Pons ipse, ita *instructus* fuit, vt plures, vno ordine, equites transmitteret, haberetque latera, perpetuis adminiculis, ceu crepidine quadam, præmunita, ne præcipitio esset locus. His vexilla, rubei, albi, viridisque coloris, æquis interuallis, infixa fluitabant, familiares Hungariæ Regibus colores referentia.

& a Statibus accipitur:

versus vrbem progressus,

apud pontem, a prætorianis suis, incingitur.

§. XXII.

Pompa ad hunc modum deducebatur. Agmen vniuersum, summus hospitiorum metator, cum quatuor singulatoribus præibat. Instabat e vestigio, aulicorum turba, *Hungaricorum* iuxta, & *Germanorum* procerum famulitia. Tunc agazones Cæsaris ibant. Hos tubicinum chorus, cum prætoriano tympano, excipiebat. Postea, proceres Hungari, nitidissime exculti, equitabant. Succedebat his, Comes ab *Abensberg* & *Traun*, Austriæ inferioris *Mareschallus* quem Barones Regni Hungariæ, & qui Regi sunt a consiliis, sequebantur. Post hos, *Paullus Eszterházy*, Hungariæ Palatinus, & per interualla, *Antonius Florianus*, *princeps Lichtenstein*, tum Comes *Philippus Sigismundus a Dietrichstein*; ille summus aulæ, hic stabuli præfectus, fastose procedebant. Imminebat his ordinibus Imperator, *habitu Hungarico*, immensi pretii, indutus, & acinace, auro & gemmis distincto, succinctus, quin & crista, vnionibus redimita, conspicuus. Equitanti, nobilis vir, *ab Regenthal*, equorum domitor, sinistro latere, ad portam vsque *Vedritzianam*, pedes aderat, vti ferocientem equum, iniecta frænis manu, contineret. Cæsarem, summus *Camerarius*, Comes *Rudolphus Sigismundus ab Sintzendorff*, cum prætorianorum præfecto, *Leopoldo ab Herberstein*, sequebantur. Tum nobilium puerorum manus; inde prætorianorum tibicines; demum, *Comes*

Pompæ ordo:

Comes ab Vhlefeld, cum satellitum cohorte, incedebant. Agmen denique, aliquot legionis *Rabutinianæ* alæ, claudebant. Splendidissimo hoc ordine, vbi ad portam *Vedritzianam* ventum est, vrbanus prætor, cum consule, & senatu, nouum Regem, orante syndico, salutabant, claues simul, adulto illo more, deferentes. Et salutantium quidem gratulationem, benigne accepit CAESAR, oblatas autem claues, vix tantillum adtrectans, magistratus recipere iussit. Ingresso vrbem, per vtrumque plateæ latus, armati ciuium ordines, vsque ad *Michaeleam* portam, adstitere; Senatus autem equitantem, aperto capite, hinc atque illinc, in arcem vsque venerabundus comitabatur. Lentis passibus, vt id maiestati daretur, procedebatur: cum interim, alterum, machinæ, arcis & vrbis, festiuo boatu, disploderentur; de pinnis autem turris, quæ portæ *S. Michaelis* imposita est, perpetuus tubarum & tympanorum clangor audiretur. Vexillis eam, magistratus ornari curauerant, coloris, qualem ad pontis ornamenta, meminimus. Vrbe exeuntem, *Althania* dimacharum legio, & post eam pyrobolarum instructissimæ cohortes, accepere, inter quarum ordines, in arcem, triumphanti similis, introiit. Ingredientem, *Archiepiscopi*, quos diximus, & reliquus prælatorum ordo, salutauerunt, inque sacrarium, quod in arce est, deductum, cantato hymno *Ambrosiano*, *Benedictione* impertiuerunt. Atque, hæc quidem ingressus pompa, triumphalis æmula, fuit.

ingressus per vrbem:

aduentus in arcem, ab Archiepiscopis, *cohonestatus.*

§. XXIII.

VNdecimò demum Calendas Iunii, dies erat sanctissimæ TRIADI sacer, ritus inaugurationis, patrio more, concelebratus est. Ad pristinam certe magnificentiam, non modo nihil defuit; sed obseruatum etiam est, multis eam modis, veterum pompam exsuperauisse. Biduo ante coronationis solemnia, diadema, cistæ, cum insignibus inclusum, e conditorio, in Cæsaris conspectum adlatum est; vt id sacro capiti adaptaretur, & si quid reliquo ornatui, per vetustatem deesse cognosceretur, maturius, & debita cura, resarciretur. Res videbatur exilis, ne quid tamen temere fieret, aderant, qui ei moderarentur, præter Coronæ Custodes, Regni Hungariæ Palatinus, *Paullus*, princeps *Eszterházy*, *Adamus Erdödy*, Nitrienſis, & *Sigismundus Collonitsch*, Váczienſis, episcopi; item *Stephanus Battyány*, & *Thomas Nádasdy*, pluresque alii, ab Ordinibus isthuc missi. Adparatu facto, Corona in eadem cista, cum insignibus condita, suoque iterum loco, deposita fuit. Pridie eius diei, quæ solemnitati fuit præstituta, diadema, ex arce, in *D. Martini* templum, non minore pompa, quam si Rex ipse adfuisset, deductum est. Sublatum in conditorio, sex viri e proceribus lecti, currui augustali imposuerunt, aureis pannis cistæ superiniectis. Adsidebant ei, superiore loco, *Custodes*, inferiore, duo, e familiaribus Cæsaris. Et cur-

Ipse inaugurationis dies, quibus adparatibus inierit?

rum quidem *Palatinus*, cum prælatis, & optimatibus præcedebat, latera prætoriani cingebant; præsidiariis quadraginta, dimidiato, ex *Hungaris* & *Germanis*, numero, militari cum symphonia, subsequentibus. Vrbis magistratus, aduentantem *Coronam*, intra portam, cui a *S. Michaele* nomen, opperiebantur: ciues autem, armatis ordinibus, vsque ad *D. Martini* templum, toto, qua deducebatur, vico, substiterant. Vbi ad sacram ædem adpropinquatum est, proceres, qui in curru diadema reposuerant, idem tollunt denuo, & in sacrarium deferunt. Submouendæ multitudini, ne qua fieret perturbatio, quatuor Optimates, *Emericus Zichy*, *Paullus Nádasdy*, *Sigismundus Szétsény*, & *Antonius Ámade*, ianuas templi, cum duobus Comitibus Germanis, obseruabant. Sed & adytum, bini sacerdotes, Hungari item & Germani milites, senario vtrique numero, custodiebant. Extus ducenti, vtriusque gentis excubitores, cum viginti prætorianis collocati fuere. Orto inaugurationis die, *Coronæ* quidem *Custodes*, summo mane, in templo adfuere, diadema & insignia reliqua, adparaturi; *Ordines* autem, & qui ducendæ pompæ erant *delecti*, apud *Palatinum* coiuerunt. Hinc, facto agmine, in arcem itum est, cum interea præsules, cum Archiepiscopis, sacras vestes in templo sumerent. Vix septimam sonuerat, cum dato signo, profectio ex arce, inire cœpit. Præcessere famulorum omnis generis, numerosi, & ad luxum vestiti ordines; cœtu satellitum Cæsarianorum, familiariumque, subsequente. Simul hi progressi sunt, nobilitas Hungarica, phaleratis equis, habituque magnificentissimo perculta, inequitabat. Instabant mox, promiscui aulæ proceres. Tum equites aurei velleris ibant. quos pro Rex Hungariæ sequebatur: insistente caduceatore Hungaro, qui insigne regni præferret. Succedebat, cum stricto ense, aulæ, quem vocant, *Mareschallus*. Hi omnes præcesserant, cum CAESAR, veste amictus Hungarica, auro, & *vnionibus*, incredibilis pretii illusa, equo *inueheretur*: *milite prætoriano*, vtrumque latus, præcingente. Adequitabant ei, sed adductis retro passibus aliquot, hinc summus stabuli, illinc cubiculi præfectus, cum prætorianorum ductore. Vltimo loco, carpentum *Cæsaris*, octenis equis trahebatur: agmen vniuersum, *Neoburgensis* legionis cohortibus aliquot cogentibus. Ciues, iam quoque, per vici latera, suo ritu, sub signis, & in armis, stabant.

Cæsar, ex arce, splendido cum comitatu, in templum S. Martini venit.

§. XXIV.

Fiunt inaugurationis cerimoniæ, ritu patrio:

QVæ hinc inaugurando Regi, factæ sint cerimoniæ, quas cum collegis *Strigonienses* obibat, non est opus recognoscere. Sanctissime, quidquid veterrimi moris erat, a Rege, præsulibus & optimatibus, seruatum est. Breuiter nuperus scriptor, *(h.)* com-

h.) Decade Augusta CAROLI VI. p. 10. Male, *octona* fuisse *vexilla*, memorat: *decem* numerabantur: sicuti alias semper.

complexus rem omnem est. CAESAR, inquit, *quo anxiis Hungarorum suspiriis, faceret satis, Posonium concessit. Qua in vrbe, postquam eam, decima nona Maii, Hungarico amictu ingressus esset, vigesima secunda eiusdem, Coronam, e manibus purpurati Strigoniensis, Archi præsulis accepit. Prælata, maiorum more, octona vexilla, pro regnorum numero, aliaque, vt moris, facta. Rex coronatus, editiori in loco, iura, libertatemque populi se seruaturum, sacramento promisit primum; inde, ad collem, vt vocant, regium, equo tendens, ferrum, in quatuor orbis partes, vibrauit. Reliquum diei, magnifice transactum.* Ac vexilla quidem, quorum meminit, sequentes Regi prætulerunt: Hungariæ, C. Thomas de *Nádasd*; Dalmatiæ, C. Georgius *Erdődi* iunior; Croatiæ, C. Iosephus *Eszterházi*; Sclauoniæ, C Franciscus *Eszterházi*; Ramæ, C. Sigismundus *Battyáni*; Gallitiæ, C. Ioannes iunior *Pálffy*; Lodomeriæ, C. Iohannes *Csikulini*; Seruiæ, Petrus L. B. *Andrási*; Cumaniæ, C. Petrus *Eszterházi*; Bulgariæ, Georgius L. B. *Berényi*. Hos *Conseruatores Coronæ* sequebantur, Baculum Regium, C. Michael *Eszterházi*; Gladium D. Stephani, vagina conditum, C. Franciscus *Battyáni*, Pincernarum Magister, præferebant. Inde, Crucem Apostolicam pretiosis ornatam lapidibus, C. Sigismundus *Csáky*, Cubiculariorum Regiorum Magister; Pomum Regium, C. Iohannes *Pálffy*, Banus Croatiæ, Sceptrum, Curiæ Regiæ Iudex, C. Georgius *Erdődy*, pretiosis singula puluillis imposita, gestarunt. Tum, hinc C. Gabriel *Erdődy*, Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ Præpositus, infula, pontificioque habitu, ac prælta, quam manibus ferebat, Cruce argentea conspicuus; illinc, C. Iohannes *Kéri*, nudo gladio, & *Heroldus Hungariæ*, altero sceptro prælato; Augustissimo Cæsari anteibant. Denique, Archi-Episcopum inter Colocensem C. Emericum *Csáky*, & Agriensem Episcopum, Stephanum *Telekesi*, pontificiis ornamentis vestitos, medius Augustissimus, ad aram templi principem, adsonante tubarum tympanorumque plausu, processit. Cerimoniis, ex veterum *instituto*, rite peractis, cum post faustas procerum adclamationes, disploſaque, per arcis & vrbis mœnia, tormenta, ad Franciscanorum templum, pedestri itinere, inter duos Archiepiscopos medius Rex ingrederetur, paludamentum & sandalia S. STEPHANI indutus, atque coronam, capite gerens. Numos memoriales in vulgus iaciebant: Comites, *Emericus* & *Iohannes Zichy*; *Michael Petheö*; Baro *Stephanus Ratkay*; e nobilibus: *Nicolaus Sanko*, & *Alexander Nedeczky*. At templi ianuam, ne populus temere irrueret, *Petrus Révay*, & *Alexander Sennyei*, Barones; *Andreas* item *Török*, & *Iosephus Huszár*, obseruabant. Hinc, vbi Rex, creandis equitibus auratis aliquantisper operatus est, eques, extra vrbem, seruatis pompæ ordinibus, processit; recitatoque illic sub dio, sed loco editiore, iure iurando, quo se Regno, & Ordinibus, ex legum præscripto, obstringebat; collem regium, adiit, vt vibrato, quater in orbis plagas, gladio, defensandæ regionis studium, testaretur; tandem in arcem, reboantibus iterum tormentis, rediit. Regale hinc epulum instru-

regnorum vexilla,

& insignia, qui prætulerint?

sparsi in vulgus nummi memoriales:

regii epuli magnificentia:

instruebatur, cui CAESAR, patrio more, Archiepiscopos, Strigoniensem & Colocsensem, Palatinum item Regni, nunc vero, Nuncium quoque Pontificis, & Reipublicæ Venetæ legatum, adhibuit. Longum foret, ciborum opiparos adparatus, atque mensas secundas, vix vnquam pari instructas magnificentia, *(i.)* percensere. Accumbenti Cæsari, mantile Strigoniensis, peluim, Palatinus ministrabat.

Fercula gemmatis, qui poneret aurea vasis,

eius administri:

Comes *Petrus Zichy* fuit, cum insigni summorum virorum, dapes inferentium, numero. In his erant: *Stephanus Csáky*; *Franciscus Eszterházy* senior; *Michael Petheö*; *Franciscus Barkóczy*; *Thomas Szirmay*; *Ladislaus* & *Alexander Eszterházy*; *Sigismundus Szétsény*; *Stephanus* iunior, & *Iohannes Eszterházy*, Comites: item, *Paullus Mednyanszky*; *Alexander Sennyei*; *Paullus Berény*; *Casparus Révay*; *Antonius Amade*; *Sigismundus Nyáry*; *Gabriel Bellovitsch*; *Georgius Gillány*; *Iosephus Maholany*; *Nicolaus*, & *Petrus Szapáry*; *Iohannes Révay*; *Sigismundus Haller*, & *Iohannes Makary*, Barones. Sed a poculis, Comes *Franciscus Battyány*, erat: vt iam ministeria reliqua, taceamus. Inter festiuas dapes, bouem merito referimus, opimum sane & vario ferarum genere fartum, quem biduano igne, integrum assauerant Pisonienses lanii. Nimirum, in morem venit, vt nouum Regem, ciues Pisonienses, boue & vario obsoniorum genere, donent: id quod iam quoque, cum cura obseruauerunt. Ac bouem quidem, ex numerosissimo armento delegerant, vti mole grandem, pinguem & torosum, ita cornubus proceris, decoreque pansis & inauratis, venustum. Hunc laniones, corollis redimitum, instigante canum latratu, inter concentus musicos, & ipsi venustuli, per mediam vrbem, biduo, ante inaugurationem, in arcem, læto multitudinis spectaculo, subduxerant, deiectumque illic, insigni adhibita cura, assauerant. Eius demum caput, sed cornutum adhuc, cum dapsili carnis parte, in epulum, non sine spectantium plausu, illatum est. Quod reliquum erat, in vulgus, distribuebatur: vinum, festiuæ turbæ, rubrum illud, & album, gemino sileno, alternis sufficiente. Post, vbi ab epulo surrexit CAESAR, Status & Ordines, principum item legati, per plura triclinia, discubuere: tanta

orat in festiuis dapibus, bos assatus:

hilaritas publica:

commessantium hilaritate, vt, vix quisquam, nisi cum voto salutis, quod pro nouo Rege nuncupabatur, biberet. Itaque solemnes illæ voces, VIVAT CAROLVS, ROMANORVM IMPERATOR, NEO-CORONATVS REX HVNGARIAE! tota arce, & quasi ludente echo, resonabant. Nam, cum ex tricliniorum altero semel auditæ sunt, qui in vicino erant, clamorem festiuum & ipsi tollebant; quem, vt plebs, extra prætorium,

i.) Seruarunt eorum memoriam, Viennenses Ephemerides, & ex his *Fama Europæa*, Parte CXXX. p. 835. In primis vero, *Eruditi Tyrnauienses*, anno superiore MDCCXXXII. cum hæc nostra, iam elaboraueramus, eleganti commentariolo, *Coronationis* hanc *Historiam*, illustrauerunt, in appendice *Elogiorum* S. Hung. R. Coronæ, Commentario PETRI de REVA de S. R. H. Corona, adnexa. quam lectori commendamus.

rium, circa silenos, tostumque bouem, lasciuiens, auribus accepit, sufferebat festiuam vocem, inque vrbem propagabat. Ad hunc modum solemnis ille dies, summa omnium hilaritate, exactus est; vt non obscure præsagire visa sit *Hungaria*, quantum, in CAROLO VI. principem coronauerit, nimirum: PATREM PATRIAE, PIVM, PACIFICVM, FELICEM, TRIVMPHATOREM, REPARATOREM HVNGARIAE. Feliciter! Biennio post, die *S. Lucæ* festo, ELISABETHAE Augustæ, idem honor, haud dispari celebritate, habitus est: quam percensere, breuitatis studio supersedemus.

meliori omine haud caruit.

Atque hæc erant, quæ de inauguratis, apud *Pisonienses*, Regibus Hungariæ, dicere habuimus, vt illustribus his exemplis, constet, non gentem modo nostram, auiti moris, in diuinissima ea cerimonia, semper fuisse obseruantissimam; sed permultum etiam *Pisonio*, duobus retro seculis, ex frequenti hac solemnitate, accessisse celebritatis.

PRAEROGATIVARVM VRBIS *PISONIENSIS*, ARTICVLVS II.

DE *Insignibus, seu Clenodiis Regni Hungariæ, in Arce, & Inaugurationis tempore, in Vrbe Pisonienſi hoſpitantibus.*

PROOEMIVM.



Requens nobis INSIGNIVM REGNI HVNGARIAE fuit mentio, cum inaugurationum solemnia explicaremus. Admonemur ea re, vt sigillatim singula, expromamus: quando & id, ad Vrbis nostræ celebritatem referendum est. Tametsi enim perpetuam sedem, lege publica, in castro iis adsignatam nouimus; tamen, non communis modo ea vrbi, cum arce, prærogatiua est; sed quodammodo etiam illi præcellentior: quod hic quidem, sepulta quasi sunt in conditorio; ibi, ad cerimo-

rimonias inaugurandorum Regum, palam, & velut in vitam producta, ſolemni ritu, adhibentur. Quocirca, ad inſtituti, quod toto iſto capite conſectamur, rationes pertinet omnino, huius tantæ dignitatis haud dememineſſe. Enimuero, eſt hoc in felicitate vrbis ponendum, quod, ſicuti TROIAE olim, delapſum cælo PALLADIVM; ita *Piſonio* noſtro, *Sacrum Regni Hungariæ Diadema*, vt id, æterna in poſterum ſede tueretur, creditum eſt. Proinde, quod, conſultus de *Palladio*, *Apollo*, Troianis, id nos iam *Piſonienſibus* noſtris occinimus:

Aethereum ſeruate decus, ſeruabitis Vrbem!

SYNOPSIS.

Dicendorum ratio: natales CORONAE, *qui? an Græci?* Petri *de* Réua *opinio, quando Romam venerit? eiusdem ſententia, examinatur ab auctore: huius coniectura.* §. I.

Aliter Inchofferus, *epiſtolæ* Silueſtri *auctoritate fretus.* §. II.

Variæ Coronæ denominationes: dicitur Sancta, *& cur?* Angelica: Apoſtolica: *prærogatiuæ Coronæ aliæ.* §. III.

Sacræ Coronæ forma, verbis Petri *de* Réua *deſcribitur: mutilata eſt ſapphiro;* §. IV.

Summa S. Coronæ *apud Hungaros exiſtimatio: indignatio, in eius detentores:* Iani Pannonii, *ad* Fridericum III. *ob detentam coronam, epigramma: abſente corona, abſtinebant ſe inauguratione Reges:* Wladislai Poloni *coronatio, quomodo inſtituta? bella, ob S. Diadema geſta:* Nicolai Gáræ *dictum: ſpuriæ coronæ abrogatio.* §. V.

Fata S. Diadematis: Hrabeczii *de iis carmen.* §. VI.

Hungarorum, in cuſtodienda Corona ſtudium: Matthiæ Coruini, *in eam rem, ſanctio: Diadematis conditorium* Wiſſegrádum; *& cur non* Buda? *Wiſſegrádi ſitus; & moles: conditorii habitus & religio: noua, de cuſtodia Coronæ lex,* Wladislao II. *præſcripta.* §. VII.

Coronæ, poſt cladem Mohácsianam, fata: quomodo in poteſtatem Solymanni *venerit? redditur* Iohanni: *ac tandem* Ferdinando. §. VIII.

Primus S. Coronæ, Piſonium, *aduentus; ſed temporarius: quando hic perpetua ei ſedes cœpit eſſe: leges, de ea re latæ: quomodo Hungari, deductam Piſonium* Coronam *acceperint? Poſt* Matthiæ II. *coronationem, noua lata lege: conſtitutisque cuſtodibus, in arce* Piſonienſi *reponitur:* Réuaii, *circa eam rem, prouidentia: iurisiurandi, qua ſe, cum collega obſtrinxit, formula.* §. IX.

Quid conſequutum inde ſit? Ferdinandi II. *inauguratio: noua* Coronæ *captiuitas: & cum* Bethlenio, *peregrinatio: vindicatur in libertatem, pace Nikelsburgenſi: reditque, ex legis præſcripto,* Piſonium: *metu belli ciuilis* Iaurinum: *ac noſtra ætate,* Viennam, *ſubducitur: delapſis, in conditorium, fulminibus, nil quidquam læditur.* §. X.

SCEPTRVM, *regiæ Maieſtatis index, vnde dicatur: imitatione Iouis, transfertur ad regum inſignia: nonnunquam regna ipſa notat ſcriptoribus.* §. XI.

Sceptrorum, apud veteres, habitus: quando a Romanis cœpta adhiberi. §. XII.

Digreſſioni huic modus ponitur, geſtandi ſceptri conſuetudo, ad reges Chriſtianos pertingit. §. XIII.

Sceptrum Hungaricum, *vnde traxerit originem: eius forma differt ab Europæorum reliquis: forte claua eſt* S. Stephani: *ſceptri ſignificatio.* §. XIV.

GLOBI, *ſeu* POMI *aurei, nomina: ortus, indagatu difficiles: an Perſis? vel Romanis tribuendi?* §. XV.

Qui inter Imperatores, primi globum, in nummis geſſerint? qui inſigniuerint cruce? §. XVI.

Pomi Hungarici hieroglyphicon: quando id inter Hungariæ inſignia relatum ſit? eius materia, & forma: item ſignificatio. §. XVII.

GLADIVS, *peculiare, Regum Hungariæ inſigne: eius, in deſignandis belli ducibus, apud Romanos, vſus: gentes item reliquas.* §. XVIII.

Enſis, vetus eſt Hungaris inſigne: poſt Chriſtum *agnitum, abrogatum: hodierni origo: forma: quid ſibi velit* Enſis *Hungaricus.* §. XIX.

PALLII, *ſeu* Paludamenti, *dignitas ac vetuſtas: ſit indulgentia Cæſarum Chriſtianorum, patriarcharum ornamentum: hic de regio ſermo eſt.* §. XX.

Pallii, *Regum Hungariæ, qui ſit habitus? opus Græcanicum: & eius interpretatio: qua ſit in exiſtimatione apud Hungaros:* Petri Réuaii, *ſingu-*

ſingulare, in eam rem, exemplum. §. XXI.

CHIROTHECAE, *ignotum apud veteres amiculi genus: apud Romanos etiam propudioſum: fiunt militare indumentum: immo ornamenta principum; etiam apud* Hungaros: *quid ſibi velint* Chirothecæ *Regum?* §. XXII.

Caruerunt Calceis *priſci homines: eorum origo: vertuntur in luxum: a Diocletiano, inter ornamenta regia, referuntur.* §. XXIII.

Hungari id ornamenti genus, imitatione Græcorum, receperunt: quomodo Réuayus *id interpretetur: calceorum regiorum habitus.* §. XXIV.

Olim, plura fuere ornamenta regia: deſunt iam, Crux Apoſtolica: *& alia non pauca: vexillum* S. Stephani, *quo caſu interierit.* §. XXV.

§. I.

I. De Sacra Regni Hungariæ Corona.

Dicendorum ratio:



REgni Hungariæ CORONAM, diuiniſſimum pignus, deſcripturis, plura ſe ingerunt, quam, quæ ex inſtituti ratione, pro eo, ac deceret, proſequi poſſimus. Compendio itaque vtemur, ſatis habituri, ſi lectorem haud dimiſerimus ignarum, qui *Coronæ* natales, qualis in Hungariam aduentus, quæ inde fata fuerint, & quæ ſit eius, apud gentem noſtram, hodieque, veneratio. Ac natales quidem eius, ætati CONSTANTINI M. deberi, PETRVS de RÉVA *(a.)* auctor eſt, pluribus, id vt crederet, rationibus adductus. quæ huc redeunt: *Referre, Coronam, in baſi, & nomen, & imaginem* CONSTANTINI, *cum Imperatoribus Græcis aliquot; oſtentareque, non ſuper apſidibus modo, crucem, victoriæ* CONSTANTINI *teſſeram; ſed, cum Icone Seruatoris, litteras quoque, nomen* CHRISTI, *compendiaria ſcribendi ratione, qualem, poſt victum Maxentium, & Licinium, adhibuerit, in ſignis militaribus expreſſum. quibus id egregie velificaretur, quod, coronæ opificium, artem referat græcam, ætate* CONSTANTINI, *nimiopere inualeſcentem. Certe, ſi Romæ fabrefacta fuiſſet, non Græcis, ſed latinis litteris, inſigniri eam oportuiſſet.* Hæc ille, quibus meliora, certioraque, vix quisquam dederit. Sed, cum a Romano Pontifice, primo Hungariæ Regi, S. STEPHANO, miſſam fuiſſe conſtet, quomodo quæſo illuc delatam credemus? Pulchre, vti ſibi viſus eſt, rem expediuit RÉVAYVS; *Occurrebat mihi,* inquit, *in celebri Hiſtorico* PLATINA,

natales Coronæ, qui? an Græci? Petri de Réua *opinio:*

quando Romam venerit, eiusdem ſententia:

a.) Coronæ Hungariæ Cent. VII. pag. 141. ſeqq.

TINA, *in vita* SILVESTRI *Pontificis, inſignis locus, vbi ſcribit,* CONSTANTINVM M. *primum ex Imperatoribus Romanis Chriſtianum, vt devotum erga religionis Chriſtianæ amorem & ſtudium, teſtaretur, diadema aureum, gemmis diſtinctum, donaſſe, inter alia plura munera, & beneficia Eccleſiaſtica, Epiſcopis.* Et locus quidem PLATINAE *(b.)*, ſic habet: *Pontificibus, diadema rubeum, diſtinctum gemmis, concedebat; quod quidem, Silueſter aſpernatus, tamquam religioſo capiti minime conueniens, phrygia mitra, & candida tantummodo, contentus fuit.* Non ergo SILVESTRO, aureum diadema, CONSTANTINVS M. miſit, ſed indulſit tantum, vti, ob muneris dignitatem, *rubeum* diadema, gemmis percultum, geſtaret. Proinde, credamus licet, a CONSTANTINO M. arceſſi oportere Coronam noſtram; ex *Platinæ* tamen teſtimonio iſto, *Romam* tunc fuiſſe adlatam, difficiliter euincemus. RÉVAYO interim, res ita certa eſt exploratque, vt ſingulare hic prouidentiæ diuinæ documentum obſeruet. *At enim, quo pacto,* inquit, *inter tot ſecula, ac diſcrimina, inter gazas & theſauros Pontificum Romanorum, latuiſſet, donec,* DOMINO STEPHANO *conferretur, id ſane, non vulgare prouidentiæ diuinæ, documentum eſt.* Nobis perſuaſum fere eſt, ſicuti Coronæ natales, non plane nullo iure, ad *Conſtantini* tempora referri, eiusque liberalitati, ceu auguſtale quoddam donum, adtribui, quo is *Pontifices Romanos,* honorarit; ita dubium minusque exploratum in hiſtoria eſſe, quo id tempore, quaue occaſione acciderit.

examinatur ab auctore:

eius coniectura.

§. II.

AT enim, fatiſcit hoc, quidquid eſt, veroſimilis coniecturæ, ſi INCHOFFERVM *(c.)*, diligentiſſimum, annalium Eccleſiaſticorum Regni Hungariæ, conditorem, audiamus. Is vero, non miſſam modo, a SILVESTRO II. ſed conflatam etiam, iuſſu eius, Coronam, adſerit, fretus auctoritate *Epiſtolæ*, quam cum diademate, per *Aſtricum* internuncium, ad STEPHANVM dederat. Adſcribemus eam, non vna cauſſa adducti. Eſt autem huiusmodi:

Aliter Inchofferus, *epiſtolæ* Silueſtri *auctoritate, fretus:*

SILVESTER EPISCOPVS,
SERVVS SERVORVM DEI,

STEFANO DVCI VNGARORVM,
Salutem, & Apoſtolicam benedictionem!

LEgati Nobilitatis TVAE, in primis vero, cariſſimus Confrater noſter, Aſtricus, venerabilis Colocenſis Epiſcopus, tanto maiori, cor noſtrum lætitia

b.) In vita SILVESTRI I. p. m. 92. Editionis Batauæ A. MDCXLV. 12.

c.) *Ex Tragurienſi* Archiuo, ab *Antonio Veráncio*, excerptam ſibi, a *Raphaële Leuacouicz*, ſubmiſſam ſcribit, INCHOFFERVS, ad an. 1000. p. 255. SILVESTRI hanc epiſtolam; de qua IOHANNES LVCIVS, magnæ adcurationis ſcriptor, in notis, ad MARCI MARVLI *Hiero-*

lætitia adfecerunt, ac minori, officium ſuum, labore confecerunt, quanto diuinitus præmoniti, cupidiſſimo animo, illorum aduentum, de ignota nobis gente, præſtolabamur. Felix legatio, quæ cæleſti præuenta nuncio, atque Angelico pertractata miniſterio, prius, DEI concluſa decreto, quam a nobis audita fuiſſet. Vere non volentis, neque currentis, ſed, ſecundum Apoſtolum, miſerentis eſt DEI: qui teſte Daniele, mutat tempora & ætates: transfert regna, atque conſtituit: reuelat profunda, atque abſcondita, & nouit, in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt; quæ, ſicut docet Iohannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo, gratias agimus Deo Patri, & Domino noſtro IESV CHRISTO, *qui temporibus inuenit ſibi Dauid, filium Geyſæ, hominem, ſecundum cor ſuum, & luce irradiatum cæleſti, ſuſcitauit illum paſcere Iſraël, populum ſuum, electam gentem Vngarorum; deinde laudamus pietatem ſublimitatis TVAE in DEum, & reuerentiam erga ſedem Apoſtolicam, cui diuina patiente miſericordia, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro, Apoſtolorum Principi, regnum, ac gentem, cuius Dux es, cunctaque TVA, ac TE ipſum, per eos legatos, & litteras, perpetuum obtuliſti, digno præconio commendamus. Hoc enim facto egregio, aperte teſtatus es, & reuera TE talem merito eſſe demonſtraſti, qualem, vt nos TE declarare dignaremur, ſtudioſe expetiuiſti. Sed parcimus. Neque enim neceſſe eſt, vt, quem tot ac talia præclare pro* CHRISTO *geſta facinora, voce publica, clamant, quemque Deus ipſe commendat, amplius commendemus. Quare, glorioſe Fili, cuncta a nobis, & Sede Apoſtolica expoſtulata; diadema, nomenque Regium, Strigonienſem Metropolim, & reliquos Epiſcopatus, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum, Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate, præmonente atque ita iubente, eodem omnipotente DEO, cum Apoſtolica & noſtra benedictione, libenter conceſſimus, concedimus, & impertimur. Regnum quoque, a munificentia TVA, S. Petro oblatum, Teque vna, ac Gentem, & nationem Hungaricam, præſentem, ac futuram, ſub protectionem Sacræ Romanæ Eccleſiæ acceptantes, prudentiæ TVAE, hæredibus ac legitimis ſucceſſoribus Tuis, habendum, tenendum regendum, gubernandum & poſſidendum, reddimus, & conferimus. Qui quidem hæredes, ac ſucceſſores TVI quicunque, poſteaquam per Optimates legitime electi fuerint, teneantur ſimiliter nobis & ſucceſſoribus noſtris, per ſe, vel per legatos, debitam obedientiam & reuerentiam exhibere, ſeque Sacræ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubiectos non habet vt ſeruos, ſed vt filios ſuſcipit, vniuerſos ſubditos eſſe oſtendere, atque in Catholica fide, Chriſtique Domini, ac Saluatoris noſtri religione, firmiter perſeuerare, eandemque promouere. Et quia, Nobilitas Tua, Apoſtolorum gloriam æmulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum prædicando, eiusque fidem propagan-*

Hieronymum p. 459. *b. Compertum mihi & notiſſimum eſt*, inquit *illam, quam ipſe* INCHOFFERVS *refert*, SILVESTRI *Papæ, epiſtolam, An. M.* STEPHANO, *Duci Hungariæ ſcriptam, in Archiuo Tra-gurienſis Eccleſiæ, non reperiri; cum diligentiſſime, a me recenſitum ſit, neque in eo, vllam antiquiorem ſcripturam, Anno* 1185. *reperiri.* Sed nos hæc, aliis relinquimus diſputanda.

pagando, gerere non eſt dedignata, noſtrasque, & ſacerdotii vices, ſupplere ſtuduit, atque Apoſtolorum principem, præ cæteris ſingulariter honorare; idcirco, & nos, ſingulari inſuper Priuilegio, Excellentiam Tuam, Tuorumque meritorum intuitu, hæredes ac Succeſſores Tuos legitimos, qui, ſicut dictum eſt, electi atque a Sede Apoſtolica adprobati fuerint, nunc & perpetuis temporibus, condecorare cupientes, vt, poſtquam Tu, & Illi, Corona, quam mittimus, rite, iuxta formulam Legatis Tuis traditam, coronatus, vel coronati exſtiterint, Crucem ante ſe, Apoſtolatus Inſigne, geſtare facere poſſis & valeas, atque illi poſſint valeantque: & ſecundum quod Diuina gratia, TE & illos docuerit, Eccleſias Regni Tui præſentes, & futuras, noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum vice, diſponere, atque ordinare, Apoſtolica auctoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus, ſicuti in aliis litteris, quas in communi ad Te, Optimatesque Regni, & cunctum fidelem populum, per nuncium noſtrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, plenius hæc omnia explicata continentur. Oramus Omnipotentem Deum, qui Te, de vtero matris vocauit nomine tuo ad Regnum, & Coronam, quique Diadema, quod Duci Polonorum, confectum per nos fuerat, Tibi, dandum mandauit, augeat incrementa frugum iuſtitiæ ſuæ, nouellas plantas Regni Tui, rore ſuæ benedictionis perfundat largiter; Regnum Tuum Tibi, Teque Regno ſeruet incolumem; ab hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus protegat; ac, poſt terreni Regni moleſtias, in cæleſti Regno, Corona adornet æterna. Datæ Romæ VI. Kal. April. Indictione decima tertia. Hoc eſt, anno Chriſti *M.* die *XXVII. Martii*, qui tunc incidit in feriam quartam. Plura hinc diſcimus; nam, & diadema *(d.)* Romæ factum; litteræ aiunt: *quod* inquit, *Duci Polonorum confectum per nos fuerat*; & miſſum *(e.)* S. STEPHANO, non a *Bonifacio VII.* neque a *Benedicto VII.* ſed nec a *Gregorio V.* verum a SILVESTRO II. prorſus adfirmant.

§. III.

FAcilis nunc eſt, nominum, quibus Hungari, Coronam noſtram inſignimus, explicatio. Nam, & SACRAM, & ANGELICAM & APOSTOLICAM adpellamus. Ac ſanctitatis quidem rationem, hanc reddit, MARTINVS SCHMEITZELIVS *(f.)* SANCTA *quidem atque* Sacra *dicitur, partim, quod DEI ſanctiſſimi nutu ac voluntate, ſub auſpiciis atque*

Variæ Coronæ *denominationes:*

dicitur Sancta, & *cur?*

d.) Idem CHARTVITIVS in vita S. STEPHANI, videtur adſerere, in collectione ſcript. Rer. Hungar. p. 272, 13. & BONFINIVS, Decade II. Libro I. p. 172, 52.

e.) Sunt hic apud Scriptores diuortia ſententiarum. Nam, pro BONIFACIO VII. *Thomas Iordanus*, in notis ad *Dubrauii Hiſt. Boh.* Lib. VI. p. m. 46. a. facit; BENEDICTVM VII. tuetur BONFINIVS, Decade II. Lib. I. p. 147, 51. & ISTVANFFYVS Lib. I. p. 6, 1. Item, VERBÖCZIVS, Decretorum S. STEPHANI, exordio; vbi margo, GREGORII V. ſed ex aliorum ſententia, meminit. Nos eam pietatem, SILVESTRO, chronologiæ in primis rationibus inducti, adſcribimus. Eius vitam, legeſis apud PLATINAM, p. m. 353.

f.) Commentatione hiſtorica, de *Coronis*, diſcurſu ſpeciali, de *Regni Hung. Corona*, Cap. I. p. 206. & de *Inſignibus Hung.* Cap. II. p. 10.

que incunabulis ſanctæ *religionis Chriſtianæ, primo Hungarorum Regi Chriſtiano*, ſancto *ſcilicet Stephano, miſſa, atque oblata fuerit; partim etiam, quod non ſolum eius apſides, ſuperne ſe mutuo interſecantes*, ſanctam *formant crucem; ſed & apici eius, ſingulari ſtudio*, ſanctiſſimæ *crucis ſignum ſit impoſitum.* Adde *Sanctum (g.)* id dici ſolere, quod ſit inuiolabile, atque, ob eximiam excellentiam, prorſus intemeratum. quæ vocabuli notio, ſicubi, in regum profecto diadematibus, locum reperit; id quod, in *Hungarico*, tot memorabiles euentus, non vno exemplo, comprobauere. INCHOFFERVS *(h.)* ab Hungarorum veneratione, id nominis petit: *Nemo, vt Rex legitimus*, inquit, *habetur, niſi qui prima illa corona, quæ* STEPHANI, *primi Regis, caput cinxit, nempe, angeli monitu a* SILVESTRO *Papa, miſſa, coronatus. Ea de cauſſa*, Sacram *vocant, & incredibili ſtudio, loco & cuſtodibus deputatis, conſeruant; non aliter, quam ſi ſalus & religio Hungariæ, ex ea penderet.* Hæc ille. Porro ANGELICAM, ſic dicunt, a monitore Angelo, qui SILVESTRVM docuit, non *Polonorum*, ſed *Hungarorum* Duci STEPHANO, adparatum diadema, mittendum. *Nocte enim eius diei*, verba ſunt CHARTVITII *(i.) quo ſtatuerat Pontifex, coronam Polonorum principi perferendam, adparuit ei angelus Domini, aitque ad eum: Noueris cras, hora diei prima, ignotæ gentis nuncios ad Te venturos, ſuo Duci coronam Regiam, & Apoſtolicæ benedictionis munus, abs TE expetituros. Eam ergo coronam, quam parari iuſſiſti, illis incunctanter tribue, ad ipſorum eam ducem abſportaturis: nec dubites, illi eam, cum regni gloria, pro vitæ eius meritis deberi.* Itaque, hoc indicio admonitus Pontifex, Coronam *Miesconi* deſtinatam, STEPHANO per *Aſtricum*, qui rogatum venerat, magna propenſæ voluntatis ſignificatione, miſit. Vulgus profecto in ea eſt opinione, cælitus, *Angeli* miniſterio, adlatum diadema, id meruiſſe, vt *Angelicum* diceretur; quod vnde manarit, ex his, quæ diximus, ſatis adparet. Denique APOSTOLICAM, non vna cauſſa, vocamus. Nam, & *Apoſtolorum* icones, circum expreſſas habet, &, a *Sede Apoſtolica*, Hungarorum *Apoſtolo*, STEPHANO miſſa eſt. Certe, huc reſpexiſſe eos, qui primi ita nominauerunt Coronam, eo minus ambigendum eſt, quo luculentius SILVESTRI epiſtola, collatam S. STEPHANO, cum diademate, prærogatiuam *Apoſtolicam*, condocet. Diſerte CHARTVITIVS: *Ego*, inquit, *ſum Apoſtolicus, at ille merito Chriſti Apoſtolus dici poteſt, cuius opera, tantum ſibi populum Chriſtus acquiſiuit.* Peculiare eſt, quod, ad CORONAE dignitatem refert INCHOFFERVS *(k.)*; *Quæ*, inquit, *dum de dignitate Coronæ Hungaricæ adſtruimus, neque tamen negamus, hanc ipſam, alia diuinitus prærogatiua, fuiſſe munitam, vnde Sanctitatis veneratio augeretur. Nam, quod Regibus Angliæ, Arragoniæ, Franciæ; Principibus item Auſtriæ, ab*

Angelica:

Apoſtolica:

prærogatiuæ Coronæ aliæ:

g.) Legeſis, de vocis ſignificatione, MACROBII Saturnal. Lib. III. Cap. III. p. m. 302. ſeqq.

h.) Loco citato, pag. 304.

i.) In vita S. STEPHANI, pag. 272. cui adde, BONFINIVM Decade II. Libr. I. p. 174, 50.

k.) In *Annalibus Eccleſiaſticis* Regni Hungariæ, ad Annum M. p. 263. E.

ab Habſpurgenſibus oriundis, aliisque datum quidam adſerunt, vt rite coronati, poteſtatem ſanandi ſtrumas acciperent; id etiam STEPHANO, *& reliquis Hungariæ regibus, conceſſum; vt ſingulari quadam gratia, non iam ſtrumas, ſed longe deterioris morbi, hoc eſt, cuiusuis ictteri ſanandi virtutem haberent. Scio item, quod probati quidam auctores tradunt, regibus Gallorum, vna & Anglorum, diuina gratia, obtigiſſe, vt annulorum vſu, quos benedixiſſent, lues comitialis depelleretur. Hiſpanorum præterea regibus, agnatam facultatem, qua dæmones, ex obſeſſorum corporibus, exigerent. Sed enim, ſingularis prærogatiua Regum Hungariæ eſt, & regibus duntaxat Angliæ, mira quondam religione claris, ex parte conceſſa, morbum quemuis, ex veneno epoto, aut virulento viperæ, aut alterius cuiusque beſtiæ, letifero morſu enatum, impreſſo crucis ſigno, compeſcere, ſanitatem priſtinam reuocare: quidquid tandem hinc liceat, ſiue de poteſtate, ſiue de auctoritate, & dignitate, adſtruere: malim enim, regibus cum Sanctitate adeſſe virtutes, quam de eorum auctoritate, diſputare.* Neſcio vero, ſaltem non reperio in hiſtoria, exercuiſſe, hanc ſanandorum morborum facultatem, Reges Hungariæ: ſuffecerit, rem hoc loco meminiſſe. Iſta, de *Coronæ* nominibus.

§. IV.

FOrmam diadematis, nemo, PETRO de RÉVA *(l.)* αὐτοπτῆ καὶ φυλακτῆρι, accuratius deſignauerit. *Eſt*, inquit, *forma ſacræ Coronæ, auro ſolido, artificio ſculpturæ, magis cæleſti, quam humano, in orbem fuſa, a cuius latiore circumferentia, pariter pinnæ florentes, forma triangulari, circumeminent, quatuor angulis rectis, apſides, ſe mutuo interſecantes, deſinunt in crucem. In ipſa vero circumferentia, a fronte recta, imago* SALVATORIS *noſtri, pomum tenentis, ex aduerſo, diuæ Matris Virginis, & deinde, ſacerrimus Apoſtolorum ordo, Regumque, ac Imperatorum Chriſtianorum, vt videre licet, litteris Græcis, cuiuslibet imaginis ſpecies, aureis vultibus, ac propriis trophæis, per totum corpus, vsque ad crucem ſummam, mutuo conſequuntur: interiectis, cuilibet imagini, gemmis ac vnionibus, candicantibus, item, precioſioribus lapidibus, Smaragdo, Sapphiro, Hyacintho, Chryſolyto, Rubino.* Non eſt opus, myſteria adſcribere, quæ ex iſto coronæ habitu, coniectat RÉVAYVS *(m.)*. Illud luce meridiana clarius eſt, quod & ſupra monuimus, opus Græci eſſe artificis, antiquitate, nulli diadematum *Europæ* ſecundum: tametſi haud negauerimus, pretio, gemmarumque adparatu, ſuperari a plerisque. Pergit, in deſcribendo RÉVAYVS. *Ab aurium naturali parte vna, quatuor; ab altera, totidem gemmæ pretioſiores, octo, ex catenulis aureis dependent, appendicum veluti loco, quæ ad leuem capitis ſacri motum, mutua quaſi harmonia, ſe commouent, vt nimi-*

Sacræ Coronæ forma, verbis Petri *de* Réua, *deſcribitur:*

l.) Ibidem. pagina 143.

m.) Adde, CHRISTOPHORI LACKHNERI. I. V. D. & *Conſulis Sempronienſis; Emblematicam, Sacræ Coronæ Hungaricæ* deſcriptionem, forma quadrip.

nimirum Rex, aures, diuinæ, & humanæ conseruandæ iustitiæ; accusanti vnam, (n.) reo commodaret alteram, & omnia, ad diuini nominis gloriam, famamque bonam, & existimationem referret. Nona vero singularis, a posteriore parte Coronæ, qua occiput circumdat, appensa catenula, in modum reliquarum conspicitur. Hæc ille, de Coronæ forma ornatuque, prodidit, triplicis inaugurationis solemnibus, quibus intererat, explorata. Dolendum vero est, non potuisse fieri, quin diuinissimum pignus, inter tot raptus, contaminaretur. SAPPHIRVS, eximiæ magnitudinis, nescio, cuius maleficio, *Coronæ* derasus fuit, iam tunc ante CORVINI tempora: quam diadematis mutilationem, inter signa habebant *(o.)*, qui id, post XXIV. annorum captiuitatem, auspiciis MATTHIAE, sumtu autem regionis, a FRIDERICO III. *Neapoli Austriæ*, redemerunt.

mutilata est Sapphiro.

§. V.

Summa S. Coronæ, apud Hungaros, existimatio:

EST vero, sacri diadematis, in Regibus inaugurandis vsus, apud *Hungaros*, tantæ venerationis, vt nemo Regum, tametsi summa, primorum, & populi consensione, electus, Regem se, pro eo, ac decet, gerere possit, nisi eodem rite redimitus. Itaque, haud quidquam olim *Hungari*, grauius ferebant, quam, detentam, ab exteris, Coronam. IANVS certe PANNONIVS *(p.)*, gentis nostræ poëtarum φωσφόρ, in epigrammate, popularium suorum mentem, expressit:

Indignatio in eius detentores:

Iani Pannonii ad Fridericum III. ob detentam Coronam, epigramma:

Quid retines nostram, CAESAR, FRIDERICE! Coronam?
Fausta vnquam genti, non fuit, illa, Tuæ.
Testis erit primæ, fraudatus flore iuuentæ
HENERICVS, Stephano, quem pia Gesla dedit.
Testis bis pulsi lethum miserabile PETRI,
Ac SALOMONIACAE crebra ruina fugæ.
Testis, quin etiam, spoliati casus OTONIS,
Nec non ALBERTI, mors properata TVI.
Horum Tu, si quid sapies, exempla timebis,
Felix alterius, qui cauet ipse malo.
Nec tanti facies, tam vani nominis vmbram,
Fatorum vt similes, experiare vices.

Ab *Elisabetha* certe, ALBERTI vidua, id cum primis gentis animos abalienauerat, quod, subreptum clam diadema, posthumo velificatura, in Austriam ad FRIDERICVM exportauerat. Vt *Venceslaum* Bohemum, & *Ottonem* Bauarum, taceamus. quorum vtrumque, habitum irreuerentius, regno proturbauit. Proinde, absente *Corona*, aut inauguratione electorum regum, prorsus se abstinebant Hungari: quod MATTHIAE CORVINI exemplo patet; aut, decerpto, ex S. STEPHANI simulacro, diademate, sacram cerimoniam faciebant. Semel id, in WLA-

absente Corona, abstinebant se inauguratione Reges:

z.) Recte SENECA, Medea v. 199.
Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud æquus fuit.

o.) REVA, v. pag. 43. fine.

p.) Apud IOHANNEM PHILIPPVM PAREVM, in *Deliciis Poetarum Hungaricorum*, p. 243. prodiit Liber *Francofurti* An. MDCXIX. forma 12.

WLADISLAO Polono, euenisse legas, magna primorum, quod ablatam, per sacrilegium, Coronam, tantæ solemnitati, regina subduxisset, indignatione. Audiendus est BONFINIVS *(q.)*: *Vbi satis*, inquit, *inter principes, de coronando* WLADISLAO, *conuentum erat, Wisegradum omnes, ad referandum ærarium, accipiendumque sacrum diadema, concessere. Patefacto ærario, cuncta integra inuenere, Coronæ tantum, ab* ELISABETHA *subtractæ, furtum deprehendere. Hinc turba ingens inter proceres oborta, hinc prima pernicioſi ac diuturni belli auspicia læua sunt edita; infremere multitudo cœpit, & factionum vulnera, quæ cicatricem nondum obduxerant, recrudescunt. Pars Polonica, ad regalem Albam extemplo properandum, Regemque coronandum exclamat: sacrum Albæ diadema non defuturum; Reges, non peregrinæ feminæ, sed Hungarorum auctoritate fieri oportere. Subticebant, præ metu, & pudore, quicunque reginam, & pupillum diligebant. Nonnulli, reginæ facinus improbare, dicere, nec iustum, nec fas esse, diuinum regiæ maiestatis insigne, per sacrilegium abstulisse, & illorum commisisse manibus, quibus cum Hungaris, non tam antiqua, quam ingenita odia, intercessere; quin etiam, multa hinc mala augurari. Quare, non sine tumultu, ob indignitatem rei, Albam properatur. Rex, cum ingenti suffraganeorum multitudine, illuc ducitur. In Diui Stephani basilica,* WLADISLAVM, *cum maximo plausu, coronant. Quum vera corona defuisset, quam regina sustulerat, e simulacro Diui Regis, quod in sacello colebatur, placato numine, perreuerenter diadema sumtum, &, re iubente, in coronandum Poloni caput, vsurpatum est. Hinc inextricabiles totius Hungariæ factiones exortæ sunt*, reliqua. Ista BONFINIVS memorat; vt colligi inde possit, quanti semper fecerint Hungari, sacrum diadema. Profecto, quidquid postea ciuilis belli, datarum acceptarumque cladium, sub WLADISLAO, LADISLAO item posthumo, & MATTHIA CORVINO, consequutum est, *hoc vno*, ablatæ coronæ maleficio, constitit. Neque tota Europa, gentem repereris, quæ diadema, quod per manus accepit a maioribus, reuerentius habeat, quam Hungarica. Non ergo vertendum vitio est, *Nicolao Gáræ*, Hungariæ Palatino, dicere solito: *Coronatum sacro diademate Regem, vel si bellua foret, nunquam sine magno scelere lædi posse.* Neque enim id volebat, quasi fieri posset in rebus humanis, vt bruta animantia, ad clauum reipublicæ, insignibus ornata, admouerentur; sed, voluit omnino testificari, quantum, & Coronæ tribueret, & redimitis ea Regibus. Quod, si meminissent populares nostri, seculis retro actis, minus conuulsam ad posteros transmisissent Hungariam. Dedere interim *Hungari*, insigne documentum, quam inuiolatum cupiant diadematis sui decus, publica repudiatione, spuriæ illius coronæ, qua *Botskaius*, a Turca, vti sibi fieret obnoxius, in campis *Rákos*, anno MDCV. tertio Idus Nouembris, donatus fuerat. Præterquam enim, quod

Wladislai Poloni coronatio, quomodo instituta:

bella, ob S. diadema, gesta:

Nicolai Gáræ, dictum:

spuriæ Coronæ abrogatio.

q.) Decadis III. Libro IV. p. 424, 12.

idem *Botskaius*, in pacificatione Viennenſi, *(r.)* profiteri cogebatur; *Coronam ſibi a Vezirio donatam, in derogamen Regis, & regni Hungariæ, & Coronæ eiusdem antiquæ, ſe non accepiſſe*; Status enimuero, & Ordines, peculiari ſanctione, exquirendam tollendamque, exiſtimauerunt. Iuuat, legem eam adſcripſiſſe: *Quantum ad inductitiam coronam, quam etiam princeps* Botskay, *in tractatu Viennenſi, in præiudicium vetuſtiſſimæ, & Angelicæ Coronæ, minime ſe accepiſſe, profeſſus eſt, adtinet; licet, ea etiam nihil Sacræ ei Coronæ præiudicare potuerit: ob certos tamen reſpectus, viſum eſt regnicolis, vt, dum D. Comes Palatinus, ad partes regni ſuperiores profectus fuerit, diligenter eam inquirat, & ab iis, præ quorum manibus exſtiterit, repetat. Qui, ſi eandem reſtituere noluerint, in præſentiam, dicti Domini Comitis Palatini (s.) euocentur; idemque Dominus, cum iudicibus regni ordinariis, in competenti termino, partibus præfigendo, negotium illud, iure extraordinario reuidere poſſit & debeat: eamque inductitiam coronam, reſtituere nolentes, in pœna, qui ſe publicis ſtatutis regni opponunt, conuincantur. Si vero ii pupilli, & minorennes exſtiterint, tutores, & ſeruitores eorundem euocentur ſimili modo, & ſub pœna præſcripta, eandem coronam, manibus ipſius Palatini, adſignare teneantur. Qua quidem corona, manibus ipſius Domini Palatini adſignata; idem Dominus Comes Palatinus, eandem, ſuæ Maieſtati Regiæ tradat, & adſignet, vt in conſeruatorio reponatur, & conſeruetur.* Nimirum, quemadmodum ſoles geminos, rerum natura; ſic & geminam Coronam, *Hungaria*, æquiſſimo iure auerſatur.

§. VI.

Fata S. diadématis:

AD fata, Hungarorum iſtius *Palladii* quod adtinet, longum foret ea percenſere. Breui faſce, id, quod in iis memorandum maxime fuit, DANIEL HRABECZIVS, his verſibus complexus eſt:

Hrabeczii *de iis carmen.*

Magne *Tuis naſcor, dum* Conſtantine *ſub annis,*
Romanas ſubeo cellas; hinc munere diuum,
Illuſtro gentem (t.) Arctoo, quæ ſidere preſſa,
Dilexit meliore ſolo traducere vitam.
Sed mihi ſors incerta fuit; Piſcoſe fluebas
Maieſtate mea, gaudens quandoque Tibiſce!
Me fortunatam Siluanus *vidit & orbis;*
Vrbs noua (u.) me tenuit; Conſtantinopolis arcem,
Dum Turcæ perpeſſa dolum, me perdidit: Eheu!
Infami tandem dextra tractor Solymanni;
Nec non Muldauiæ Pragenſi ſplendida colle,

Hungaricorum longe Proceres, contemplor & agros.
Me veniente dedit, plauſus præclara Vienna,
MATTHIA *(v.) præeunte ſacro: poſt turre* Piſonis
Petro de Réua *(x.) mecum vigilante, quieſco.*
Nunc poſtquam rerum formas peruertit Erynnis,
Hinc feror in Zolium; *Zolio, tandemque palude,*
Ecsediæ *(y.) ſeruata fui: remeare iubet iam*
Viſceribus delapſa DEI, pax optima rerum.
Cumque redire lubet, Roſebergæ *noxque diesque*
Transmiſſa eſt: hinc iam felix & læta recedo
Trenchinium, *requiem, paucis ſubitura Calendis.*

Faciebat, humilis Sacræ Coronæ Comes, Daniel Hrabeczius, *Spectabilis & Magnifici Domini* Petri de Réua, *Coronæ Conſeruatoris, Secretarius:* vti αὐτόγραφον quod poſſidemus, ſignatum eſt. Nempe, *Etſchedino* tunc, ductu *Réuaii*, Corona deferebatur. quorſum pignus diuiniſſimum, *Gabriel Bethlen*, vti ſuo loco diximus, captiuum raptauerat.

§. VII.

Hungarorum *in cuſtodienda corona ſtudium:*

COndocuere HVNGAROS, hæ iſtiusmodi conuerſiones, vti depoſitum, cælo quaſi acceptum, omni cura ſtudioque cuſtodirent. Duo, ad eam prouidentiam pertinere credebant: vt, & tuto ſecretoque loco reponeretur; & viris crederetur, Regi atque patriæ, omni fide addictis. quos *Cuſtodes*, ſeu *Conſeruatores Coronæ*, vocauerunt. Vtrumque, diſerta lege, MATTHIAS CORVINVS ſanciuit. *Quia*, inquit *(z.) nouimus*, Nos, & *nouerunt omnes Domini Prælati & Barones noſtri, nouit etiam tota communitas regni, quomodo & qualiter, propter indebitam cuſtodiam & prouiſionem Sacræ Coronæ, ipſa Corona fuit ab hoc regno alienata. In cuius alienatione, irrecuperabilia damna, & indicibilia ſpolia, & multas incommoditates, hoc regnum paſſum eſt, & tandem, poſt multos labores & fatigia, & graues expenſas, ipſa Corona, ex pecuniis communitatis regni, nouiſſime eſt redemta.* Nos *ergo volumus, vt debemus, de pari conſenſu & voluntate, Dominorum Prælatorum & Baronum, ac Regni noſtri Nobilium, hoc in loco prouidere, circa debitam cuſtodiam & conſeruationem Coronæ Sacræ, locum, alias conſuetum, & perſonas ad id idoneas, ne, quod* DEVS *auertat, ipſa Corona ab hoc Regno iterato alienetur.* Et de Cuſtodibus quidem Coronæ, infra *(a.)*, deſtinato conſilio, dicemus: de loco nunc, quo adſeruata olim fuit, quandoque delata *Piſonium*,

Matthiæ Coruini *in eam rem ſanctio:*

r.) In conditionibus, quæ ad *Domini Botskay* perſonam ſpectant, §. XVI.

s.) *Euocare aliquem*, ſtilo ICtorum Hungaricorum. idem eſt, quod Latinis; *diem alicui dicere.*

t.) Scytharum progeniem, *Hungaros.*

u.) Neapolis Auſtriæ.

v.) Reciperatam a *Rudolpho* innuit.

x.) Duos tunc cuſtodes S. Coronæ conſtituerunt Rex & Ordines: *Petrum* hunc *Réuay*, & *Stephanum Pálffy.*

y.) Hucusque *Bethlenius* ſacrum pignus raptauerat.

z.) Decreto II. Articulo II.

a.) Partis Specialis, Membr. I. Sect. II. *De Arce Piſonienſi*, §. IX. & X.

diſpiciendum eſt. Sanctio Coruiniana, *locum alias conſuetum*, nominat. Quis vero ille fuerit, raptus diadematis, quem nunc recenſuimus, condocet. *Wiſſegradum* nempe, arx munitiſſima, & ſubducta ab hominum frequentia. Iſtud fuiſſe exiſtimo, cur priſci illi reges maluerint, ſacratiſſimum hoc pignus, & reliqua regni cimelia, retruſo loco, quam, vel *Budæ*, vel in vrbe alia celebri, reponere. Prorſus ex ſententia noſtra, laudatus SCHMEITZELIVS: *Diſplicuit*, inquit, *veteribus Hungaris, florentiſſimo totius* (regni) *ſtatu, S. Coronam, Budæ, ſede regia auguſta, deponere & conſeruare, eo quod ab omnibus, omnium pene gentium populis illa frequentaretur; &, vt fieri ſolet, in tanta hominum frequentia, negotiorumque varietate ac viciſſitudine, plerumque diuerſas alere factiones, vnde grauia ſubinde timenda erant pericula. Hinc, conſultius eſſe putabant, ſacrum hoc, capitis regii inſigne, in quo tantum poſitum eſt momentum, extra conſpectum & conſortium hominum, in loco quieto, ſecuro, & ab ipſa natura dato, & munitiſſimo excelſiſſimoque monte ſito, fixam eius ſedem, & domicilium collocare atque conſtituere.* Aliarum ſcilicet gentium exemplo, quæ, regnorum inſignia, non iis locis, vbi, ſeu habitant reges, ſeu inaugurantur, reponunt; ſed, quæ ſunt, vti ſubmota ab hominum celebritate, ita non indigna, iſtis numinibus, perfugia. Tale *Wiſſegradienſe* fuiſſe, conditorium, nemo ignorat, niſi cui, & ſitus loci, & ſubſtructiones, vltra modum communitæ, incognitæ ſunt. Nam, ſicuti mole gemina conſtabat arx *Wiſſegradi*, inferiore altera, altera ſuperiore; ita, non illi, ſed huic, *in altiſſimo, atque inacceſſo propemodum montis cacumine (b.)* inſidenti, corona credebatur. Turris huic inerat, mediocris altitudinis, ſed vltra, quam credi poſſit, munita & in Danubium proſpiciens; quam, cum fornices alii, tum vnus ille, ſumma arte, & robore concameratus, diſtinguebant, in quo ſacro diademati ſuum inerat conditorium. De hoc PETRVS de RÉVA, *In arcis quodam cubiculo, in hunc vsque diem cerni poteſt, concauitas quædam, inſtar mediocris feneſtræ, ex duriſſimo Saxo exciſa, in qua,* SACRA *adſeruabatur* CORONA; *qui locus, in ea cura & ſollicitudine fuit, vt, nec cuſtodibus Sacræ Coronæ, adyta, quoties liberet, ingredi, nec aliis quibusuis, qui religione diadematis ſacri ducti, domicilium ipſius, vel a limine ſalutare cuperent, permitteretur.* Tantæ locum religionis, & quæ eo continebatur, Sacram Coronam, peculiari lege, extero regi WLADISLAO II. Status & Ordines, commendauere. Nam, ita in conditionibus, traditæ ei ſummæ poteſtatis, legas *(c.)*: *Quod Coronam regni, de manibus Dominorum Prælatorum, & Baronum, nulla de cauſſa, vel quæſito colore, nulla etiam induſtria, vel arte, auferat, ſed permittat, ac patiatur, quod iuxta veterem conſuetudinem, & libertatem ipſorum, certi de eorum medio, per ipſos vnanimiter ad hoc eligendi, & deputandi, illam teneant, ac conſeruent. Quodque Caſtrum Wiſſegrad, pro conſeruatione ipſius coronæ, ab antiquo deputatum, ad manus*

diadematis conditorium Wiſſegradum; & cur non Buda?

Wiſſegradi ſitus; & moles:

conditorii habitus, & religio:

noua de cuſtodia Coronæ, lex; Wladislão II. præſcripta.

b.) ISTVANFFYVS, Libri XVI. initio.

c.) Decreto I. An. MCCCXC. Articulo III.

manus ipſorum Conſeruatorum eiusdem Coronæ, dari & aſſignari faciat. Ita ſe res, ante *Mohácsiánam* cladem habuit.

§. VIII.

PEregrinari poſtea ſacrum diadema cogebatur, fato, eo iniquiore, quod, non IOHANNI modo, & FERDINANDO, inaugurandis, *Priniana*, qui eam cuſtodiebat, libidine, adminiſtratum; ſed, a SOLYMANNO etiam, detentum aliquantiſper fuit: dum IOHANNI, ritu ſolemni *(d.)*, redderetur denuo. Sed, quemadmodum in rapaciſſimas, *Solymanni* manus, ſacrum diadema, & cum hoc, regia inſignia, inciderint, non fuerit ſuperuacuum ediſſerere. Erat, ſub ipſam *Mohácsiánam* cladem, Coronæ cuſtos, cum *Iohanne* de *Zápolya*, *Perényus*, homo, vnus omnium maxime temporarius, & qui muneris huius rationes, non meliore conſcientia, ſed vtilitate & turpi quæſtu, metiebatur. Proinde IOHANNI, primum Regi, qui eundem præfectura Tranſiluaniæ ornauerat, ſacrum diadema, ad inaugurandum, cum obſequii quadam ſignificatione, e loculis expromit; recipitque iterum, & ſecum aufert. Detonuit interea fortuna iniquior in IOHANNEM, ad eum modum, vt fuſis, fugatisque ſuis copiis, in *Poloniam* reiiceretur. *Perényus* ergo, vti venalem ſe, & fidem, & Coronam circumgerere, nouo documento teſtaretur, ad FERDINANDVM tranſit, eique diadema, facilitate haud minore, quam ſuperiore anno, IOHANNI, pollicitis ampliſſimis illectus, ad coronationis ſolemnia, commodat. Satis erat FERDINANDO, patrio Hungarorum ritu, genuino illo diademate, redimiri. Itaque, Coronam *Perényo*, reddit; de fide hominis, vti rebatur, ſic ſatis ſecurus. At is, cum Imperatorem Turcarum in Hungariam aduentare cognouiſſet, adſumtis, vxore, liberis, & *omni*, quam opulentam habuit, gaza, dictisque inſigniis regiis, relicta arce *Soklós*, vbi diuerſabatur hucusque, *Sáros Patakinum* fugere cœpit. Diuerterat eo itinere, in pagum quendam *Kajdács* nomine, ad fluuium *Sárviz* ſitum, illic pernoctaturus; cum *Iohannes Szeretſen (e.)*, IOHANNI Regi, aliqua neceſſitudine iunctus, ſimul & addictiſſimus, poſtquam ipſi, de fuga *Perénii* innotuiſſet, *Perénianos* ſomno ſopitos, opprimit, ipſum *Perényum*, cum vxore, liberis, & vniuerſo theſauro, capit, moxque captiuum, *Iohanni Bánffyo*, cuius fidelitatis erga Regem erat conſcius, cuſtodiendum, cum omni ſupellectili ſua, mittit. Tandem, cum *Solymannus*, ad Mohácsum peruenisſet, ad illum, vna cum inſigniis deductus, ab illoque regi commendatus fuit. Ita BETHLENIVS. *(f.)* Gemina, & apud ISTVÁNFFYVM *(g.)* legas, tametſi expromta fuſius. *Perényum*, inquit ille,

Coronæ, poſt cladem Mohácsianam, fata:

quomodo in poteſtatem Solymanni venerit?

d.) Deſcriptum legeſis, apud WOLFFGANGVM BETHLEN, Hiſtoriar. Lib. I. pagina 54. ſeqq.

e.) Fuit *Szeretsen* iſte, Epiſcopatus Quinqueeccleſienſis, IOHANNE indulgente, vſurpator.

f.) Loco citato, pag. 56.

g.) Libro decimo extremo, Adde PETRVM de REVA, rer. Hungar. Cent. VI. pag. 72.

redditus Iohanni:

ille, IOHANNI *donauit Solymannus, Coronam vero, cum ingenti Hungarorum, nec hiſcere, præ metu, audentium, dolore, ſecum abſtulit; ſed ita, vt mox in eum, quem nunc diximus modum, præter omnium ſpem, (quis enim ab auaro, atque ambitioſo ferocis barbari animo, tam nobile, ac generoſum facinus, exſpectare auſus eſſet) vltro reſtituerit.* Toto hinc vicennio, in poteſtate IOHANNIS partim, partim eo mortuo, *Iſabellæ* viduæ, ſacratiſſima inſignia fuere; donec, *Georgii Monachi*, & *Caſtaldi* induſtria, ex fœderis legibus, quas Cæſar, viduæ reconciliatus,

ac tandem Ferdinando.

tulerat, ad FERDINANDVM rediret. Prolixe eam ſolemnitatem BETHLENIVS *(h.)* deſcripſit; ISTVÁNFFYVS *(i.)*, item, & RÉVAYVS *(k.)* Ergo *Tokaium* primo, deinde *Caſſouiam*, denique *Piſonium*, ad eius anni comitia, deductum diadema, FERDINANDO tandem redditum eſt. *Corona*, inquit RÉVA, *cum ceteris ſacris ornamentis, finita transactione, a Caſtaldo, Comite Thoma Nádasdy, Iudice Curiæ Regiæ, & Andrea de Báthor, Tauernicorum Magiſtro, legatis, Claudiopoli accepta, per Dominicum Dobó de Ruszka; Andream Báthori de Somlyó; & Laurentium Nyári de Bedegh, in Tokay vsque delata eſt, ibidemque Marchioni Schffortiæ Pallauicino, bellico Conſiliario, & Georgio (l.) Seredy, Capitaneo Caſſouienſi, quos, eo nomine,* FERDINANDVS *ablegarat, adſignata. Quam tandem, cum adiunctis ornamentis regalibus, Poſonii, in comitiis recepit (m.), data, ſuper adſignatione & receptione Coronæ, Apocha.*

§. IX.

Primus S. Coronæ, Piſonium *aduentus; ſed temporarius:*

LIbuit inſignem hanc, Diadematis ſacri, peregrinationem narrauiſſe. *Piſonium* certe, quod ſciam, tunc primum, diuiniſſimum, totius regni, pignus, illatum eſt. At enim, nondum in fatis erat, vt perpetua hic ſede acciperetur, tametſi ſubinde, inaugurandis, MAXIMILIANO, & RVDOLPHO, inuectum fuiſſe, meminerimus. Anno demum MDCVIII. peculiaris ea felicitas *Piſonio* facta eſt,

quando hic ei perpetua ſedes cœpit eſſe:

vt e Pragenſi hoſpitio, non ſine RVDOLPHI, & MATTHIAE fratrum, æmulatione, iſthuc deduceretur. Quibus id animorum motibus, quaque demum cerimonia geſtum ſit, laudatus toties Révn *(n.)* luculenter expoſuit; vt iam eo remittere lectores, tanto minus dubitemus, quo magis conſtat, ſuas, PETRO, in ea re procuranda, partes fuiſſe, neque eum alienis ſermonibus, ſed ſua doctum experientia, hiſtoriam contexuiſſe. Simul, regno, & huius maieſtate ceſſit RVDOLPHVS, in eam curam incubuit MATTHIAS, vt comitiis, *Piſonium* indictis, Statuum, & gentis vniuerſæ ſuffragiis, regium, quod recuperauerat diade-

h.) Lib. IV. p. 166, ſeqq.
i.) Lib. XVI. extremo.
k.) Eadem *Centuria VI.* pagina 85.
l.) Errat ISTVANFFYVS, quando *Caſparum* vocat, is enim anno ſuperiore fatis conceſſit.
m.) Factum id An. MDLII. d. XXV. Mart. Margo, apud REVAIVM, condocet; tametſi, in ſanctionibus eius anni *Piſonienſibus*, nulla, redditæ Coronæ, mentio fiat.
n.) Centuria VII. p. 120. ſeqq.

diadema, & regno vindicaret, & ſibi. Dedimus *(o.)* eius inaugurationis hiſtoriam, nunc, quid de *Coronæ Conſeruatorio*, iisdem An. MDCVIII. comitiis ſtatutum ſit, videamus. Iam tum, anno MDCVI. dum Viennæ, pax inter *Cæſarem* & *Botskaium*, conſtitueretur, id expetiuere *(p.)* Hungari, *vt Corona, in regnum Hungariæ, Poſonium poſt, tempora pacatiora, ſolito aliorum regnorum more, reducatur.* Quæ quidem deſideria, ad hunc modum An. MDCVIII. repetiuere *(q.)* Hungari: *Quandoquidem* CORONA *regni, cum antiquis ſuis clenodiis, librisque regiis, & litteralibus inſtrumentis, non modo ſuæ regiæ Maieſtati, tamquam Gubernatori regni Hungariæ, verum etiam Statibus & Ordinibus, tunc vna ibidem præſentibus, ac non tantum his, ſed etiam abſentibus regnicolis, a ſua Cæſarea Maieſtate (de quibus etiam acceptis, eadem Maieſtas ſua, tunc ab iisdem expedita, & quietata eſt) tradita atque adſignata fuerit. Ideoque, condigne ab iisdem Statibus & Ordinibus Regni poſtulatur, vt, dicta* CORONA, *vigore Articulorum Viennenſium (r.) & antiqua etiam conſuetudine Regni id exigente, huc ſtatim* POSONIVM *adferatur, & poſt, Sacratiſſimæ Maieſtatis ſuæ Regiæ coronationem, in manibus eorum, qui ad eius cuſtodiam, ex natiuis Hungaris ſecularibus, delecti fuerint, in regno relinquatur.* Hæc, ante inaugurationem MATTHIAE, Status & Ordines, conſtituerant. Neque id quidem fruſtra. tametſi enim, pompam[1], deductæ *Piſonium* Coronæ, neque RÉVAIVS *(s.)*, neque KHEVENHILLÉRVS *(t.)*, meminit; adlata tamen fuit, in regio, vti fas eſt exiſtimare, comitatu, quem ſupra deſcripſimus. Dici nequit, quanta religione, Sacratiſſimum Diadema,

leges, ea de re latæ:

& lapſa ancilia cælo,

Hungari acceperint. *Rediit Hungaris in mentem,* inquit RÉVAIVS *(u)*, *inueterata illa religionis opinio de* S. CORONA, *& ſumma animorum triumphantium, & ſalutantium diem illum, deuotio, qua ſacrum hunc theſaurum, poſt tot luſtra, velut ab exſilio reductum, conſpexerunt. Agebat enim* CORONA, *extorris patria, inter penates Auſtriacos, annis fere ſeptuaginta, ab an. Milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo, quo regina Iſabella, illam* FERDINANDO *ex pacto, transmiſerat, vsque ad hanc diem; nec a reditu ex Tranſiluania, continuam habuit in Hungaria ſedem, ſed interpolatam, ſub nullis conſeruatoribus ordinariis: ſiquidem intra annos ſeptuaginta, poſt quos Praga, Poſonium venit, mox officio ſuo in hac,* MATTHIAE II. *coronatione perfuncta, duabus tantum vicibus, Hungariam viſitauit: nimirum, in coronatione* MAXIMILIANI, *anno, ab egreſſu ſuo, e Tranſiluania, decimo tertio; in coronatione item* RVDOLPHI, *anno, ab inauguratione* MAXIMILIANI, *nono, ſemper cum Regibus creandis, ad ipſum ſolemnitatis actum veniens; quo abſoluto, rurſus,*

quomodo Hungari, deductam Piſonium Coronam *acceperint:*

o.) Eodem hoc Cap. Art. I. §. XII.
p.) Articulo IV.
q.) Articulo IV. ante coronationem.
r.) Articulus innuitur, IV. cuius verba, nunc dedimus.
s.) Loco nunc citato.
t.) Annalium *Ferdinandeorum*, Tomo VII, p. 16. ſeqq.
u.) Ibidem p. 126.

rursus, *Regum confirmatorum*, *comes redibat*, *cuius ipsi soli conseruatores*, *vsque ad hunc*, *ex Bohemia*, *reditum*, *fuerunt*. Parcius supputanda erant tempora exsilii; (si tamen *exsilium* dici mereatur, Coronæ, intra sinus regios, perfugium) quam id factum, a Révayo est. Enimuero An. demum MDLII. octauo Calendas Apriles, *Pisonium* deductum, atque traditum Ferdinando fuisse, supra adnotauimus. Proinde subductis annorum rationibus LVII. annos, extra Hungariam, *Corona* desederat: nisi forte annorum seriem, ab An. MDXXIX. quo in *Solymanni* venerat potestatem, exordiaris. tum vero LXXIX. annorum exsilium fuisse oportebit. Ceterum, Matthiae hac inauguratione factum est; vt *Pisonium*, perpetua, diuinissimi pignoris, sedes fieret. Præterquam enim quod prisco ritu, adseruandæ Coronæ, duumuiri, *Petrus de Réua*, Comitatus Thurocziensis, & *Stephanus Palffy*, Comitatus Pisonienſis, supremi Comites, dati sunt; *Pisonium* designatum est, vbi in posterum conderetur perpetuo. *Corona*, verba sunt publicæ legis *(v.)*, *hic in* arce Posoniensi, *vna cum omnibus Clenodiis in regesto comprehensis*, *in præsentia certorum procerum & regnicolarum*, *visibiliter*, *Dominis Conseruatoribus adsignetur*, *& in repositorium*, *præsentibus iisdem*, *Domini Palatini*, *trium prælatorum*, *&*, *totidem Baronum sigillis obsigillata*, *imponatur*. Obsecundauit, his *Ordinum* decretis, Matthias, eo promtius, quo magis testatum faceret, non tam sibi, quam regno, sacrum diadema restitutum voluisse. Itaque, duumuiratus instaurato munere, Coronam, arculæ ferreæ, sera multiplici inclusam, ex conclaui regio, in turrim arcis *Pisonienſis*, primoribus regni comitantibus, deferri mandat, eamque, per principem *Carolum a Lichtenstein*, *Stephanum Illyésházi Palatinum*, *& Leonhardum Helffridum a Megau*, a consiliis & cubiculo summum, non sine grauibus monitis, regni isthoc decus & ornamentum, duumuiris conseruatoribus adsignat; numerosa procerum *(x.)* atque prælatorum corona, eum ritum cohonestante. Tametsi vero, fidem Regis, omni maiorem exceptione, nemo procerum in dubium vocabat; tamen, Petrvs de Réva, Custodum alter, fraudum, quibus toties sacro diademati inhiabatur, haud ignarus, referari cistam, conceptis precibus rogauit, vti palam constaret, quid sibi, collegæque suo, *Stephano Pálffyo*, creditum sit ad custodiendum. Itaque, recluso scrinio, *Coronam*, fasciis eleganter inuolutam, cum summa venerationis significatione, eximit, eaque proceribus ostentata, sublata voce percontatur; agnoscerent ne vetus illud, & genuinum diadema? quibus adfirmantibus, summis libatum labiis, cum quadam, de fatis Coronæ, præfatione, adytis sacris reponit, cistulam seris præmunit, conditorio simul, procerum, quos lex iubebat, sigillis, rite obsignato. Ceterum, iurisiurandi formula, qua *Coronæ* duum viri, Petrvs de Réva, & Stephanvs Pálffy, Regi, atque

Post Matthiæ II. *coronationem*:

noua lata lege:

constitutis que custodibus, *in arce Posoniensi reponitur*:

Réuaii *circa eam rem prouidentia*:

v.) Anni MDCVIII. Art. XVI. post *Coronationem*.

x.) Nomina eorum legesis apud Revayvm, loco citato, pagina 127.

atque Regno, fidem suam, tunc obstrinxerunt, istiusmodi fuit *(y.)* *Quoniam*, *sua Maiestas Regia*, *atque omnes Status & Ordines Hungariæ*, *in præsenti generali Diæta Posoniensi congregati*, *sacram eiusdem Regni Hungariæ Coronam*, *simul cum omnibus eius Clenodiis*, *fidei & custodiæ meæ concredere dignati sunt: Ideo*, ivro per Devm vivvm, *quod ego*, *Sacræ Regiæ Maiestati*, *ac dicto Regno Hungariæ*, *fidelis & obediens ero*, *dictamque Sacram Regni Coronam*, *summa fide*, *diligenti cura*, *vigilantia ac sollicitudine*, *custodia adseruabo*; *sine præscitu & voluntate*, *Suæ Regiæ Maiestatis & Regni*, *neminem ad illam visendam & perscrutandam*, *admittam*; *aut alieno illam tradam*; *atque*, *quolibet anno*, *certis temporibus*, *frequenter huc Posonium me conferam*, *& locum conseruationis dictæ Coronæ diligenter perscrutabor & inspiciam*; *ac*, *vt salua semper & secura persistat*, *omni diligentia*, *& fidelitate curabo*; *ac*, *si quid suspicionis*, *& hostile*, *in ianuis*, *seris*, *vel parietibus*, *aduertero*; *de eo confestim Sacram Maiestatem Suam Regiam*, *vel Palatinum edocebo*. *Item*, *si quem motum*, *vel tumultum*, *in Regno hoc*, *oriri contingeret*; *de illo quoque*, *ad Maiestatem Suam Regiam*, *& dictum Palatinum subito referam*; *& ad custodiam dictæ Coronæ*, *maius præsidium*, *humiliter petam*: *ac in persona mea*, *ad mortem & vitæ exitum*, *fideliter & constanter illi adsistam*, *omneque periculum*, *pro posse meo*, *ab illa auertam*. Sic me Devs adivvet! Ingens, & circumspecta sollicitudo!

iuris iurandi, *qua se*, *cum collega obstrinxit*, *formula*.

§. X.

Haec prima, apud *Pisonienses*, sedis *Coronæ* initia, hi custodes primi fuere; oppido fausta omnia, & quæ genti vniuersæ, domesticis odiis & factionibus, male hactenus iactatæ, stimulos admouerant, vt mutua in posterum concordia, fideque in Regem intemerata, recuperato tandem *Palladio* hoc suo, inuicem agerent. Decennium, quies data est diademati, dum Ferdinandvs II. eodem inauguraretur. Quam rem, quod *Gabriel Bethlen*, male accepit, & patria perturbata denuo est, & *Corona*, in nouum coniecta discrimen. Enimuero, arce potitus *Bethlenius*, cum & ipse varia belli fortuna vteretur, & socii *Bohemi*, ingenti clade adfecti, consilia hominis, haud obscure dignitatem regiam animo præcipientis, perturbassent; anno MDCXX. decimo tertio Calendas Decembres, *Coronam*, nec quidquam reluctantibus custodibus, *Pisonio*, secum captiuam abduxit; siue, vt eius numine fortunam repararet; siue, quod ad credendum erat procliuius, vt haberet depositum, quo, desperatis rebus, pacem a Ferdinando mercaretur. *Pisonio*, *Vetusolium* delatum diadema, illic aliquantisper detinebatur: *Etschedinum* postea, cum arctiora *Bethlenio* in dies fierent omnia, deducendum. Biennio, in ea captiuitate delituit, pignus cælestissimum, dum pace *Nikelsburgensi*, quæ

Quid consequutum inde sit:

Ferdinandi II. *inauguratio*:

noua Coronæ *captiuitas*:

& cum Bethlenio peregrinatio:

y.) Adseruauit eam Petrvs de Reva, in commentario de S. Regni Hungariæ Corona, p. 91. & seqq. editionis Tyrnauiensis, Anni MDCCXXXII. forma quadripartita.

vindicatur in libertatem, pace Nikelsburgenſi:

An. MDCXXII. Calendis Ianuariis, coaluit, in libertatem vindicaretur. Relata inde eſt, ductu *Petri* de *Réua*, *Trentſchinum*, hinc *Sempronium*, ad inaugurandam ELEONORAM, FERDINANDI coniugem, donec *Piſonium*, iure poſtliminii rediret. Sanctionis *(z.)* verba hæc ſunt: *Meminerunt Status & Ordines, ingentibus, annorum ſuperiorum motibus, Sacram Regni Coronam, e conſueta deſtinataque ſede ſua motam, non parum peregrinationis confeciſſe. Ideo placuit iisdem Statibus & Ordinibus, eandem Sacram Regni Coronam, vna cum omnibus regiis clenodiis eidem adnexis, gratia perluſtrationis & recognitionis, in hanc generalem regni diætam adduci facere; ita tamen, vt ea viſa & perluſtrata, rurſus in arce Poſonienſi, priſtina nimirum conſeruationis eius ſede, ſolemniter reponatur*, reliqua. Poſt hæc tempora, nil quidquam fatis in Coronam licuit, quam quod a FERDINANDO III. tumultus *Rákóczziani* metu, *Iaurinum*, Piſonio auecta fuerit; dum inaugurando FERDINANDO IV. reueheretur *(a.)* iterum. Idem & nupera, *Franciſci Rákóczii* ſeditione, auecto *Viennam* diademate, factum fuiſſe, in hiſtoria *(b.)* inaugurationis CAROLI VI. meminimus. Ceteroquin, iratum quoque *Iouem*, ſemel atque iterum, CORONAE iſthoc domicilium habuit; fecitque fulmine percuſſum, ex temporum ac hominum ingenio, locum ſiniſtris ominibus. At enim, vti ſæpius contemſit fortunæ fulmina, cæleſtiſſimum diadema, ita, nullo vnquam caſu, ſed ne cæli quidem iniuria, huc dum potuit contemerari. Quod, vti venerationem auget ſcari huius pignoris; ita, præſagio eſt, fore, vt æternum id ſit *Hungaris*, & cum Hungaria, Regibus Auſtriacis. *Feliciter!*

metu belli ciuilis Iaurinum:

ac noſtra ætate, Viennam ſubducitur:

delapſis in conditorium fulminibus nil quidquam læditur.

§. XI.

II. De Sceptro.

HVcusque S. Regni Hungariæ *Coronam* ſpectauimus; nunc, SCEPTRVM, Regiæ Maieſtatis indicem, dextræque geſtamen, videamus. SCEPTRI indagare etymon, ſuperuacaneæ fuerit diligentiæ. Enimuero, vocem græcam, ἀπὸ τῦ σκήπτεῖν, quod *inniti* ſignificat, arceſſendum eſſe, nemo, niſi litterarum Græcarum expers, ignorat. Proinde, antequam ad magiſtratuum inſignia transferretur, virgam ſeu baculum, quo ſuſtentantur euntes, ſeque, ſi ferat occaſio, defenſant, vulgo ſignificabat vocabulum. Huc illud, apud HOMERVM *(c.)* retuleris, de *Vlyſſe*, latratu canum territo, σκῆπτρον δὲ, inquit, ὁι ἔκπεσε χειρος, *virga autem ſeu baculus, ei excidit e manu.* Inter regia ornamenta, *Iouis*, credo, imitatione, cœpit referri, cui *Sceptrum*, tamquam indicium maieſtatis, veteres tribuebant. Ita OVIDIVS *(d.)* præſidentem concilio Deorum *Iouem*, deſcribit:

Sceptrum *regiæ Maieſtatis index:*

vnde dicatur:

imitatione Iouis transfertur ad regum inſignia:

Ergo,

z.) Eiusdem anni Articulo IV.

a.) Expromſimus rem, eodem hoc *Capite*, Art. I. §. XVII.

b.) Ibidem §. XX.

c.) Odyſſeæ z. verſu, 31.

d.) Metamorphoſeon Lib. I. verſu 177.

Ergo, vbi marmoreo ſuperi ſedere receſſu,
Celſior ipſe loco SCEPTROQVE *innixus eburno,*
Terrificam capitis concuſſit terque quaterque
Cæſariem; cum qua, terram, mare, ſidera mouit.

Prorſus hic *Iouis* maieſtatem expreſſam legas, ad quam *eburnum Sceptrum*, Poëta refert. Poſtea omnium conſenſione gentium, ad regum, non dignitatem modo; ſed ornamenta etiam, *Sceptrum* requirebatur. Proinde, coniungit, cum purpura, ſceptrum CICERO *(e.)* *Sedens*, inquit, *cum purpura, & Sceptro, inſignibus illis regiis.* Inde factum, vt regna quoque, τῷ σκήπτρῳ, notione, nihil dubitarint indicare, Græci, Latinique auctores. ita EVRIPIDES, in Oreſte: Επὶ σκήπτροις ἔχων τὴν ἐλπίδα, *in ſceptris habens ſpem*, h. e. regno ſe potiturum ſperans; nam ita exponit Scholiaſtes; ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ, ſuper regno: SENECA *(f)* ad regnandi actum transtulit:

nonnunquam regna ipſa, notat Scriptoribus.

Odia qui nimium timet,
Regnare neſcit, regna cuſtodit metus:
Qui SCEPTRA *duro ſæuus imperio regit,*
Timet timentes; metus in auctorem redit.

Hinc XENOPHONTIS *(g.)* illud ſcitum: Οὐ τόδε τὸ χρυσῦν σκῆπτρον, τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' ὁι πόλλοι φίλοι σκῆπτρον βασιλεύσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον. Id eſt: *Non id ſceptrum eſt aureum, quod regnum ſeruet; ſed multi amici ſceptrum ſunt veriſſimum certiſſimumque.* Quam ſententiam, egregie reddidit SALLVSTIVS *(h.)*: *Non exercitus, neque theſauri, præſidia regni ſunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio, & fide parantur.*

§. XII.

Sceptrorum, non una, apud omnes gentes, ſeu forma, ſeu moles fuit. Veteres *Romani*, cum adhuc reges tolerarent, haſtis, loco eorum vtebantur, vti eſt apud IVSTINVM *(i.)*: *Per ea adhuc tempora, reges*, HASTAS, *pro diademate habebant, quas Græci, ſceptra dixere; nam, & ab origine rerum, pro diis immortalibus veteres haſtas coluere; ob cuius religionis memoriam, adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Geſtabant & ſcipiones eburneos, dignitatis, qua præibant alios, monimenta, Conſules primum, ſicuti ex LIVIO *(k.)* colligas. At, *Sceptra* ſoli reges tulere, & mutata Republica, imperatores; ſicuti id, præter veteres numos, DIONYSIVS HALICARNASSEVS, condocet. Etruſcorum clades atque deditio, maieſtatis hæc inſignia *Romam* primitus intulit. Nempe, victi a Tarquinio, cum eum regem

Sceptrorum *apud veteres habitus:*

quando a Romanis cœpta adhiberi.

e.) Pro *Sextio*, Cap. XXVI.

f.) Oedipo, v. 703.

g.) Lib. VIII. Cyropædias.

h.) Iugur. Capite X.

i.) Lib. XLIII. Cap. III. 3.

k.) Lib. V. Cap. XLI. extr.

gem venerati essent, hæc ipsi, ornamenta adtulere: Στέφανόν τε χρύσεον, καὶ θρῆνυν ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον, ἄετον ἔχον, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, χλαῖνά τε πορφυρέην χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυρέην ποικίλον, ἅτια Λυδῶν τε καὶ Περσέων ἐφορέεν βασιλεῖς. Hoc est: *Coronam auream, & sellam eburneam, sceptrumque, in summitate habens aquilam, & purpuream tunicam, auro distinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum, atque Persarum reges gestarunt:* vti habet laudatus Dionysivs *(l.)*. Quæ demum insignia, adnuente S. P. Q. R. *Tarquinius*, tamquam ignota hucusque Romanis, adsumsit: manauitque inde mos ille, *Sceptra*, & *diademata*, dono mittendi regibus, ad confirmandam *(m.)* potestatem regiam.

§. XIII.

Digressioni huic modus ponitur:

LOngius forte, quam par erat, ab instituto digressi sumus. Certe, si per gentes singulas, priscas illas & tenaces moris patrii, eundum *(n.)* esset, atque Sceptrorum, & varietas expromenda, & vsus, vastus nobis commentarius, sub manu, incresceret. Accepta, ab antiquis, gestandi sceptri consuetudo, in Reges *Christianos* transiit, vt iam nusquam diadema, purpura, paludamentum, & insignia reliqua, sine sceptro, reperias; sed diuerso ab ethnicis. In Imperatoribus Constantinopolitanis, *Phocas* primus fuit, *(o.)* qui abrogato *sceptro aquiligero*, crucem gestare cœpit. quam tamen consuetudinem subinde antiquatam fuisse, numi testes sunt. Vix vero regnum est hodie, cui non peculiaria sint sceptra. Ac Reges quidem *Galliæ*, gemino *(p.)* vtuntur; quorum alterum, *lilia* fert, *gallicum* scilicet *insigne;* alterum *manum*, porrecto, cum duobus digitis, pollice, quam Galli, *La Main de Iustice*, manum iustitiæ, vocant. Vtrumque in numis Galliæ visitur; egregio significatu, si respondeant actus simulacris. Reliquarum gentium insignia, nihil iam adtinet recensere.

gestandi sceptri consuetudo, ad reges Christianos pertingit.

§. XIV.

Sceptrum *Hungaricum, vnde traxerit originem:*

SCEPTRVM nostras HVNGARICVM, pro rei dignitate, memorandum est. Et de origine quidem, nihil, quod adferam, habeo. A Pontifice missum haud fuisse, constat: quippe qui, CRVCEM, tamquam APOSTOLATVS INSIGNE præferendam STEPHANO, indulserat; non item miserat *Sceptrum*. Fas ergo est existimare, vel a STEPHANO, regiis ornamentis, imitatione vicinorum, additum; vel, ex ducum Hungariæ insignibus retentum; vel denique, a sequutis regibus fuisse additum. Enimuero, *successu temporis, plures etiam cerimoniæ, partim ornamenti, partim peculiaris cuiusdam religionis significandæ caussa, fuerunt adhibitæ*, verba sunt INCHOFFERI *(q.)*. Vt colligi rite possit; multiplicatis cerimoniis, instrumenta quoque earum, quoquo modo fuisse multiplicata. Non dffitemur quidem, habere *Sceptri* mentionem, laudatum INCHOFFERVM, cum inaugurationem S. STEPHANI, eodem, quem nunc dedimus, loco, describit: *Capiti*, inquit, *Corona imposita, manus* SCEPTRO *armabatur*; at, quando non addit, vnde id depromserit, vti fidem non derogamus scito alioquin scriptori, ita SCEPTRI Hungarici originem, ignorare nos, haud grauate profitemur. Huius rei, nihil BONFINIVS, THVRÓCZIVS, CHARTVITIVS, nihil RÉVA, quum, seu electum, seu vnctum regem, memorant, in litteras retulerunt. Alioquin, formam SCEPTRI optime delineauit RÉVAYVS: *Sceptrum*, inquit, *est non nihil a communibus regum sceptris differens, breuius, summitate rotunda, simillimum clauæ rotundæ Hungaricæ, gemmatis quaternis, dependentibus appendicibus.* Mihi certe, ipsa hæc Sceptri Hungarici species, argumento est, *non* esse exterorum, seu opus, seu munus: quippe, quorum sceptra, tornatili opere, in lilii, quasi quendam calicem, globulis insessum, desinunt; sed domesticum id, ac forte ex claua, quam STEPHANVS, Ducis titulo vsus, gestabat, factum. Nam erat hoc in more positum Hungaris, ducibus potissimum, vt non modo proficiscentes in bellum, sed etiam, cum in publicum prodirent, clauam manu gererent, rotunda instructam summitate. Quo autem quisque opibus valuit magis, eo clauam gestabat pretiosiorem, Hungarice *Bozogány* dictam. Quidquid eius sit, *Sceptrum* nostras istud non minus, quam aliarum in orbe, gentium, Regem, administrandæ populo iustitiæ, admonet. Adposite RÉVA; *quod, hic Sceptrum, illud in veteri lege, liber legis erat, quem coronato regi dabant in manum tenendum (r.). Inde Archiepiscopus Strigonienses, Sceptrum Regi coronato traditurus;* virgam veritatis & iustitiæ, *illud nuncupat.* Hæc de SCEPTRO.

eius forma, differt ab Europæorum reliquis:

forte claua est S. Stephani:

Sceptri *significatio.*

§. XV.

III. *De Globo, seu Pomo Aureo.*

FVit hoc, quod descripsimus, regiæ dextræ ornamentum; iam, de sinistræ manus insigni, id quod res fert, dicendum est. GLOBVM alii vocant, SPHAERAMVE; POMVM AVREVM alii, siue PILAM: Viterbiensis, & eum sequuti, PALLAM dixere; præter rem, cum ea amiculi sit genus muliebris, quod postea, & viri adfectauere. Priora illa nomina, commoda sunt, & cum a forma, tum & a materia

Globi, *seu pomi aurei, nomina:*

l.) Antiquitatum Romanarum, Lib. III. p. 195, 37. vtimur vero editione *Lipsiensi*, A. MDCXCI. fol.

m.) Ibidem, p. 196. 11. adde, TACITVM, Annal. Lib. IV. cap. XXVI. extremo.

n.) Paucis, multa in rem hanc congessit, MARTINVS SCHMEITZELIVS, in Schediasmate historico, *de Insignibus, seu Clenodiis Regni Hung.* Cap. VI. p. 23. seq.

o.) Conferatur Du FRESNE, Diss. de nummis Imperat. Constantinop. num. XI.

p.) Consule LIMNAEVM, de Iure publico, Lib. IV. Cap. IV. §. XXIV.

q.) In Annalibus Ecclesiasticis ad A. M. p. 258. fine.

r.) 2. Paralip. Cap. XXII. v. 11.

ortus indagatu difficiles:

materia insignis petita. Difficile est autem natales, regii huius ornamenti designare; maxime, cum sint doctorum diuersæ, in rem hanc, sententiæ, BECMANNVS *(s.)*, politus oppido scriptor, nihil dubitat, ad *Persarum* reges, instituti eius originem referre. Nam, si itinerum

an Persis?

historiis, fides tribuenda est, exstant in veteribus *Persepoleos* ruderibus, priscorum regum imagines, altera manu *Globum* tenentes, altera *Sceptrum.* Quod sane indicio est, non esse nuperos, insignis huius, natales; nisi simulacra illa regum, recentioris forte sint operis, quam erat *Persepolis.* Contra, qui nihil non elegantiæ & maiestatis, a Ro-

vel Romanis tribuenda?

mano populo, sueuerunt arcessere; AVGVSTVM, ornamenti auctorem faciunt, quasi qui globo hoc, orbis terrarum, quo fuerit potitus, imperium voluerit significare. ISIDORVS *(t.)* huius sententiæ familiam ducit, cui nos ipsi accederemus, si exstarent historicorum testimonia. Non ecquidem sum nescius, supereſſe numos AVGVSTI, terrestri *(u.)* orbe insignitos, eodem illo significatu; sed, an reuera gestamine eiusmodi vsus sit, est, cur ambigam. Neque coniectant certius, qui eandem hanc laudem, *Iulio Cæsari*, circum ponunt. Diserte, CHRISTIANVS FVNCCIVS *(v.)* Origo, inquit, *eius moris, a* CAESARIS *æuo esse videtur; cui senatus Romanus, Dione teste, statuam dedicauerat, sphæræ impositam. Id vero signum nihil aliud, quam orbem habitabilem indicat, & nationes in eo subactas, atque imperio parentes. Non quod Romani Cæsares, omnes vniuersi orbis populos regerent; sed orbis tantum S. Imperii Romani populos: qui tamen, quodammodo omnes, quia præcipui.*

§. XVI.

Qui inter imperatores primi, Globum, *in numis gesserint? qui insigniuerint cruce?*

HAec de *Globi* origine, satis quidem dubia. Primus, quod sciam, inter imperatores Romanos, qui manu globum gerens in numis exhibetur, FLAVIUS ANICIVS IVSTINIANVS est. Dextra is globum tenet, cui victoria alata insistit. Post eius tempora, frequentiores exstitere, qui id insigne referrent, sed, quod cruce maluerunt honestare, quam simulacris gentilium. In his est TIBERIVS II. CONSTANTINVS, & FLAVIVS PHOCAS; quam tamen PHILIPPICVS, globo detractam, coronæ fastigio imposuit, globum vero, auis nescio cuius imagine, insigniuit. Post eum, nemo non Constantinopolitanorum Imperatorum, crucis insigni, delectabatur; consuetudine ea, inde a CONSTANTINI M. temporibus arcessita, qui, teste NICEPHORO, apud GRETSERVM *(x.)*, primus pomo crucem superinstruxit, significaturus procul dubio, orbem, a CHRISTO, crucis virtute, triumpha-

s.) Notit. Dignit. Illustr. &c. Dissert. IV. Cap. IV. §. I.
t.) Originum Cap. XCIII.
u.) Exhibet eorum aliquot, ABRAHAMVS GRONOVIVS, in notis ad POMPONIVM MELAM Lib. I. Cap. I. p. 5. & 13.
v.) In *Breuiario Historico-Politico*, Orbis, hodie imperantis, Parte I. de Imperio German. Rom. Cap. I. Quæst. CVI. p. 77.
x.) Libro II. de S. Cruce. Cap. LIV.

phatum esse. Eundem ritum occidentales postea Cæsares, suum fecere. Præter rem ergo, noster RÉVA: *Pomum aureum, primus excogitasse fertur* CONRADVS *Imperator, & quidem, quo Cæsares vtuntur, quod aperiri & claudi possit, in eoque terra inclusa, habeatur, argumento hoc; & monarchas in maximo fastigio dignitatis constitutos, humum cineremque, æque ac reliquos mortales, esse.* Altius certe reponenda est origo, quam vt *Conrado*, cuicunque illi, adtribui possit, nisi terræ, in globum immissæ, originem huc retuleris. Imperatores postea, & Reges ceteri, globum crucigerum, inter regalia insignia, & ipsi recensuere. quo significatu? ex GODOFREDO VITERBIENSI *(y.)* adscripsisse iuuat:

Aureus ille GLOBVS, *Pomum, vel Palla vocatur,*
Vnde figuratum mundum gestare putatur.
Quando coronatur, Palla ferenda datur.
Crux supereſt pomo, cæli superindita dono,
Suscipe corde bono, rex, quæ tibi mystica promo,
Teque sedente throno, prospice, quid sit homo.

§. XVII.

Pomi Hungarici Hieroglyphicon:

PArile his est, quod PETRVS RÉVAY, *(z.)* de POMO HVNGARIAE, aureo, meminit. *Pomum*, inquit, *aureum, aut Sphæra, cui crux inhæret, arcano rei Sacramento, fortunæ volubilitatem denotat. Nimirum, vt globus est versatilis, ita & fortunam regum haud esse firmam atque stabilem; verum, multis iniuriarum, & periculorum telis obnoxiam, facillime Summum dignitatis fastigium, de vno in alium deuolui;* reliqua. Solet heic quoque disquiri, quando inter regni Hungariæ insignia, relatum sit *Pomum Aureum.* SCHMEITZELIVS nihil dubitat, S. STEPHANO, idem adtribuere; *Cui*, inquit, *rei eius origo sit adscribenda, altum apud omnes rerum Hungaricarum conditores, silentium est. Quod si tamen, diuinare liceat, nullum est dubium, vt huius, ita & reliquorum ornamentorum regiorum vsum, primamque originem, a temporibus* S. STEPHANI *deducendam esse.* Neque habemus, cur aliter coniiciamus, cum certum sit, vti regiæ maiestatis in gente nostra, primum, diuino munere, auctorem fuisse STEPHANVM; ita, in eam curam incubuisse, vt ne ornamentorum quidquam, quæ putabat ad maiestatem pertinere, seu sibi deesset, seu posteris. Ita, vt existimemus, optimi Regis, & prudentia suadet, & pietas. Est vero POMVM hoc nostrum aureum, vnionibus vbertim distinctum, & sicuti reliqua, Europæ regum, CRVCE itidem instructum. Geminam eam SCHMEITZELIVS esse dicit, eoque ab aliis discriminatam, picturæ tamen & numi, simplicem

quando id inter Hungariæ insignia relatum sit?

eius materia & forma:

y.) Parte XIX. Chron. citante laudato SCHMEITZELIO. qui copiosiora, de insignis huius progressu, & origine volet, HOEFINGIVM adeat, in tractatu de Insignibus, Lib. II. §. XLI. Sect. II. Num. V.
z.) Loco iam sæpius citato, p. 150.

plicem tantummodo referunt: si forte excipias, illum MATTHIAE II. cuius in sententiæ suæ præsidium, idem auctor meminit. Illud impense dolemus, RÉVAYUM non tam Pomi habitum, vti se habet descripsisse, quam explicuisse, quid illud portendat, credo *Viterbiensis* sententia inductum, qui eodem, quem dedimus, loco, sic Regem inauguratum, adloquitur:

item significatio:

CRVX & PALLA *(a.) simul pariter connexa videntur,*
Hæc magis, illa minus, per TE reuerenda videntur:
Hæc ferit, hæc sanat, hæc perit, illa manet.
Si mundana cupis, pugno concludere regna,
Significata crucis, Tibi sunt reuerenter habenda;
Esto DEI seruus, qui Tua sceptra regit.

§. XVIII.

IV. De Ense, siue Gladio.

Gladius, peculiare regum Hungariæ, insigne:

EST & GLADIVS, in Regum Hungariæ, insignibus referendus, vetere gentium aliarum ritu, ad inaugurationis solemnia a nostris adscitus. Quia enim ii, ad quos summa rei delata a populo est, non pace tantum, sed bello etiam, suos moderari tenebantur, defensareque; sicuti sceptris, ita & gladio, donabantur: præsertim in hostes moturi, quemadmodum APPIANVS, *(b.)* auctor est. Nempe, quem S. P. Q. R. imperatorem legerat, hunc Consul, gladio, ad rem bene, & ex salute reipublicæ gerendam, donabat. Quin & præfecti prætorio, ense ornabantur a principe; translatumque adeo est *ensis* vocabulum, ad significandum imperium, vti in eo LVCANI *(c.)*, de *Ptolomæo* Aegypti rege, canentis:

eius in designandis belli ducibus apud Romanos, vsus:

Sæuum in populos, puer accipit ensem.

Id est, capessit imperium, sæuiturus in populos. Et STATIVS *(d.)*:

Felix qui magno iam nunc sub præside iuras,
Cuique sacer primum, tradit Germanicus ensem.

gentes item reliquas.

Neque is mos, ita Romanis mansit peculiaris, quin sensim dimanarit in gentes alias. In *Germaniam* certe, cum imperio illatum dixeris. Nam hodieque in Imperii insignibus, gladius recensetur CAROLI M. quo, in bellis, quæ gessit, vsum fuisse perhibent. Angli, EDVARDI regis; Bohemi, S. WENCESLAI ense, adhuc gloriantur; ne iam regna consectantes reliqua, lectorem fatigemus.

§. XIX.

a.) Per *Pallam*, globum, seu pilam auream intelligit, quod supra monuimus.

b.) Lib. II. de bello Ciuili.

c.) Lucanus. v. 61.

d.) Quinto Siluarum. I. 175. vbi consulendi sunt interpretes.

§. XIX.

Ensis vetus est Hungaris insigne:

CVm adhuc ethnica superstitione ducebantur *Hungari*, MARTIS gladium, magna in veneratione habebant. Rem ex PRISCO RHETORE *(e.)* addiscas: Ἐσεσθαι δὲ ἀπ᾽ εἰς μικρὰν τῆς παρούσης αὐτῷ δυνάμεως αὔξησιν συμβαίνειν, καὶ τοῦτο τὸν θεὸν τὸ τοῦ Ἄρεως ἀναφάνδην ξίφος. Id est: *Neque parua illi*, Attilæ, *potentiæ accessio, contigit ex eo, quod* MARTIS ENSIS *detectus. Hic, tamquam sacer, & Deo bellorum præsidi dedicatus, a Scytharum regibus olim colebatur, & multis antea seculis non visus, bouis ministerio fuerat tunc temporis erutus.* HERODOTVS *(f.)*, τῷ Ἄρηϊ ἄγαλμα *Martis simulacrum*, vocat, cui veteres *Scythæ*, annuas hostias, ouium equorumque, offerebant. Sed, ethnica hac impietate abrogata, gladius simul, & eius, in animis Hungarorum, memoria abrogata est. Certe nostri huius, quem describimus, sanctior est origo: quippe quem, tunc sibi pientissimus STEPHANVS accinxit, cum aduersus *Cupam*, Simigii ducem, adolescens adhuc, pium iustumque bellum moueret. Patrios ille Deos, quos eliminauerat STEPHANVS, Martem, atque Herculem, reducere, mutare cum superstitione CHRISTI religionem, ipsum denique regem, proturbare solio, facta conspiratione, decreuerat. Tantis ausibus obuiam processit STEPHANVS, coegit militem, neque residui quidquam fecit, quod ad retundendam perduellionem, necessarium putabat. *Coacto exercitu, ad Garam amnem, inquit* BONFINIVS *(g.) castra locat, ibique primum, iuuenis Deo deditissimus, defendendæ publicæ salutis necessitate adactus, sibi* ENSEM *accinxit.* Occubuit eo bello *Cupa*; STEPHANVS vero, adolescens adhuc, tantum ex ea victoria laudis retulit; vt gens vniuersa, animo iam tunc præciperet, qualem sibi in eo regem, fata donauissent. Hinc & gladio, quo se haud inuito numine, præcinxerat, ea conciliata est celebritas, vt nihil dubitarint *Hungari*, eundem, mortuo STEPHANO, inter regni cimelia reponere, atque, inaugurandis postea regibus adhibere. Huc respexit RÉVAYVS, cum & formam, & originem gladii descripsit: *Gladius D. Stephani est, veteri forma, in mucronem rectum desinens, quem ille victis, tot fidei Christianæ hostibus, vtendum futuris regibus, in simili caussa, consecrauit.* Eius accingendi, in coronatione, ritum, & quemadmodum in regio illo colle, in quatuor orbis plagas, vibrari *(h.)* a nouo principe soleat, supra memorauimus. Hic, RÉVAY monitionem, iuuat non siluisse. *Reges*, inquit, *dent operam, ne ob leuem caussam, & priuatum malum, magnos excitent, & non necessarios,*

post Christum agnitum, abrogatum:

hodierni origo:

forma:

quid sibi velit ensis *Hungaricus?*

e.) Excerptis de Legat. p. 65.

f.) MELPOMENE, seu Lib. IV. Cap. LXII. p. 241. editionis IACOBI GRONOVII Lugd. Batau. An. 1715. fol.

g.) Decade II. Lib. I. p. 173, 10. Adde THVRÓCZIVM, parte Chronici II. Cap. XXVIII. p. 39, 6. vbi amnis, ad quem castra locauerat STEPHANVS, *Coron* dicitur; *Garam*, contra, eadem Parte II. Cap. XIII. p. 34, 21. quod, *Hungaricum* est nomen, *Grani*, infra *Strigonium*, aduersa ripa, *Danubio* se intimantis. Veteres, *Granuam* dixere.

h.) Idem mos, & apud *Carnos*, viguit, teste IOH. WEICHARDO VALVASORE, in *Ehre des Hertzogthums Crain*, Lib. VII. Cap. IV. p. 396. a.

rios, bellorum tumultus, qui totam Rempublicam, in maximas demergerent difficultates. Compertum enim est, bellum sumi facile, ceterum ægerrime desinere, & fortunam eius ancipitem, & dubiam, in exitu exspectari. Neque contra datam fidem, auctores nouarum turbarum existant; eo quod hoc pluribus regibus pernicioſum, & regi nostro WLADISLAO, *immo toti patriæ, pessime cessit.* Ista, de GLADIO.

§. XX.

V. De Pallio, seu Paludamento.

Pallii *seu* Paludamenti *dignitas ac vetustas:*

QVæ hucusque vidimus insignia, prorsus ad significandam, in Rege *Maiestatem*, pertinuerunt. Quæ iam sequuntur, ornamenta sunt regii corporis, ad decus, ei fastigio conciliandum, facta. PALLIVM in his, seu PALVDAMENTVM, primo loco explicabimus. Est autem PALLIVM, vestis Græcanicæ genus, quo olim viri, iuxta & feminæ, vtebantur. Postea, amiculum cœpit esse militare, paludamenti nomine; dum ornamentum fieret Imperatorum. Hinc *Imperatoria paludamenta* dicuntur PLINIO *(i.)* erantque decenter adeo facta, vt nihil dubitauerit VARRO, a *palam*, deriuare vocabulum, *quod, qui insignia hæc, & ornamenta militaria habent, conspiciuntur ac fiunt palam.* Insigne hoc imperatorium, cum *Patriarchis*, inualescente postea religione Christiana, *Cæsares* communicare cœperunt. Fuere autem, quibus pallii vsus, ab Imperatoribus, peculiari fauore, indulgebatur, Patriarchæ *Romani, Antiocheni, Alexandrini*, & *Constantinopolitani*, qui tamen, sede sua pulsi deiectiue, id, quasi iure postliminii, imperatori reddebant. quemadmodum *Antimii*, Patriarchæ Constantinopolitani, exemplo, inter doctos constat, qui dignitate motus, *pallium* IVSTINIANO *(k.)* restituit. Factum postea est, vt non *Patriarchæ* solum, sed horum etiam *vicarii*, pallium, indulgentibus Imperatoribus, acciperent. quæ consuetudo breui adeo inualuit, vt vix *Metropolitanus* esset, qui non a Pontifice *(l.)* Romano, pallio donaretur. Verum, ornamentum hoc, Ecclesiasticæ dignitatis est, nec Imperatorum maiestati derogat quidquam. Nos, de eo insigni, cuius in regibus nostris inaugurandis vsus est, agimus. Nam, sicuti, non in Cæsarum modo, sed regum etiam Europæ reliquorum ornamentis *(m.) Paludamentum* haberi, certum est; ita reges quoque nostri, paludamento indui sueuerunt, quoties regiam dignitatem capessunt: illo scilicet, quod a S. STEPHANO, ad nostram vsque ætatem, cum ceteris, quæ vidimus, cimeliis, perdurauit, quodque ideo, PALLIVM S. STEPHANI, adpellamus.

fit indulgentia Cæsarum Christianorum, Patriarcharum *ornamentum:*

hic de regio, sermo est.

§. XXI.

i.) Libro I. Cap. XXVI.
k.) Teste LIBERATO. Cap. XXI.
l.) Confer, IVSTI HENNINGII BOETONERI ICti, origines præcipuarum materiarum Iuris Ecclesiastici, Cap. XXII.
m.) Legi in hanc rem possunt auctores, a Cl. SCHMEITZELIO, loco citato, p. 16. laudati, & vniuersim, *de Pallio*, TERTVLLIANVS, peculiari libro, & SALMASIVS ad eum.

§. XXI.

Pallii regum Hungariæ, qui sit habitus?

EIus habitum, sic RÉVAYVS descripsit: *Pallium, siue regale* Paludamentum S. STEPHANI, *non tam vetustate, & censu, quam religione picturæ, admirabile est, ex serico factum, vranii coloris, cui* DEI *thronus, & Apostoli omnes, cum diuina maiestate, e parte vna, parte altera, triumphus* CHRISTI, *a cruce, ex auro contexti, in palmatæ vestis specie.* Facile hæc condocent, græci operis esse, regium hoc vestis genus; Græcis enim tunc, in more positum erat, *Phrygianas* vestes facere, & sacris imaginibus decorare. Nisi inscriptiones latinæ, quæ sunt intextæ, an illusæ acu, aliter, vt credamus, persuaserint. De his, alio loco RÉVAYVS *(n.) Si quis*, inquit, *exactiorem huius trabeæ sacræ delineationem, habere velit, sequentia, peculiari studio inde desumta, contempletur:* In dorso circumcirca, infra cingulum, hæc habentur verba: INDICTIONE 14. A STEPHANO REGE, ET REISLA *(o.)* REGINA, CASVLA HAEC OPERATA, ET DATA ECCLESIAE SANTAE MARIAE, SITAE IN CIVITATE ALBENSI. Fuit ergo *Giselæ* opus, simulque *Stephani* anathema, primitus Ecclesiæ donatum, relatum vero postea inter regum inaugurandorum ornamenta. Pergit RÉVA: *Inter scapulas, ad imaginem* CHRISTI, *hæc exstant:*

opus Græcanicum:

Hostibus en Christus, prostratis, emicat alte.

In humero dextro, ad imaginem beatæ VIRGINIS M. *hæc leguntur:*

Emicat in cœlo, sanctæ Genitricis Imago.

In humero sinistro, ad imaginem B. IOHANNIS *Euangelistæ:*

Dat summo Regi, famulatum concio cœli.

In summitate, supra simbriam, a tergo:

Sessio regnantem, notat, & Christum Dominantem.

Circa collum, ex sinistra parte crucifixi:

O spes certa salutis!

A dextra parte crucifixi maiusculis;

R. R. E. T. O. B. UMBRA.

Hæc RÉVAYVS, vbi simul litteras hasce, qualicunque coniectatione illustratas, legas: *Quarum*, inquit, *litterarum mysterium, nonnisi auctori ipsius*, D. STEPHANO, *notum: quas diuinando, si quis velit interpretari, si quid ad rei veritatem facere videretur, sic liceret;* REGINA. ROMANAE. ECCLESIAE. TOTIVSQVE. OLYMPI. BEATA. VIRGO. MARIA. BELLICOSI. REGNI. ADVOCATA. Vel vero, secundum circumstantiam: REX REGVM, EST TRIVMPHATOR, ORBIS BENEDICTVS; VIRGO MARIA BENEDICTA, REGINA ANGELO-

n.) In peculiari *Commentario, de S. Regni Hungariæ Corona*, qui *Centuriarum*, quasi *Prodromus* quidam fuit, p. 80. editionis nuperæ *Tyrnauiensis.*
o.) Rectius: *Geisla:* nisi forte K. loco G. expressum sit, & legentium errore, cum R. permutatum, quod ex facili fieri potuit.

GELORVM. *Si hæc de Deo, aut Christo dicantur, constat optime Sententia, & magis proprie, quam si ad* Benedictum Pontificem *referamus. Si vero ad* D. Stephanum, *vere illum* Benedictum *fuisse dicemus, qui fidei Christianæ, non in Hungaria duntaxat, sed ad Sarmatas vsque, &* *& eius interpretatio:* *Gotas, propagator fuit.* Et post pauca: *Nihil profecto sacro hoc picturæ habitu, ad naturam boni regis verius, nihil ad regiam dignitatem, antiquius, quam vt Deum, cuius imaginem gerit in terris, agnoscat & colat, sanctitatem & iustitiam, cum religione obseruet inuiolatam, & fidæ Christiana propugnatam, exoptatamque de hostibus referat victoriam, præmia denique rei bene gestæ, non in terris, sed in cælis, exspectet.* Ita est, virtutum in principe, principem esse oportet, veri DEI, & quem, in redintegrandam generis humani salutem, dedit, FILII eius, in crucem acti, veram & luminosam agnitionem. quæ mentem regiam collustret, & sicuti ad cultum, spiritu ac veritate, præstandum; ita ad regendos, sanctitate & iustitia, populos, perpetuo auctoramento, permoueat impellatque. Ceteroquin, quanta *Pallii* huius, apud Hungaros sit existimatio, quanta eius custodiendi cura, & studium, ex eo, quod adscribemus, liquido constabit. MATTHIAS II. cum ANNA vxore iam inaugurata, soluerentur comitia, a *Petro Réuay (p.)* Coronæ custode, paludamentum sibi dari petiit, vti *Viennam* id secum deferret, scita pictoris manu, in tabula adumbrandum, mittendumque Pontifici Romano, qui eius simulacrum videre cupiebat. Is, vbi ad formulam iurisiurandi recurrisset, idque sibi haud licere, minusque integrum esse, respondisset, vti cimelia regni e conditorio, sine *Statuum* & *Ordinum* consensione, expromeret; Imperator, indignari primum, dein, recognito custodum sacramento, fidem *Petri* laudare cœpit, qui, ne Regis quidem petitioni, cum fidei iactura, locum dare voluerit. Ergo, *postulationem suam, coram Palatino, & Statibus, ac Ordinibus, adhuc præsentibus, exposuit; quorum annuentia effectum,* vt Petrus Réuay, *Paludamentum regi traderet, eundemque Viennam comitaretur: vnde non prius discessit, quam manibus suis resignaretur. quod postmodum reliquis regni clenodiis, in conseruatorio, adiunxit.* Eleganti, ad posteritatem, documento, sanctiorem iurisiurandi fidem esse oportere, quam quæ, vel ipsis regum precibus contemerari queat. Iam multum e *Pallii* nitore, situ, longaque ætate, detritum est: quod tamen, non modo non diminuit, sed auget etiam venerationem.

qua sit in existimatione apud Hungaros:

Petri Réuai, *singulare in eam rem, exemplum.*

§. XXII.

VI. De Chirothecis.

Chirothecæ, *ignotum apud veteres, amiculi genus:*

CHIROTHECA, Græcum est vocabulum, ex χεὶρ καὶ θήκη, coalitum. Ignotum veteribus amiculi genus; sicuti ad ATHENAEVM *(q.)* docuit ISAACVS CASAVBONVS. Itaque, tunc credunt,

p.) Idem Centuria VII. p. 140.

q.) Lib. XII. Cap. II.

dunt, vulgo inualuisse, cum migrata prisca illa victus ratione, mollius degere mortales occeperunt. Certe, apud Romanos veteres, in flagitiis habebatur, manicatam tunicam gestare: quippe quæ, viros fortes non deceret. Hinc illa apud VIRGILIVM *(r.)*, *Numani*, in *Troianos*, dicteria:

apud Romanos etiam pro pudiosum

Vobis, picta croco & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi; iuuat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Ad eum modum, CVRTIVS *(s.)* manicas Persis tribuit, vti gentis mollitiem perstringat. Adhibebantur vero, sine luxu, ad arcenda frigora, quod ex PLINIO *(t.)* discimus; dum penitus ad militares vsus transferrentur, vt manus præmunirent aduersus ictus gladiorum. Ergo, nouo artificio, æris ferriue squamis, inducebantur. Inde enatum morem, opinor, vt cum principes æui posterioris, gladio præcingerentur, simul & manicis donarentur, vt, eo gestamine, gladium vibraturis, præsidii non minus, quam ornamenti quidpiam præstarent. Id certe *Hungaros* velle putamus, quando nouum regem, non ense modo armant, sed & *Chirothecis* instruunt: more Anglis quoque vsitato, quibus GOCKELIO *(u.)* auctore, reges inauguratos, *Chirothecis* induere, solemne est. Eum ritum sic explicat RÉVAYVS: CHIROTHECAE *candidæ, monent Regem, ne subditorum bonis inhiet, ea, per fas, & nefas, rapiat; sed, ab omni rapinæ, doli, & fraudis crimine, mundas habeat manus: quin &, ab innocentis sanguinis subditorum suorum effusione, abstineat. quando enim semel reges sanguine innocenti manus suas polluerunt, difficulter deinceps, cædibus modum facere possunt.* Recte; nam,

fiunt militare indumentum:

immo ornamenta etiam principum;

apud Hungaros quoque:

quid sibi velint Chirothecæ *regum.*

Quisque est placide potens,
Dominusque vitæ, seruat innocuas manus,
Et incruentum, mitis imperium regit;

vti est apud SENECAM *(v.)*. Itaque

Sanguine humano abstine,
Quicunque regnas (x.)

§. XXIII.

VII. De Calceamentis.

Caruerunt calceis prisci homines:

CALCEIS caruisse priscos illos homines, apud omnes constat. Tandem, cum vsu rerum, ad commodius viuendum inuitarentur mortales; non minus pedes, quam corpus reliquum,

r.) Aeneidos IX. versu 614. vbi vide notam RVAEI, cuius editione vtimur.

s.) Lib. III. Cap. III. §. XIII. vbi iterum notam commendamus editionis PITISCI.

t.) Lib. III. Epist. V.

u.) De *Regibus Europæ*, Cap. I. num. XCIX.

v.) *Hercule* furente, versu 738.

x.) Ibidem.

eorum origo:

indumentis præmunire cœperunt. Ac, primis quidem auctoribus, ligneum fuit calceamentum, ſicuti hodieque eſt *Noruegis*, & vicinis populis. Inde, crudæ animantium exuuiæ; mox & corium; poſt lintea; denique, luxu increſcente, & coccinum, calceis efformandis, adhibebatur. In Imperatoribus primus fere CAIVS CAESAR CALIGVLA

vertuntur in luxum:

fuit, qui calceum, cothurnum, crepidam, & ſoccum, in luxum vertit, prorſus inſanum. De eo SVETONIVS *(y.)*; *Veſtitu, calceatuque, & cetero habitu, neque patrio, neque ciuili, ac ne virili quidem, ac denique, non humano, ſemper vſus eſt: ſæpe depictas gemmatasque indutus pænulas, manuleatus & armillatus, in publicum proceſſit; aliquando, ſericatus, & cycladatus; ac modo in crepidis, vel cothurnis, modo in ſpeculatoria caliga, nonunquam ſocco muliebri, plerumque vero, aurea barba, fulmen tenens, aut fuſcinam, aut caduceum, deorum inſignia; atque etiam Veneris cultu, conſpectus eſt.* Plures poſtea eius vanitatis æmuli, inter Cæſares, exſtitere. De HELIOGABALO LAMPRIDIVS: *Habuit in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas, quod riſum omnibus mouit, quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.* Eadem, & CARINVM, veſania fuiſſe, FLAVIVS VOPISCVS auctor eſt: quippe qui, gemmeis calceamentorum

a Diocletiano inter ornamenta regia referuntur.

fibulis vtebatur. Sed eum luxum, DIOCLETIANVS, ſolertiſſimus princeps, & qui Imperio Romano, primus regiæ conſuetudinis formam magis, quam libertatis, inuexit; inter imperii inſignia, atque ornamenta, retulit. *Ornamentum gemmarum, veſtibus calceamentisque, indidit. Nam prius imperii inſigne, in chlamyde purpurea tantum erat; reliqua communia:* inquit EVTROPIVS, *(z.)* quod demum ornamenti genus, Imperatores etiam *Conſtantinopolitanos* retinuiſſe, ſcriptores perhibent.

§. XXIV.

Hungari id ornamenti genus, imitatione Græcorum, receperunt:

ATque inde, inſigne hoc, ſiue ornamentum, ad noſtros HVNGAROS, imitatione Græcorum Imperatorum, translatum eſſe haud ſine ratione autumo. Nam, ſi dicendum, quod res eſt, plura, quam opineris, a *Conſtantinopolitanis* accepit gens noſtra: id quod ſuo loco docebimus. Certe, vt a *Gallis*, ad *Hungaros*, morem hunc manauiſſe credam, nequeo a me impetrare: tametſi non ſim neſcius, ipſis quoque, calceamenta, in inſignibus eſſe regiis. PETRVS RÉVAYVS, neglecta calceamentorum forma, heic quoque, ſenſus myſticos promit; *Calceamentum*, inquit, *vigilantiæ & induſtriæ Symbolum eſt, quo Rex admoneri debet, ne in rebus, quibus ſaluti & regni*

quomodo Révayus id interpretetur:

commodo, conſulitur, ſtudium & induſtriam detrectaret; ſed expeditam in officio, hoſteque perſequendo, velocitatem præſtaret. Diceret cum DAVIDE:

y.) In CALIGVLA Cap. LII. vbi vide commentaria PITISCI, cuius nobis editio familiaris eſt.

z.) In *Breuiario Romanæ Hiſtoriæ*, Lib. X. cap. XVI. §. 2. 3. Vide Cl. SCHMEITZELIVM, dicto loco, Cap. V. p. 19. ſeqq.

VIDE: *Perfecit pedes, tamquam ceruorum; dilataſti greſſus meos, ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea; proſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant, vt cadant ſubtus pedes meos.* Vigilantiam inde regi commendat; dum his verbis monitionum faciat finem. *Rex porro calceatus, quia ex corio, animalis mortui, calcei ſunt, intelligat ſe eſſe hominem, qui & hoc vili indumento carere nequeat; ideo, pie, & moderate, populum adminiſtret; cum hominibus, humaniter procedat; in ſemitis Domini ambulet; ſicque, in ſtadio vitæ ſuæ, decurrat, vt, curſu conſummato, in quietem æternam, vbi perfecta beatitudo, nullius eſt indiga indumenti, peruenire poſſit.* Vulgariter hæc dicta ſunt, ſed profecto non ab re, nam:

Vbi non eſt pudor
Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile regnum eſt (a.)

calceorum regiorum habitus.

Alioquin, aliud dum agit RÉVAYVS, de calcei regii habitu, nos monet; quippe quem, ex *corio animalis mortui*, factum innuit. Non ergo Φοινικοῖς πεδίλοις, τὰς πόδας ὑποδήτῳ, *puniceis calceis pedes ſubligat*, inauguratus Rex Hungariæ, ſicuti de Imperatoribus Conſtantinopolitanis, ZONARAS *(b.)* meminit: id quod, modeſti ſubmiſſique animi ſignificationem habere, nemo non videt.

§. XXV.

Olim plura fuere ornamenta regia:

HAec illa ſunt REGNI HVNGARIAE CLENODIA, quæ in arce noſtra hoſpitantur; vrbem vero, quoties inaugurationis fiunt ſolemnia, illuſtrant. Olim, plura fuiſſe conſtat, ſed quæ temporum iniquitas diminuit. In his CRVX APOSTOLICA, quam cum Corona accepit STEPHANVS, cenſenda eſt. De eius iactura INCHOFFERVS *(c.) Vtinam eam ab initio diligentiam adhibuiſſent, in cuſtodienda Cruce illa gemina, Apoſtolatus inſigni, quam Romanus Pontifex, vna cum Corona, transmiſit; opinione omnium res Hungarorum meliori loco ſtarent. Scilicet, ea amiſſa, ſiue temporum iniuria, ſiue hominum incuria (quando enim, & quomodo perierit, incertum eſt) præſagium vniuerſis inceſſit, futurarum calamitatum, quibus Hungaria, ab aliquot ſeculis, conflictata eſt.* In eandem ſententiam & RÉVAYVS *(d.)* queritur: vt iam

deſunt iam Crux Apoſtolica;

ſolemnitatibus, crucem aliam, veteris illius loco, adhiberi oporteat. Ornamenta reliqua, quæ Coronæ adiuncta fuerunt, hæc erant: *Cingulus; ſtola; cryſtallum; vel hyacinthus, auro incluſus; vexillum S. Stephani; ſericum ex auro, & gemmis contextum.* De iis *porro* RÉVAYVS *(e.)*: *Cum illa*, inquit, *inter alia regni Clenodia, non habeantur, nec amplius, quod ego ſciam, exſtent, quis eorum, in coronatione vſus fuerit,*

& alia non pauca:

a.) Seneca THIESTE, verſu, 214.
b.) Tomo III. p. 158.
c.) Annalium Eccleſiaſticorum ad annum MXIV. p. 304.
d.) Centuria VII. p. 149.
e.) Ibidem p. 150.

fuerit, quidue designauerint, scrupulose indagare, operæ meæ non esse iudicaui. De vexillo S. STEPHANI, satis constat, post inauguratum CAROLVM *Paruum*, gestantisne incuria, an fato regis, fractum, concerptumque fuisse. Istud volunt, rerum Hungaricarum scriptores; atque in his, post THVRÓCZIVM *(f.)* BONFINIVS *(g.)*. *Ex inauspicato*, inquit, CAROLVM *coronatum adfirmant, quod subsequutum prodigium ostendit: Præfertur, ex more, nouo regi,* D. STEPHANI *vexillum, cum adsumtis regiis insignibus, procedenteque procerum, antistitumque multitudine, absoluta coronatione, e templo prodit: id, cum arduum, & sublime præferretur, ad postes templi, sensim illisum, in varias partes laceratum, concidit; veluti, quod malo dolo sceptrum occupatum, grauate ferret.* Ceterorum interitum indagare, vti impeditum, ità superuacaneum ducimus; satis habentes, ista, quæ dedimus, insignia describere potuisse. Faxit DEVS, regnorum Stator O. M. vti, cimelia hæc, æterna sint *Hungariæ*, &, quod votorum caput est, æterna CAROLO VI. serisque nepotibus. *Feliciter!*

vexillum S. Stephani, *quo casu interierit?*

f.) In rebus CAROLI PARVI, Cap. VII. p. 117, 50.

g.) Decade III. Lib. I. p. 364, 16. adde PETRVM DE REVA, Cont. V. p. 26.

PRAEROGATIVARVM VRBIS PISONIENSIS,

ARTICVLVS III.

DE

Comitiis Pisonii celebratis.

PROOEMIVM.



Etus Hungarorum mos fuit, sub dio, apertis campis, *Armata Comitia*, agitare: non id quidem sine gentium bellicosissimarum imitatione. De Germanis TACITVS *(a.)* *Vt turbæ placuit, considunt armati; silentium per Sacerdotes, quibus tum & coercendi ius est, imperatur. Mox, rex, vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur; auctoritate suadendi magis, quam potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin pla-*

a.) De Moribus Germanorum, Cap. XI.

placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum adsensus genus est, armis laudare. Crederes, hinc ritum illum *Hungaros* contraxisse. At enim, veterrimus, & adlatus ex *Scythia*, mos est. quem, constituta demum republica, a *Polonis* acceptum putant alii. Certe, *Rákos*, comitialis, ad *Pestum*, campi; quin & conuentus, lingua *Slauica*, *(b.)* nomen, ex *Sarmatico* isto fonte manauisse, suo loco monebimus. Alioquin, *Armata Comitia*, pestilens reipubicæ institutum, merito dixeris. Verum est enim illud CICERONIS *(c.)*: *Nullum fretum, nullus Euripus, tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum:* potissimum armatorum. Non est opus, in rem, vulgo damnatam, exempla cumulare. Qui *Aradiensia (d.)* BELAE cæci; MICHAELIS SZILAGY *(e.)*, & LVDOVICI II. *(f.)*, vt taceamus reliqua, *Pestiensia* comitia, mente recoluerit, pedibus omnino, in Ciceronis sententiam iturus est. Vt e salute reipublicæ feciisse putandi sint, Austriaci Principes, qui *armata* hæc comitia, cum *togatis*, sapienti, & ducto a ratione consilio, permutarunt. *Hodie*, inquit REVAIVS *(g.)*, *togata indicuntur comitia, intra mœnia ciuitatis, vti his solemnitatibus celebre* POSONIVM *est.* Ergo, cum id quoque, ad vrbis, quemadmodum in confesso est apud omnes, celebritatem pertineat; pretium operæ feciisse existimabimur, si breuem *Comitiorum*, quæ hic acta sunt, historiam, commentariis nostris, intertexuerimus. Vos vero heic porro,

arrepto tempore ciues!
Cogite concilium, & pacem laudate sedentes.

b.) Hinc *Slauorum* illud prouerbium: *Po Rákosi maudri Páni*; nempe, quod est in paroemia: *Piscator ictu sapit*; aut, *Sero sapiunt Phryges*; item, *Cumani sero sapiunt.* Vide Chiliada ERASMI, de *Sera pœnitentia.*

c.) Pro *L. Murena*, Cap. XVI.

d.) Lege, editam illic, per tumultum, cædem, apud BONFINIVM Decade II. Lib. VI. p. 255, 8.

e.) Apud eundem, Decade III. Lib. I. p. 507, 46. *In medio campo. quando plures in comitiis dies acti sunt, furcas, laniariamque mensam, proposuit; graui edicto, quicunque* MATTHIAE *suffragia reddere recusarent, præsentaneam mortem interminatus est.* En! libera illa, in eligendo nouo rege, suffragia.

f.) ISTVANFFYVS Lib. VI. p. 85. sequentibus.

g.) Centuria VI. p. 96.